UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate || Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625


urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

Visual Library

Th. 1437.

C. IV, 8. 6

J. 5 85



R.P.

LVDOVICI DE PONTE VALLIS OLETANI E SOCIETATE IESV Theologi.

DE Christiani hominis PERFECTIONE IN QVOlibet eius Vitæ genere.

TOMI QVATVOR.

Quorum argumenta ex S. RVTH Historia præcipuè desumpta.

Latinè conuersi à R.P. MELCHIORE TREVNNIO Eiusd. Soc. IESV Relig.


Editio Secunda.

COLONIÆ AGRIPPINÆ Apud Ioannem Kinckium sub Monocerote ANNO M.D.C.XXV.

Permissu superiorum & cum gratia priuil. S.C.M.

Monij Albinghofens. Ordinis SS. Benedicti Padebornæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



6276.

CLAVDIO AQVAVIVA PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV, PATRI OPTIMO ET SVAVISSIMO. &c.

TE vitâ functum credunt quidem mortales, Pater desideratissime, at mihi tamen haud videris esse mortuus. Quippè tua præclarè facta, quibus, & Societatem vniuersam, & Ecclesiam, in hoc terrarum orbe, longè diffusam illustrasti, non è nostrâ sublatum esse memoria penitùs confirmant. Viuis ergo? imò æternùm viuis. Nam, si æterna diuinaque benignitas etiam obsequia minima, amplissimis sempiternæ vitæ remunerari solet præmijs; quid porrò te fiet, vbi tantos ingenti animi ardore, solius diuini honoris intuitu, exantlasti labores; quatuor & triginta omninò annos, clauum Societatis tenens, tot præsertim aduersis hostium telis expositæ impugnatæque. Mortalem igitur vitam, quæ innumeris premitur miserijs, *desiderium habens dissolui & esse cum Christo*, haud inuitus deseruisti: vt illa immortali potirêre æternaq;, inter cœlestes beatorum mentes, gloria, simul & beata fruerêre visione Dei. Sed & hîc absentem licèt, ob innocentiam morum, vitæque iam actæ sanctitatem, non inhonoratum, non inglorium reliquit diuina pietas. Vbi enim *Spiritum Deo commendasti* tuum, corpusque exanime pheretro impositum, & à tuis tibi parentaretur in sacra Æde filijs; Deus bone, quantus in illa Principe totius Orbis Vrbe, omnis hominum generis concursus? quanta ad honorandum funus frequentia? Et quidem vsque eò, vt nec ad perficienda, liber locus haberetur, diuina officia; nec ipse demùm dies, tempusque sufficeret; sed ad secundam noctis horam, eadem protrahi oporteret. Quisquis secum præclarè tunc actum credebat, si quo modo, vel castum illud, in quo diuinus inhabitârat spiritus contingere corpus, vel tuum duntaxat ve-

Phil. 1. 23.

Luca 23. 46.

stimentum, posset. Iam quid de te senserit, Senatus Romanus? quid Principes Ecclesiastici? quid Cardinales? quid Episcopi? quid ipse Pontifex Maximus? Tua nimirùm egregia facta, singulares tuas virtutes, tuã etiam atq; etiam venerati sanctimoniam. Summus equidẽ sacrorum Antistes, cùm Patres Societatis Assistentes, tanto orbatos parente, solaretur; Te Prælatum optimum, Te Moderatorem Sapientissimum, Te verè SOCIETATIS IESV Patrem appellauit. Quæ cùm ita sint, ego minimus quamuis, tuus tamen in Christo filius, qui tua voluntate, MEDITATIONES P. LVDOVICI DE PONTE, ac SPIRITVALEM eiusdẽ DVCEM, ex Hispanico in Latinũ idioma transtuli, tibiq; viuenti antea obtuli; nunc porrò eiusdem Auctoris Opus, de Perfectione Christiani cuiusque hominis, longè præclarissimum, dum profero in lucem, tibi meritò etiam vitâ mortali functo offerre teneor, dicareque. Nam cui melius id possem quàm tibi, quem eò loci habitare non dubito, in quo à diuina bonitate impetrare valeas certius, quo hic meus quantuluscunque labor, ad plurimorum cedat vtilitatem? Æternùm viue, Pater optime, proque vniuersa Societate IESV, quam tot annorum spatijs felicissimè gubernasti, iuges ad Deum omnipotentem, profundere haud dedignare preces: vt ipse nimirùm IESVS, qui & Dux & Pater noster est, vsque in finem illam conseruare: illi Generalem Præpositum, alacrem tuarum virtutum imitatorem, dignetur prospicere. Ita demùm fiet, vt sancto ipsius Spiritu acti ductique, nos omnes, in salutem & perfectionem, cùm propriam, tum proximorum, coniunctis viribus, impensè incumbamus.

Tuus in Christo minimus
& indignus filius

Melchior Treuinnius.

PRÆPOSITI PROVINCIALIS FACVLTAS.

GASPAR DE VEGAS, *Prouinciæ Castellanæ Societ.* IESV *Præpositus Prouincialis, ex particulari admodum* R. P. CLAVDII AQVAVIVA *Præpositi Nostri Generalis commissione mihi concessa, facultatem cõcedo, vt Liber* DE PERFECTIONE HOMINIS CHRISTIANI IN QVOLIBET VITÆ GENERE, *argumento sumpto ex sacra* RVTH *historia, à* P. Ludouico de Ponte *compositus, & grauium Theologorum eiusdem Societatis iudicio examinatus & approbatus, typis euulgetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, Sigillo q; officii nostri munitas dedimus. Vallis-Oleti, die 24. Martii, Anni* 1611.

GASPARVS DE VEGAS Prouincialis.

APPROBATIO.

EX mandato Serenit. Vestræ perlegi Librum Patris Ludouici de Ponte è Societate IESV, de PERFECTIONE CHRISTIANI in omnibus eius Statibus & vitæ generibus: quem iudico continere doctrinam tum valdè sanam, tum valdè piam; omnibusque hominum Statibus vtilissimam: neque quicquam in eo reperi, quod Sanctitatem, ac pietatem non redoleat. Quare existimo, Vestram Serenit. meritò facultatem daturam, vt in lucem edatur. Datum apud S. Philippum Madridij, die 18. Maij, Anni 1611.

MAGISTER CHRISTOPHORVS *de Fonseca.*

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV.

CVM *ex mandato Sacræ Cæsar. Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationẽ exercentibus, serio firmiterq; inhibeatur, ne quisquã Libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenùs editos, aut imposterũ edendos intra S. Rom. Imperii Regnorũ & Dominiorum suæ Cæs. Maiest. hereditariorũ fines, simili, aliove characterе aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clàm seu palàm citra supra dictorum Patrum consensum ac testimonium audeat, vel præsumat: Ego* HENRICVS SCHERENVS *Societat.* IESV *per Rheni Prouinciam Prouincialis; concedo* IOANNI KINCKIO *facultatem excudendi Tomos quatuor R. P. Ludouici de Ponte Vallis-Oletani è Societate* IESV *Theologi,* DE CHRISTIANI HOMINIS PERFECTIONE IN QVOLIBET EIVS VITÆ GENERE, *à R. P. Melchiore Treuinnio latinè conuersos. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum, & Sigillo nostro munitum dare voluimus. Colon. 21. Februarii. Anno* 1615.

HENRICVS SCHERENVS.

TOTVM OPVS IN QVATVOR PRÆCIPVAS PARTES SIVE TOMOS DISTRIBVITVR, IN QVIBVS AGITVR de diuinis omnibus Vocationibus; de septem Sanctis Sacramentis de omnibus vitæ ducendæ rationibus, eiusque Officijs, in triplici Christianæ Reipubl. Statu, Seculari, Ecclesiastico, & Religioso: eo qui sequitur ordine ac dispositione.

TOMO PRIMO,

AGITVR DE CHRISTIANI HOMINIS PERFECTIONE, à prima sua vocatione, & regeneratione spirituali, vsque ad exitum ex hac vita: continet autem quinque hoscè Tractatus.

Primus est de Vocatione ad Sanctam Catholicam fidem, Gratiæque statum, & perfectam peccatoris conuersionem.

2. De Sacramentis BAPTISMI, & CONFIRMATIONIS; & Perfectione, quam eiusdem initiati profitentur.
3. De Sacramento POENITENTIAE eiusque partibus, deque perfectæ vitæ reformatione, ad quam illud dirigitur.
4. De Sacratissimo EVCHARISTIAE Sacramento; & excellentissima perfectione, quam frequenter communicantibus illud impertit.
5. De perfectione in corporis morbis, vitæque periculis, ac de EXTREMAE VNCTIONIS Sacramento.

TOMO II.

AGITVR DE PERFECTIONE CHRISTIANI HOMINIS in genere vitæ, officijsq; Reipubl. Secularis, Ecclesiasticæ, ac Religiosæ; nominatim verò Secularis: cuius erunt quinque Tractatus.

Primus de Prouidentia Dei in distribuendis Statibus, Officijs, vitæque Conditionibus Reipubl. Christianæ; & de propria cuiusque earum perfectione.

2. De eiusdem Dei prouidentia circa tentationes occurrentes contra omnium Statuum perfectionem; deque ratione eas superandi.
3. De perfectione eorum, qui Christianam Rempub. præcipuè Secularem gubernant.
4. De Perfectione in gubernanda familia; & in communi agendi modo inter superiores, & inferiores; atque inter pares.
5. De MATRIMONII, & Viduitatis Statibus; & propria cuiusq; perfectione.

TOMO III.

AGITVR DE PERFECTIONE CHRISTIANI IN STATIBUS Continentiæ & Religionis; & Euangelicorum Consiliorum obseruantia. Eius erunt Tractatus quatuor.

Primus erit de Statu Virginitatis & Continentiæ earum certaminibus ac victorijs; & virtutibus eas comitantibus.

2. De Statu Religionis, & ad varia Religiosa instituta Vocatione.

3. De

3. De ipso in Religionem ingressu, tentationibus, & experimentis præmittendis ipsisque votis ac Professione.
4. De ipsorum Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, Legumque suæ Instituti cuiusque Regularum perfecta obseruatione.

TOMO IV.

AGITVR DE PERFECTIONE CHRISTIANI IN OMNIbus Statibus, Officijs, ac Ministerijs Hierarchiæ & Reipub. Ecclesiasticæ. Habebit Tractatus sex.

Primus erit de Sacramento ORDINIS, & Sacerdotio, & omnium Ecclesiasticorum Perfectione.
2. De sacrosancto Missæ Sacrificio, eiusque peragendi, & audiendi perfectione.
3. De perfecta diuini Officij Recitatione, & Cantu.
4. De Ministerio animas adiuuandi; & nominatim Confessarij.
5. De Munijs Doctorum, & eorum qui disciplinis tradendis occupantur.
6. De Episcopis, alijsque Prælatis, & ratione qua illi debeant cum perfectione Animarum curam gerere.

R. P. PETRVS RIBADENEIRA IN CATALOGO Scriptorum Societatis Iesu.

LVDOVICVS à Ponte, natione Hispanus, patriâ Pincianus, ab ipsis incunabulis factus, atque educatus videtur ad pietatem. Societatem nostram expetiuit annum agens XX. atque admissus est anno salutis M. D. LXXV. cùm iam & Philosophicis disciplinis esset instructus, & duos annos in sacra Theologia vtiliter posuisset. Deindè prosecutus est studia litterarum, in quibus longo post se interuallo cõdiscipulos omnes reliquit, propter ardorem animi, ingenium, atque acre iudicium: Itaque Aristotelis cursum (vt vocant) docendo confecit, & sacram etiam Theologiam professus est acutè, grauiter, eruditè. Sed cùm non minùs vitæ integritate, ac religione, quàm ingenio, atque doctrina excellat, Magistri Nouitiorum, atque Rectoris partes Ludouico sæpè mandatæ sunt, easque pe egregiè obiuit. sed tenuis potiùs nulla valetudine, quâ semper conflictabatur, coactus est interrumpere, & gubernandi, & docendi cursum, & animum ad ea scribenda transferre, quæ longo vsu, assidua meditatione, perpetua sui mortificatione didicit, & non tam ex aliorũ libris hausit, quàm in se ipse expertus est. Scripsit materna lingua pias, doctas, perutiles, *Mysteriorum fidei meditationes. 6. partibus distinctas.*

Prætereà insigne volumen, cui titulus est *Dux Spiritualis; continens Tractatus 4. De Oratione 2. De Lectione & meditatione 3. De contemplatione. 4. De mortificatione.*

Quatuor itẽ Tomos *De Perfectione Christiani hominis, in quolibet eius vitæ genere.* Quos omnes ex Hybericis latinos fecit R. P. Melchior Treuinnius Societatis nostræ.

Prætereà latinè edidit expositionem moralem & mysticam in Cantica Canticorum, Tomis duobus.

R. P. LVDOVICI DE PONTE IN TOMOS QVATVOR DE CHRISTIANA PERFECTIONE PROLOGUS.

PIO LECTORI.

CVM verè magnus, Trinusque & vnus DEVS noster, æquè NATVRÆ sit auctor ac GRATIÆ; rerumq; omnium, quas naturales & supernaturales nuncupamus: altissimâ sapientiâ suâ eas, quæ GRATIÆ sunt, cum quadam proportione ac similitudine ad eas, quæ sunt in NATVRA cõstituit. De qua Natura ait Isaias, quod a *molem terræ tribus digitis appendit*, tribus scil. præcipuis, quæ à Patris Omnipotentia, Filij Sapientia, & Spiritus sancti Bonitate & Charitate continuè procedunt operibus eam sustentans: CREATIONE, qua rebus omnibus dat esse, cùm illud primùm recipiunt; CONSERVATIONE, qua easdem sustentat; eisq; de omnibus, quæ ad earũ in esse, quod receperunt, durationem necessaria sunt, prospicit; ac PROVIDENTIA gubernatione que, qua ad finem, in quem fuerunt creatæ, illas dirigit: Eundem in modum, quà Auctor est Gratiæ, *appendit* Ecclesiam suam *tribus digitis*: nam tribus alijs glorioſis operibus eam sustentat, in quibus multò ampliùs & infinita eius SAPIENTIA, OMNIPOTENTIA, CHARITASQVE resplendet: & suauis, quam de hominibus gerit, PROVIDENTIA elucet. Præstat enim erga eos officium Patris adeò excellenter, vt de eo dixerit idem Propheta: b *tu pater noster: & Abraham nescivit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine Pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Latet verò magnum mysterium in eo quod dicit: Abraham *nescivit*, & Israel *ignorauit*. quia nullus carnalium parentum sciuit vnquam, quos filios esset progenituras; nec eorum proprietates & propensiones aut exitus siue fines, quos, si generarentur, habituri essent, cognouit: imò etiam postquam eos genuit, adeò breuis est exigua que eius cognitio, & cura, quam de illis habere potest, vt ferè nec tunc eos nouisse dicatur: eò quòd soli Deo totum id reseruetur, cuius *nomen* est *à sæculo*: cui cùm ab æterno competat patrem esse vnici filij sui naturalis; decreuit etiam multos habere filios adoptiuos, quos tribus suis digitis appensos gestet. Infinita enim suâ sapientiâ, antequam illi esse accipiant, ex proprio eos nomine nouit; scitque, quas habituri sint propensiones quod bonum facere possint; & quæ ipse in illos beneficia conferre; quos immensa sua Charitate dilexit, sibique in eis complacuit, statuens, hunc amorem in rebus omnibus, quæ ad talis Patris filios meritò spectarent, ostendere; admirandaque suâ omnipotentiâ eisdem confert, quicquid excellentissimus parens potest, debetque charissimo filio communicare. Quamobrem solus ipse

glorio-

a *Isai.40. 12.*

Tres digiti Dei.

b *Isai.63.16.*

Parentes nesciunt nos.

glorioſam adeò compellationem promeretur, iuxtà illud CHRISTI Domini: c *patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim* PATER *veſter qui in cælis eſt. nec vocemini Magiſtri: quia* MAGISTER *veſter vnus eſt Chriſtus.* Nullus enim alius horum cognominum excellentiam in eius comparatione promeretur. Nam ſi tria illa conſideremus, quæ veri parentis ſunt propria: generare ſcilicet filium hominem; eundem nutrire ac ſuſtentare, donec ad perfectam ætatem perueniat; ac denique in eo vitæ ſtatu, officioque collocare, in quo ad mortem vſq; viuat honoratè; inueniemus, omnia hæc tria præſtare DEVM noſtrum cum infinito quodam exceſſu, & eminentia. Omiſſis igitur ijs, quæ facit DEVS erga homines, quà eorum naturæ eſt auctor, eò quòd ea ad noſtrum inſtitutum non ſpectent: eſt certe omninò admirãdus in ijs, quæ erga nos præſtat, quà auctor eſt gratiæ. Regenerat enim nos in ſupernaturali hoc eſſe, dum Fidem nobis, Spem, & Charitatem cum cæteris Spiritus ſancti donis communicat: cõſtituens nos veros filios ſuos, cum iure Regni cœlorum hæreditatem adeundi. Quod ſi contingat, huiuſmodi filios mori, amittentes ſcilicet gratiam & charitatem, ob lethalem aliquam culpam: facit hic cæleſtis Pater, quod nullus alius efficere poſſet. reſuſcitat enim illos, redditque mediâ Pœnitentiâ priſtinum ESSE ſpirituale. Quam ob cauſam Iſaias nomen PATRIS cum REDEMPTORIS nomine coniunxit: huius quippè cœleſtis Patris proprium eſt, filios ſuos redimere, & à Dæmonis infernique ſeruitute liberare; ac ne in eadem incommoda relabantur, præuenire. Et hinc eſt, quod recipiat in ſe, iam genitos, in omni virtutum genere educare; varia adhibens media, vt in eiſdem vſq; ad omnem perfectionem proficiant. Nec his contentus, paterna ſua prouidentia vult, quaſi manu propria vitæ genus, officiaque maximè illis accommodata tribuere: quibus tum in hac vita ſpiritualem perfectionem; tum in altera, cæleſtem hæreditatem conſequantur. Quo verò efficacius, ſuauiusque vtrumque obtineant, idem ipſe MAGISTRI officium exactiſſimè præſtat, filios ſuos omnia docens, quæ ſunt illis ad ſalutem & perfectionem, in quacunque ætate, ſtatu, & vitæ genere conſequendam, neceſſaria: nec ſatis ſibi eſſe exiſtimat, ſi Magiſtrorum huius mundi more, exteriùs tantùm veritates illis proponat; ſed interiùs quoque lumen infundit, quo eas intelligant ac penetrent: ipſam etiam permouens voluntatẽ, vt ad eaſdẽ amplectendas afficiatur. vires inſuper & fortitudinem addẽs, ad præſtandum quicquid poſſunt ac debent, vt ſupremum, in quem deſtinati ſunt, finem conſequãtur: perfectam videlicet cum cæleſti ſuo MAGISTRO ſimilitudinem, in qua omnis vitæ huius ſanctitas perfectioque conſiſtit, iuxtà ipſius noſtri Saluatoris verbum illud: d *perfectus omnis erit ſi ſit ſicut Magiſter eius*; ſi videlicet eum, qui ſuam ipſi doctrinam tradit, in vita fuerit imitatus.

c Matt. 23, 9

Tria officia parentum.

Generatio.

Educatio.

Vitæ ſtatus

d Luc. 6. 40

SVPERNÆ huius prouidentiæ executioni subseruiunt præcipuè diuinæ voctiones: quæ tum Spiritus sancti inspirationes, tum varia externa media cõplectuntur, per quæ vocationes ipsæ dirigũtur: quæ ad triplicem ordinẽ, iuxta tria illa, quæ cælestis nostri Patris prouidentiæ sunt propria, reuocari possunt. Quædã enim eò tendunt, vt peccatores gratiã recipiãt, aut reparent: Aliæ, vt per varia studiosa exercitia, in perfectione proficiãt; Alię, deniq; vt id vitę genus officiũq; amplectãtur, quod illis ad eum finem magis expedit. In eosdem fines instituit Christus D.N. in Ecclesia sua septem admirãda Sacramẽta: quorum aliqua spirituale Gratiæ Esse cõmunicãt; alia eãdem gratiam augẽt, ad eamq; perfectionẽ, quam habere debet, promouẽt; alia deniq; statũ vitæ officiumq; cõferunt, simul cum gratia copiosa, ad eam perfectionẽ consequẽdam, ad quam status ille & officium dirigũtur. Deniq; quoniam variæ sunt hominũ propẽsiones, variaq; Ecclesię & Christianæ reipub. munia siue ministeria, varios quoq; status & officia instituit, quæ diuersis hominibus aptari & accõmodari possint: prospiciẽs illis de auxilijs necessarijs, vt in eo vitæ statu perfecti euadant, qui ex diuina Vocatione & electione illis contigerit. Omnes tamen sub illo communi militant, quem STATVM CHRISTIANI vocamus: eo quod is ratio sit quædam vitæ firma & stabilis, ab ipso Christo D. N. instituta: vt, qui Esse & naturam hominis acceperunt, sancti ac perfecti esse animasq; suas saluare possint.

LIBRI HVIVS PARTITIO.

Primus Tomus.

1.

HÆc *summa est rerum omnium, quas paterna* DEI *nostri prouidentia complectitur: vt liceat omnibus consequi* PERFECTIONEM, *quæ huius operis est argumentum. Cuius erunt quatuor Volumina siue Tomi.* PRIMVS *de iis omnibus aget, quæ perfectus Christiani hominis status complectitur, à prima sua vocatione & natiuitate spirituali, vsque ad mortem, iis tantum adductis, quæ omnibus Christianis competunt, in quocunque sint vitæ statu constituti, Saculari, Ecclesiastico, aut Religioso. Eius erunt Tractatus quinque.* PRIMVS, *de omnibus diuinis vocationibus; quæ ad Esse gratiæ primum consequendum, aut semel acceptum, sed peccato fortè aliquo amissum, reparandum diriguntur: agetur proinde in eodem de Vocatione ad Catholicam Ecclesiam, ad veram Fidem recipiendam, ad Spei virtutem & Charitatis vitam restaurandam: de omnibus denique internis externisque mediis, quibus* DEVS *noster vtitur, ad vocandos omnes peccatores, tam Christianos, quàm Ethnicos, ad perfectissimam Conuersionem ineundam.*

2.

SECVNDVS *Tractatus erit de Sacramentis Baptismi & Confirmationis, quæ nos in perfecto statu Christianorum constituunt. Ostendentur vero præstantes eorum fines, effectusque excellentis perfectionis, ad quam deducunt; variæque ab ipsa infantia ad eandem obtinendam, vocationes, ac media quæ* DEVS *noster*

ad id-

ad id adhibet: quemadmodū in horum Sacramentorum institutione ac Cæremoniis adumbrantur. Et quoniam bonum illud, quod communicant, deficere potest, TERTIVS *Tractatus erit de Sacramento Pœnitentiæ, (quæ omnes illos defectus reparans, deducit nos ad perfectionem, quam Christianus Status exigit) in quo declarabimus singillatim omnes eius actus:* CONTRITIONEM, *circa quam septem de peccatis considerationes proponentur, quæ ad perfectum de eis dolerem concipiendum, permoueant;* CONFESSIONEM, *de cuius tam particularis, quam generalis totius vitæ instituendæ ratione, & efficacibus emendationis propositis; nec non de Confessarii admonitionibus, reprehensionibusque humiliter audiendis & acceptandis agetur;* SATISFACTIONEM *denique cum exercitus operum pœnalium, tum ad satisfeciendum pro culpis admissis; tum ad vitam moresque reformandos, prout bonum perfectumque Christianum decet, necessarii:* QVARTVS *Tractatus erit de SS.* ALTARIS *Sacramento, & excellentissima perfectione, ad quam ordinatur, & quam nobis communicat: declarando omnia, quæ illud complectitur: effectus intelligo, quos producit, dispositiones, quas in suscipiente exigit, & fructus, quos profert. vbi & variæ considerationes ponentur, pro septem hebdomadæ diebus, variaque documenta, ad fructum ex diuinis visitationibus hauriendum.* QVINTVS *Tractatus erit de perfectione in morbis, mortisque periculis obseruanda, ad quam* EXTREMÆ VNCTIONIS *Sacramentum dirigitur: aperientur item morborum radices, fines, & commoda. Proponentur quoque septem Considerationes earum rerum, quæ ad patientiam in eis seruandam, solatiumque hauriendum conducunt: & rationes earum incommodis occurrendi, tentationibus resistendi, nosque ad bonam mortem, quæ sit transitus ad æternam vitam, preparandi.*

3.

4.

5.

In tribus reliquis Tomis agetur de perfectione in omnibus Statibus, Officiis, & vitæ generibus, quæ sunt in triplici Christiana Republ. Sæculari, Ecclesiastica, & Religiosa, deque propriis cuiusque Status vocationibus.

Secundus.

IN SECVNDO *enim Tomo, qui etiam quinque Tractatus continebit, ostendetur admiranda Dei nostri prouidentia in distribuendis Statibus, vitæque rationibus, in propensionibus ac talentis ad eas communicandis: in permittendis pugnis, ac tentationibus, quæ in illis occurrunt: omnes adiuuans, vt eas superare possint. In particulari vero agetur de Statibus & Officiis Reipubl. Sæcularis, tam Regum, Principum, & Iudicum, qui illam gubernant: quam Ciuium cæterorum in propriarum familiarum gubernatione, & mutua aliorum cum aliis tractatione: de Statibus denique Matrimonii ac Viduitatis, & iis omnibus, quæ cum illis sunt coniuncta.*

Tertius.

TERTIVS *Tomus aget de Statibus Virginitatis & Continentiæ, de Religione, variisque eius institutis; de Probationibus siue experimentis, quæ ingressum ipsum præcedunt, de Votis & Professione ipsa perfectaque tum Votorum, tum Legum siue Regularum aliarum obseruatione.*

QVARTVS *Tomus erit de Officijs omnibus ac ministerijs Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & initio facto à Sacramento Ordinis, agetur de Sacrosancto Missæ Sacrificio, de Horis Canonicis, Officijs docendi, concionandi, sacrasq; Confessiones audiendi: de Episcopis, Prælatis, curaq; & gubernatione animarum. Hæc omnia distinctius proponentur in Præfatione cuiusq; Tomi, deducenturq; fusius in ipsis Tractatibus: vt quemadmodum dixit Apostolus: c omnes homines sint perfecti in Christo* IESV *obseruantes scil. perfectè præcepta & consilia suorum Statuum.*

c Coloss. 1. -8.

QVO *vero ipsi Tractatus cum maiori vtilitate, gustuque spirituali legantur, operam dedi, vt eorum doctrina ei semper innitatur, quam supremus noster Magister nobis in Sacra Noui ac Veteris Testamenti Scriptura reuelauit. in cuius libris res admirandæ proponuntur circa has Vocationes, & Perfectionem in omnibus Statibus, licet nominatim magna eorum pars fundetur in literali & mystica sacræ Historiæ* RVTH *declaratione, in qua refert Spiritus Sanctus miram eius vocationem & conuersionem ex gentilitate ad fidem, verique Dei religionem & exercitia, quibus sese addixit; & vitæ Statum, quem* DEVS *illi dedit, cum nupsit* BOOZ: *ex quo filium habuit, Regis Dauidis parentem, ex cuius prosapia descendit Messias* CHRISTVS *Dominus noster, qui Sancto Euangelistæ Matthæo inspirauit, vt initio sui Euangelii, eius mentionem faceret. Sed quoniam omnes hi euentus (vt ait Apostolus) f in figura contingebant, & alijora quædam, in Nouo Testamento futura adumbrabant: & Scriptura ipsa diuina, (teste S. Gregorio) dum refert historiam, mysterium insinuat: in hac, quæ tantum quatuor capitibus continetur, multa & magnifica mysteria adumbrata videbimus. Etsi enim liber hic sit paruus, illi tamen optimè quadrat, quod S. Hieronymus de S. Pauli Apostoli Epistola ad Philemonem dixit: quod sit omnium Epistolarum eius minima; de aliquibus libris Prophetarum, qui inter cæteros, Minores appellantur: habent vero inquit) res adeo stupendas, & magnificas, vt vix scias, an verborum breuitatem; an sensuum & mysteriorum profunditatem admirari debeas. Quod idem de hoc libro* RVTH *non immerito sentire licet: qui cum inter Historicos sit minimus, nescio, an magis Historiæ breuitatem admirer, an mysticorum sensuum profunditatem: quos Spiritus Sanctus in ea insinuauit: quemadmodum in horum Tractatuum decursu apparebit. Hoc solum monuerim, quoniam non est animus, Commentarios in Sacrum hunc librum edere, non secuturum me eius ordinem, sed accepturum ex singulis eius Capitibus, quæ ad propositam dispositionem facere videbuntur: adhærendo in iis, quæ dixero, declarationibus SS. Patrum, & Ecclesiæ Doctorum: quorum me correctioni demissè subiicio.*

f 1. Cor. 10. 11.

Lib. 10. Moral. c. 1. In Prologo eius Epist. tomo 9.

Liber Ruth plenus mysterijs.

INDEX CAPITVM TRACTATVS PRIMI, TOMI PRIMI, De Varijs Ad Catholicam Fidem, Gratiæque Statum Vocationibus, & perfecta peccatorum conuersione.

INTRODVCTIO, De quatuor Diuinis Beneficijs, in quibus salutis ac perfectionis nostræ opus consistit, & textus RVTH cap. 1.

CAPVT I. Beneficium Prædestinationis & specialis Dei erga electos prouidentia: quantusque eorum sit numerus. 4

§. 1. *Tria erga Dei electos officia.* 6

§. 2. *Scala qua in Cælum ascenditur.* 9

§. 3. *Numerus prædestinatorum.* 11

§. 4. *Contra pusillanimes & curiosos.* 15

CAP. II. De vocatione Diuina, Deique inspirationibus, in quibus illa consistit, & eius effectibus ad conuertendos peccatores. 17

§. 1. *Quosnam effectus vocatio lumine cœlesti perficiat.* 19

§. 2. *Alij Diuinæ vocationis effectus.* 22

CAP. III. Admirandis vijs & rationib. Deus Dominus noster, vniuersos mundi peccatores vocat, offerens illis media, auxiliaque ad conuersionem sufficientia. 25

§. 1. *Ordinaria & Extraordinaria vocatio.* 28

§. 2. *Deum inspiratione sua omnes peccatores vocare.* 89

§. 3 *Deus iubet suos ministros admittere, quos ipse vocat peccatores:* 32

CAP. IV. Deus D. N. vehementer esurit conuersionem peccatorum: quod si aliqui pertinaciter ipsi resistant, accipit inde occasionem efficacius alios in illorum locum vocandi. 35

§. 1. *Gentium vocatio ob Iudæorum pertinaciam.* 36

§. 2. *Admiranda alia vocationes.* 39

CAP. V. Vocatio ad peccata fugienda; & mundus Christo aduersarius, ob sex ingentes eius miserias. 41

§. 1. *Tres huius mundi miseriæ.* 43

§. 2. *De tribus alijs eiusdem mundi miserijs.* 45

CAP. VI. Progressio fit in puncto præcedenti, ac indicatur duplex fames, quæ est in mundo. 48

§. 1. *De quinque famelicorum peccatorum generibus.* 50

§. 2. *Vocatio diuina inuitat, monetq; nos vt ab hu miserijs fugiamus.* 52

CAP. VII. Vocatio ad ingrediendam ipsam Ecclesiam, fidemque Catholicam profitendam: in qua sola Ecclesia inueniuntur bona, mediaque ad nostram salutem necessaria, quorum summa subijcitur. 54

§. 1. *Stabilitas & Sanctitas Ecclesiæ in variis Statibus.* 59

§. 2. *Sacramenta & Sacrificia.* 58

§. 3 *Diuinæ Scripturæ, & spirituales cibi.* 61

§. 4. *Veræ Ecclesiæ signa.* 64

CAP. VIII. Ecclesia virtute diuinæ Vocationis filios suos generat, quos eadē vocatio facit mysteria fidei firmiter credere, sectas verò cōtrarias omninò reijcere. 66

§. 1. *Ingressus per fidem in Ecclesiam.* 68

§.2 *Quatuor fidei Catholicæ sectæ contrariæ.* 69
CAP. IX. Præcipui fidei Catholicæ fructus, ex quibus veritas deprehenditur. 73.
§.1. *Fructus fidei.* 77
§.2. *Qua ratione fides prædictos fructus producat.* 78
CAP. X. De Vocatione ad obtinendum & reparandum statum gratiæ peccatores iustificantis, & admirandis, quæ in se continet, commodis. 81
§.1. *Dignitas filiorum Dei.* 82
§.2. *Spiritualis Desponsatio.* 85
§.3. *Dignitas Deum secum habendi.* 88
CAP. XI Tria peccatorum genera conuertit mirabiliter Vocatio Diuina, reparans vitam charitatis, aut etiam spem veniæ, & ipsam fidem, quando amittitur. 90
§.1. *Diuina Vocatio reparat vitam Charitatis.* 92
§.2. *Vocatio, Spei virtutem reparat.* 95
§.3. *Diuina vocatio fidem reparat.* 98
CAP. XII. Externa media, per quæ peccatorum Vocatio & Conuersio dirigitur pag 99. nominatim per Conciones pag. 100. pios libros pag. 102. & Exempla bona. 104
CAP. XIII. Deus Dominus N. Peccatores tum prosperitatibus ac beneficijs, tum aduersitatibus, & supplicijs vocat. 106
§.1 *Vocatio per beneficia.* 107
§.2. *Multi in prosperitate constituti Deo resistunt.* 111
§.3. *Vocatio per aduersa.* 113
§.4. *Bona ex aduersis.* 115
CAP. XIV. Exitialem mortem esse aliquorum peccatorum pœnam: medium verò diuinæ Vocationis ad aliorum conuersionem: Deique iudicia in huiusmodi varijs euentis valdè esse occulta. 119
§. 1. *Iudicia Dei elucere in morte aut vocatione variorum peccatorum.* 120
§.2. *Iudicia Dei in eiusdem peccati complices quos aut vocat aut perdit.* 123
§. 3. *Deus occultis suis Iudicijs peccatores aliquos in flore ætatis punit, vt sic alios vocet.* 127.
CAP. XV. Memoriam vltimæ vocationis ad Iudicium, quod fit in morte cuiusque, medium esse diuinæ Vocationis. 130
Consideratio de vocatione ad Iudicium. 131
CAP. XVI. Timorem vltimæ Tribulationis in mundi fine futuræ, eorumque considerationem, quæ tunc euenient, diuinam esse vocationem. 136
§.1 *Luciferi persecutio.* 137
§.2. *Mundi turbatio.* 140
CAP. XVII. Peccatores Orationibus, & Misericordiæ operibus obtinere posse efficacem suam Vocationem & Conuersionem. 142
§.3. *Oratio.* 143. §.2. *Iustorum & Sanctorum Orationes.* 145
§.3. *Eleemosynæ & opera Misericordiæ.* 148
§.4. *Qualis debeat esse misericordia, & quod à propria anima sit inchoanda.* 150
CAP. XVIII. Summarium rationum, ob quas Dei Vocationi sit parendum: & solutio inanium excusationum, quas ignaui, & pusillanimes proferunt. 153
§.1 *Particularis quatuor harum rationum consideratio.* 154

§. 2 *Contra pigrorum excusationes.* 15
§. 3. *Aduersus excusationes eorum qui pusillo sunt animo ac diffidunt.* 153
CAP. XIX. Decem tituli obstringunt nos ad excellentem Conuersionem & qua ratione perfectiùs Dei Vocationi respondeatur. 162
§. 1. *Qua ratione sit exacte Dei Vocationi obediendum.* 163
§. 2 *Prædicta confirmantur exemplo feruentis* RVTH *conuersionis.* 168

INDEX CAPITVM TRACTATVS Secundi.

DE BAPTISMI & CONFIRMATIONIS Sacramentis & perfectione, quam ea suscipientes profitentur. 171
CAP. I. BAPTISMVS, eius excellentiæ & effectus; & ad eum percipiendum Vocatio. 174
§. 1. *Quinam sint effectus Baptismi.* 175
§. 2. *Baptismus est vnica Ecclesiæ porta.* 178
§. 3. *Cur Baptismus non remoueat prauas animi propensiones.* 182
§. 4. *Quæ auxilia Baptismus conferat.* 184
CAP. II. Vocationem Christianorum propriam per Sanctum Baptisma eò dirigi, vt fiant Milites Christi; eiusque crucem & legis Euangelicæ iugum tollant. 186
§. 1. *Vocatio ad crucem tollendam ad imitationem Christi.* 188
§. 2. *Vocatio ad Christianæ perfectionis iugum tollendum.* 190
CAP. III. Ratio veritatem & firmitatem Vocationis examinandi ad Christum sequendum, & Baptismum, & quemcunque alium Statum in Ecclesia suscipiendum. 194
§. 1. *Ratio Vocationes examinandi.* 196
§. 2. *Prædicta confirmantur exemplo* NOEMI. 199.
CAP. IV. Baptismum aliumve Statum susceptvros, prænoscere oportere onera illis conjuncta, vt maiori firmitate & spiritus feruore illos suscipiant. 203.
§. 1. *Modus prædicta in praxin deducendi.* 205
§. 2. *Confirmantur prædicta feruenti* RVTH *exemplo.* 208
CAP. V. Quod Sacramentum CONFIRMATIONIS copiosam conferat gratiam ad crescendum & firmiter standum in Confessione Fidei ac perfectione quam in Baptismo professi sumus. 210
§. 1. *Duplex effectus, finesq; præcipui Confirmationis.* 211
§. 2. *qua ratione pudor & humanus timor superentur.* 213
CAP. VI. De speciali Vocatione ad perfectionis Christianæ sublimitatem, quam profitentur, qui Confirmationis Sacramentum suscipiunt: & omnes posse ac debere ad eam contendere. 217
§. 1. *Ad tres gradus perfectionis nos vocari.* 218
§. 2 *Qua ratione omnes contendere debeant, ad tres prædictos perfectionis gradus peruenire.* 22.

CAP. VII. Deum vocare eos, qui teneræ sunt ætatis, vt in sanctitate quam in Baptismo & confirmatione accipiunt, perficiant & crescant: & quanta perfectio illis commendetur. 224
§. 1. *Rationes diuinæ huius prouidentiæ.* 225
§. 2. *Quod adolescens debeat se leuare super se, vt perfectus euadat.* 228
§ 3. *Septem virtutes per quas adolescenti sit ad hãc perfectionem ascendendum.* 230
CAP. VIII. Recensentur interna media, quibus Spiritus Sanctus iustos fouet; vt crescere & perseuerare possint in perfectione, quam in Sacramento Confirmationis profitentur. 234
§. 1. *Quatuor virtutes Cardinales.* 235
§. 2. *Actiones vitæ contemplatiuæ.* 237
CAP. IX. Quòd Patrini adhibeantur in Baptismo & Confirmatione, indicare necessitatem habendi spirituales Patres, quorum opera perfectionem consequamur, & qua ratione sit eis parendum. 239
§. 1. *Semper opus esse Patre spirituali.* 241
§. 2. *Firmitatem & Constantiã non debere esse soli vni spirituali Patri alligatã.* 242
§. 3. *In quibus rebus, & qua ratione Patribus spiritualibus sit parendum.* 245
CAP. X. Varios prosperos & aduersos euentus medium esse diuinæ vocationis: quibus iusti confirmantur, & perficiuntur, fiuntque omnibus illis superiores. 249
§. 1. *Quatuor excellentias obtineri, rerũ prosperarum, & aduersarum varietate.* 250
§. 2. *Confirmantur prædicta exemplo* NOEMI. 252
§. 3. *Idem confirmatur exemplo* RVTH. 255
CAP. XI. Dei Christiq; præsentiam, ac feruentium in messe virtutum exempla plurimum adiuuare ad constanter in eisdem progrediendum. 257
§. 1. *Christi D. N. qua Deus, & quà homo est præsentia.* 258
§. 2. *Feruentium societas.* 59
CAP. XII. Bona exercitia non inaniter interrumpenda, sed continuanda: talemque in ijs consuetudinem esse contrahendam vt perduret per totam viam. 263
§. 1. *Bonæ relaxationes.* 265
§. 2. *Laudabilem consuetudinem in bonis exercitijs esse faciendam.* 267
§. 3 *Lustranda & examinanda esse opera nostra ad finem diei.* 269

INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.

DE Sacramento POENITENTIAE, eiusque partibus: ac de perfecta vitæ reformatione, ad quam illud dirigitur. 271
CAP. I. Excellentiæ & vtilitates S. Sacramenti POENITENTIAE. ibid.
§. 1. *Aliæ eiusdem Sacramenti excellentiæ.* 273
§. 2. *Quædam Sacramenti Pœnitentiæ proprietates.* 278
CAP. II. Quos actus Sacramentum POENITENTIAE complectatur: ac diuinam vocationem ad eos exhortari. 379
§. 1. *Diuina ad omnes hos actus Vocatio.* 280
§. 2. *Prima via Pœnitentiæ.* 282
CAP. III. De Attritione & Contritione Peccatorum: & propositis quæ illæ complectuntur, ac motiuis quibus eædem innituntur. 285

§.1. *Proposita quæ continentur in Contritione.* 288
§.2. *Contritionis motiua.* 290
CAP. IV. Considerationes septem de peccatis, quatenus illa diuinam Maiestatem & Christum Seruatorem nostrum offendunt: quæ iuuant ad perfectam Contritionem. 294
Consideratio prima de peccatis, quà tendunt contra Dei naturam, æternam & infinitam. ibid.
Secũda Consideratio de peccatis, qua Sapientiæ & immensitati Dei aduersãtur. 296
Tertia Consideratio de peccatis, quà aduersus Dei Omnipotentiam & Prouidentiam tendunt. 297
Quarta Consideratio de peccatis, quà infinitam Dei Charitatem & Misericordiam offendunt. 299
Consideratio quinta de peccatis, quà Dei Iustitiæ & Misericordiæ aduersantur.
Sexta Cõsideratio de peccatis nostris, quà sunt cõtra Christi D.N. Redemptionẽ. 303
Consideratio septima de peccatis, quà tendunt contra specialia beneficia, quæ à Christo Seruatore nostro accepimus. 307
CAP. V. De Sacramentali Confessione: in qua, ob secretorum peccatorum manifestationem, gloriosa & præstans obtinetur victoria. 309
§ 1. *Quanti referat confitendi pudorem superare.* 310
§.2. *Refutantur rationes quas pro se affert vitiosus pudor.* 314
CAP. VI. Confessionem præcedit Examen ad imitationem Iudicij extremi. Iudicantur omnes modi peccandi, in commodum huius examinis vsum. 317.
Peccata omnia ad octo legis Dei mandata summatim reducuntur. 320
Circa primum Præceptum. ibidem — *Circa secundum Præceptum.* 321
Circa tertium Præceptum. 322 — *Circa quartum Præceptum.* 323
Circa quintum Præceptum. 324 — *Circa sextum Præceptum.* 325
Circa septimum Præceptum. 326 — *Circa octauum Præceptum.* 327
Peccatorum circumstantias esse exprimendas. 328
CAP. VII. Duplex Confessio, Particularis, & totius vitæ Generalis: quibus temporibus vtraque facienda: & monita quædam, vt rectè illæ fiant. 329
§.1. *Confessiones particulares.* 332
§.2 *Monita pro confessione.* 334
CAP. VIII. Qua ratione Deus per Confessarios adiuuet ad magnas Confessionis difficultates superandas: quales ipsi Confessarij esse debeant, & quam eisdem pœnitentes ipsi subiectionem debeant. 337
§.1. *Qua ratione cor emolliatur & extricetur.* 339
§.2. *Quales esse debeat Confessarius.* 343
CAP. IX. Humiliter & sine excusationibus audiendam esse Confessarij correptionem; & cuiusuis amici, qui ex charitate de nostris defectibus nos admonet. 346
§ 1 *Quam sit noxium correptionem non admittere: & manes ad id excusationes adferre.* 349
§ 2. *Ratio & modus correptionem accipiendi.* 353
CAP X De Sacramentali Satisfactione per Ieiunia, Eleemosynas, & Orationem;

& perfecta reformatione, quæ eisdem operibus obtinetur. 365
§. 1. *Tria opera Satisfactoria.* *ibid.*
§. 2. *De reformatione ad quam hæc opera diriguntur.* 359
CAP. XI. Mortificationes & Pœnitentiæ corporales. earum vtilitates, & ratio eas cum Spiritu faciendi. 361
§. 1 *Decem vtilitates siue fructus mortificationum & pœnitentiarū corporaliū.* 362
§ 2. *Quo spiritu externa pœnitentia sint peragenda.* 366
CAP. XII. De Eleemosynis & Misericordiæ operibus, & ratione qua tam diuites quam pauperes possint eas excellenter exercere. 368
§. 1. *Ratio perfectè faciendi Eleemosynas pro diuitibus.* 370
§. 2. *Qua ratione pauperes possint Eleemosynas facere.* 374
CAP. XIII. Orationes satisfactoriæ, & quòd Vocatio diuina post Pœnitentiam exhortetur, & impellat ad feruorē & perfectionē in bonis omnibus operib. 376
§. *Vnicus. Vocatio ad bona opera prædicta.* 377

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVARTI.

DE Sacratissimo EVCHARISTIAE Sacramento & excellenti perfectione quam sumentibus adfert. 381
CAP. I. Præsentiam Christi D. N. in sanctissimo EVCHARISTIAE Sacramento comprobant stupenda, quæ per illud facta sunt in mundo. ibid.
§. 1. *Mirabilia in mundi creatione.* 384
§. 2. *Mirabilia veteris legis.* 386
§. 3. *Mirabilia legis nouæ.* 389
§. 4. *Triplex Sacræ Eucharistiæ Finis.* 392
CAP. II. Quomodo Christus D. N. in hoc Sacramento occultatus, per Fidem ac Meditationem gustumque & spiritualem Communionis fructum cognoscatur. 394
§. 1. *Verba ipsa Christi operiūt & aperiunt, quod hoc Sacramentū in se continet.* 396
§. 2 *Ex delectationibus & fructibus, quos sentiunt, qui Sacramentum ipsum suscipiunt, veritatem eius manifestari.* 399
CAP. III. Ponuntur septem Considerationes rerum omnium, quæ in sanctissimo Altaris Sacramento continentur. 401
Consideratio prima generalis de rebus omnibus quæ in Sacra Hostia & Calice continentur. 402
Consideratio Secunda de glorioso Christi D. N. Corpore. 404
Consideratio tertia de pretioso Christi D. N. Sanguine. 407
Consideratio quarta de sanctissima Christi D. N. Anima. 409
Consideratio quinta de infinitis Christi D. N. meritis & satisfactionibus. 412
Consideratio sexta, quas virtutes Christus D. N. in hoc Sacramento exerceat. 414
Consideratio septima de Christi D. N. Persona ac diuinitate, quam Pater & Spiritus S. comitantur. 417
CAP. IV. Ex effectibus & fructibus Sanctissimi huius Sacramenti, eius excellentiam agnosci: illudque ad omnium diuinarum vocationum perfectionem obtinendam conferre. 420
§. 1. *Sacram Communionem augere Fidem & Spem.* 421

§.2. *Idem Sacramentum gratiam augere & feruorem in bonis operibus.* 423
§.3. *Præbet etiam in omni spirituali conflictu auxilium.* 426
§.4. *Etiam efficit perfectam cum Christo vnitionem & similitudinem.* 430
CAP. V Visitationes Christi D. N. in Sanctissimo Sacramento earumque effectus: & septem Considerationes circa eas. 432
§.1. *Septem insignes Saluatoris nostri visitationes.* 433
§.2. *Sanctissimam Eucharistiam lecticam esse Saluatoris ad has visitationes faciendas.* 441
CAP. VI. Generalis & specialis ad frequentem communionem vocatio: variæ rationes signa ac documenta. 444
§.1. *De Generali ad Sacram Communionem vocatione.* 446
§.2 *Summa rationum quæ persuadent frequentiam Communionis.* 448
§.3 *De speciali ad frequentiam Sacræ Communionis vocatione.* 451
§.4. *Documenta aliquot circa frequentem Communionem.* 474
CAP. VII. Quænam de peccatis & animi perturbationibus, nobisque ipsis victoriæ sint obtinendæ, vt cum perfectissima præparatione ad Communionem accedamus: & ingentia præmia iis victoribus in eadem Communione reddi. 457
§.1. *Triplex Victoria Sacram Communionem præcedere debet.* *ibidem.*
§.2. *Victoriæ aliæ magis particulares.* 460
§. 3. *Quæ præmia ijs reddantur, qui cum prædicta victorijs communicant.* 462
CAP. VIII. Causæ & radices non proficiendi ex frequenti communione, & earum remedia. 467
§.1. *Explicantur hæ tres radices.* 468
§.2. *SS. Sacramentum vesti comparatur.* 472
CAP. IX. varia & vtilissima documenta ad Sacramentalem Communionem cum spirituali & cum Oratione coniungendam; ex RVTH historia desumpta. 477
§.1. *Monita de Oratione & Communione.* 475
§.2. *Alia monita ad communicandum cum spiritu.* 479
CAP. X. De perfecta gratiarum actione post Communionem, & feruore in bonorum operum progressu: & quòd omnium fauorum, qui percipiuntur ratio sit spirituali Patri reddenda. 481
§.1. *Actus Humilitatis & Admirationis.* 482
§.2. *Alij actus & opera gratitudinis.* 485
§.3. *Quæ in Ratione hac reddenda sint obseruanda.* 488

INDEX CAPITVM TRACTATVS QVINTI.

DE perfectione in infirmitatibus & mortis periculis: ac de Extremæ Vnctionis Sacramento. 492
CAP. I. Causæ cur Deus D.N. hominibus mittat infirmitates: & commoda quæ inde pro suis electis eruit. 493
§.1. *Bona ex infirmitate.* 496
§.2. *Infirmitates magnorum Sanctorum.* 499

CAP. II. Aegritudinem esse medium ad Orationis donum impetrandum; & varios esse in ea orandi modos, actusque virtutum heroicarum. 502
§. 1. *De ordinaria & extraordinaria ægrotantium oratione.* 504
§. 2. *Modi orandi per varios affectus.* 506
CAP. III. Septem Considerationes ad infirmitates patienter alacriter, & vtiliter ferendas. 511
I. Consideratio de Prouidentia Dei circa nostras infirmitates. *ibidem*
II. Consideratio circa infirmitates, quæ nostris peccatis ita exigentibus eueniunt, in quibus tam diuina Iustitia, quàm Misericordia resplendet. 515
III. Consideratio Infirmitates conferendo cum inferni pœnis, quas nostris peccatis sumus promeriti. 518
IV. Consideratio de morbis qua nostra purgant peccata, & magnorum meritorum præbent occasionem. 521
V. Consideratio: Infirmitates comparantur cum præmijs, quæ de cœlo sperantur. 524
VI. Consideratio: Conferuntur infirmitates cum Christi doloribus in eius Passione. 526
VII. Consideratione de morbis qui propter fines gloriæ Dei Altiores eueniunt. 530
CAP. IV. Respõdetur querelis infirmorum ferentium, quod præstare non possint, quæ sani. Insinuantur summatim, quæ ipsis facienda sint; & Patientiæ bona. 533
§. 1. *Infirmos debere suis obligationibus satisfacere.* 535
§. 2. *Bona* PATIENTIÆ. 53
CAP. V. Perfectionis detrimenta quę ex infirmitatibus & conualescentia oriuntur: & ratio eis occurrendi. 524
§. 1. *Sex remedia contra hæc incommoda.* 544
§. 2 *Remedia incommodorum conualescentiæ* 547
CAP. VI. Vltima ad mortem infirmitas, & horrendæ illius horæ tentationes earumque remedia. 550
§. 1. *Contra tentationes, ex doloribus ac tristitijs prouenientes.* 553
§. 2. *Contra tentationes quæ oriuntur ex timore ipsius mortis* 556
§. 3. *Contra tentationes quæ oriuntur ex nimio timore damnationis.* 560
CAP. VII. De Extremæ Vnctionis Sacramento, eius effectibus, & ad bonam mortem auxilijs. 562
§ 1. *Septem Extremæ Vnctionis effectus.* 568
CAP. VIII. In quo consistat bonæ mortis præstantia, & quinam ex iustis pretiosiorem sortiantur. 566
§. 1. *In quo bona & mala mors consistant.* 567
§ 2. *Triplex mors pretiosa ex vitæ præstantia.* 569
CAP. IX. Triplex præparatio ad pretiosam mortem & transitum ad æternam vitam. 571
§ 1 *Prima præparatio totius vitæ.* 572
§ 2. *Secunda præparatio annua.* 574
§. 3. *Tertia præparatio imminente iam morte.* 576

FINIS.

R. P.

LVDOVICI DE PONTE SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

TRACTATVS PRIMVS,

DE VARIIS AD CATHOLICAM FIDEM, GRATIÆQVE STATVM VOCATIONIBVS: & perfecta peccatorum conuersione.

INTRODVCTIO.

DE QVATVOR DIVINIS BENEFICIIS, in quibus salutis ac perfectionis nostræ opus consistit.

INTER INNVMERA BENEFICIA, quæ ab infinita bonitate & liberalitate Magni nostri DEI ac Domini in bonũ & vtilitatem hominũ procedunt, maximè eminent illa, quę Apostolus vocat PRÆDESTINATIONEM, VOCATIONEM, IVSTIFICATIONEM, & GLORIFICATIONEM: quorũ ordinem disponens dixit: a *quos* PRÆSCIVIT & PRÆDESTINAVIT cõformes fieri imaginis Filii sui, *hos & vocauit: & quos* VOCAVIT, *hos & iustificauit: quos autem* IVSTIFICAVIT, *illos &* GLORIFICAVIT. In quibus beneficijs summa consistit omnium, quæ pertinent ad nostram salutem & perfectionem. Cuius primus fons & origo est PRÆDESTINATIO, & paterna DEI prouidentia: Idea scilicet quædam ac dispositio inuisibilis, & æterna, omnium mediorum, quibus electi sint spiritualem gratiæ vitam, & ipsam posteà æternam consecuturi: vt in vtraque vita similes sint viuæ filij eius IESV Christi veri DEI & hominis imagini: ipse enim caput est, & exemplar omnium prædestinatorum, in cuius gloriam eos elegit: *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, in gratia sibi, quemadmodum in humana natura similibus.

Quatuor præcipua Dei beneficia.

a *Rom. 8. 29*

Prædestinatio.

Vocatio.

Inuisibilis hæc occultaq; dispositio, & ordinatio in lucē quasi prodit, & executioni mandari incipit in beneficio VOCATIONIS, quæ prima est spiritualis vitæ sementis primumque mediū, quo cætera omnia media, dispositionesque necessariæ vrgentur & expediuntur, vt ipsi prædestinati, cæteriquepeccatores, peccati statum dimittere, gratiamque & IVSTIFICATIONEM (quæ huius dispositionis, siue ordinationis eiusdem secundum est medium) admittere velint. Quam iustificationem sequitur GLORIFICATIO: quæ (teste S. Thoma) duo beneficia complectitur: alterum, quod *magnificationem* in hac vita appellamus: quo adiuuat iustificatos, vt in meritis crescant; eosq; recētibus gratiarum, aliorumq; supernaturalium donorum augmentis ante mortem magnificat, & exaltat: vt præmiū posteà accipiant gloriæque coronam: quod alterum est beneficium ipsius glorificationis, & omnium vltimum, quo tota prædestinationis Idea miro quodam ordine nexuque perficitur. vt liceat de omnibus simul dicere, quod Regius Propheta alia occasione dixit: b *abyssus abyssū invocat in voce cataractarū tuarum.*

Iustificatio.

In eum A post. locum. Glorificatio

Magnificatio.

b *Psal.* 41. 8

Quemadmodum enim magnorū imbrium tēpore magnis tonitruis & fulguribus aperiūtur cataractæ, siue portæ cœli ipsæ videlicet nubes magnoq; impetu copiosæ aquarum abyssi, aliæ post alias descēdūt: ita cùm infinitę bonitatis & charitatis Dei cataractæ & portę aperiūtur, vt eā creaturæ videant & experiantur: ab ea fluunt hæc beneficia, tanquam copiosissimarum gratiarum donorumque cœlestium abyssi, alijs alias inuocātibus, seseque inuicem magno amoris impetu consequētibus. Nō est enim aliud PRÆDESTINATIO, quàm consiliorū abyssus, & profundissimum amoris æterni pelagus, intra ipsum diuinum pectus iuclusum: quod cùm innumeras suis temporibus misericordias emittit: tùm VOCATIONIS abyssum opportunè excitat, eamq; ad ipsos prædestinatos inuitandos dimittit: *quos enim prædestinauit, hos & vocauit.* Quid autem est eos vocare, nisi mittere in ipsos illustrationum, & inspirationum cœlestium abyssum, quæ fulgurum & tonitruum instar de cœlo descendunt, frangendo portas eius, quæ erga peccatores quasi occlusæ erant; eosq; excitāt, & actibus, affectibusq; timoris & doloris contremiscere faciunt: vt sua deflentes peccata, ad eadē deserenda se præparent? Quos, cùm diuina VOCATIO præparatos iam habet atq; dispositos, aduocat illa IVSTIFICATIONIS abyssum, quæ purificet illos atq; iustificet. Quid verò est eos iustificare? nisi abyssum gratiarum donorumque cœlestium in eos effundere, quæ vehemētium imbrium instar, de cœlo fluentes, culparum multitudinē demergunt; iamque iustificatos, misericordijs replendo, fœcundos reddunt, ad copiosos meritorum operumq; clarissimorū fructus proferendos: per quæ merita & opera sensim ingreditur GLORIFICATIONIS abyssus, quæ eosdem recentibus semper gratię incrementis in hac vita exaltat, vt in altera clarissimis gloriæ

Abyssi gratiarum.

gradi-

gradibus remuneret. Omnibus autem his quatuor beneficijs apte competit nomen ABYSSI, ob bonorum, quæ in se complectuntur, immensitatem; diuinorum verò iudiciorum, quæ illa defendunt, profunditatem: In quibus (vt S. Gregorius de Scripturis diuinis dixit) *agnus ambulat, & elephas natat*. Alta.n. ingenia, viriq; valdè eruditi multa inueniunt, quæ meditentur & scrutetur: quitamè, nisi humiliter & cautè in hoc pelagus ambulent, periculo submersionis exponuntur: simplices aũt multa quoq; inuenient sibi vtilia, captuique suo conformia. Horum itaque omnium ea in hoc tractatu adferemus, quę ad rem magis esse videbuntur, ad expugnanda corda peccatorum; & allicienda, vt conuertantur, Innitentur verò quæ dicemus, viuo cuidam exemplari prædictæ huius abyssi, quod Spiritus S. nobis ponit ob oculos in primo capite libri RVTH.

n epist. ad Leand. c. 4. Habetur in ctio lib. Moral, S. Bernard. serm. 65, aruo.

TEXTVS PRIMI CAPITIS RVTH.

IN diebus vnius iudicis, quãdo iudices præerãt, facta est fames in terra. Abiitq; homo de Bethleh'm Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cũ vxore sua ac duobus liberis. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi & duo filii, alter Maholon, & alter Chelion, Ephratæi de Bethlehem Iudæ. Ingressiq; regionẽ Moabitidem, morabãtur ibi. Et mortuus est Elimelech, maritus Noemi: remãsitq; ipsa cũ filiis. Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarũ vna vocabatur, Orpha, altera vero Ruth. Manseruntq; ibi decem annis, & ambo mortui sũt, Maholon videlicet & Chelion: remansitq; mulier orbata duobus liberis, ac marito. Et surrexit, vt in patriã pergeret cũ vtraq; nuru sua de regione Moabitide: audierat enim, quod respexisset Dominus populũ suũ, & dedisset eis escas. Egressa est itaq; de loco peregrinationis suæ, cũ vtraq; nuru: & iãm via reuertendi posita in terrã Iuda, dixit ad eas: Ite in domũ matris vestræ, faciat vobiscũ Dominus misericordiã, sicut fecistis cũ mortuis & mecũ. Det vobis inuenire requiem in domibus virorũ, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elouata voce flere cœperunt, & dicere: Tecũ pergemus ad populũ tuũ. Quibus illa respõdit: reuertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num vltra habeo filios in vetero meo, vt viros ex me sperare possitis? Reuertimini filiæ meæ, & abite: iã enim senectute cõfecta sum, nec apta vinculo cõiugali. etiãsi possem hac nocte cõcipere, & parere filios, sieos exspectare velitis, donec crescãt & annos pubertatis impleant ante eritis vetulæ, quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me. Elouata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reuersa est. Ruth adhæsit socrui suæ, cui dixit Noemi, en reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea. Quæ respondit. Ne adeurseris mihi, vt relinquam te & abeam: quocunque enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor, populus tuus, populus meus: &

Deus tuus Deus meus: Qua te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibiq; locum accipiã sepulturæ. Hæc mihi faciat Dñus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separauerit. Videns ergo Noëmi, quod obstinato animo RVTH *decreuisset secum pergere, aduersari noluit, nec ad suos vltra reditum persuadere: profectaq; sunt simul, & venerunt in Bethlehem. Quibus vrbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantq; mulieres: Hæc est Noëmi. Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi (id est pulchrã) sed vocate me mara (id est amarã:) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliauit, & afflixit Omnipotens (Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reuersa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.*

HÆc prima pars est Sacræ huius historiæ, in qua abyssus continetur Prædestinationis, Vocationis, & Iustificationis RVTH; reprobationis verò dãnationisque sociæ eius Orphæ ex culpa sua. In qua re locum habuit, quod dixit ipse Saluator noster: *c erunt duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur*: in mola enim infidelitatis erant hæ duæ mulieres, quarum altera assumpta est & electa ad cœlum; altera relicta, vt iret in infernum. In his enim duabus mulieribus est veluti penicillo depictum, quod DEVS D. N. benevola sua prouidentia omnibus peccatoribus offert, vt saluentur; vocatio, qua illos vocat; media, quæ ad id adhibet; pertinacia ei resistentium, ob quam damnantur; & obedientia eam ob audientium, per quam, diuina ipsius gratia adiuti, saluantur. Quæ omnia in subsequentibus Capitibus explicabuntur.

c Matth. 24. 14.

CAPVT. I.

BENEFICIVM PRAEDESTINATIONIS & specialis Dei erga electos prouidentia: quantus q; eorum sit numerus.

Prædestinatio fons omnis gratiæ.

ALTISSIMA & Suauissima DEI D. N. erga saluandos prouidentia, quam alio nomine PRÆDESTINATIONEM appellamus, adeò est profunda & incomprehensibilis abyssus, vt non possit eius in hac vita fundus inueniri: quamuis vtilissimè liceat ipsum eius littus vadare: est enim illa verè benencioru beneficium, gratia gratiarũ; mareq; profundissimum, in quo oẽs illæ cõtinẽtur. Illa irritas facit omnes dæmonis machinas; multos Deo producit filios, Christo discipulos; Angelis socios, Ecclesiæ iustos, cælóq; plurimos Sãctos. Cõijce oculos in dona omnia, gratias, & virtutes; in egregia omnia facinora & prodigiosa magnalia, quæ antiqui Sancti ediderunt,

& in diuinis literis,& historijs omnibus Ecclesiasticis scripta sunt: & tunc intelliges huius beneficij immensitatẽ. Omnia siquidem illa bona ex æterna Dei Prædestinatione prouenerunt: qua singulos illorum elegerit; ac vocare, iustificare, & per talia media exaltare decreuerat. Sed quoniam hæc ratio & via prolixior est, breuiorem aliam in quodam eiusdem prouidentiæ exemplari ostendemus: quod idem ipse Deus Patriarchæ Iacob, (qui, Apostolo teste figura fuit electorum) ostendit, qui è domo paterna exiens, iterque Mesopotamiam versus arripiens, & super lapidem dormiẽs, a *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangẽs cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eã. Et Dominũ innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abrahã patris tui, & Deus Isaac terrã in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Eritque semen tuũ quasi pulvis terræ: dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem, & meridiem: & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ, & ero custos tuus, quocunque perrexeris, nec dimittam, nisi compleuero vniuersa quæ dixi.* Hæc fuit visio, qua Dominus noster (vtait Theodoretus) huic Patriarchæ specialem prouidentiam manifestauit, quam de ipso per totam eius vitam, eiusque euentibus esset habiturus. qua eadem visione obiter adũbrata est idea siue delineatio ipsius prædestinationis omniũ electorũ in hac scala designatæ: cuius gradus sunt omnia media, per quæ prædestinatus è terra ascẽdit in cœlum, donec ad eius culmẽ perueniat; in quo ipsemet Deus consistit, qui totius huius Ideæ Consilijque principium & finis est. Principium, eò quòd ab infinita eius bonitate & misericordia ordo ille, mediorumque progressus sit ortus; Finis verò, quoniam omnia eò diriguntur, vt ipsum prædestinatus videat, eoque in æterna gloria fruatur. Ideoq; in Apocalypsi seipsum vocat b *Alpha & Omega*, primum scilicet & vltimum Aphabeti elementũ: intra quæ reliqui omnes characteres collocantur: ad significandum, quòd media salutis nostræ, quæ veluti spiritualis Alphabeti sunt elementa, ab ipso Deo incipiant, cui competit prima ad bonam vitam vocatio, bonique operis initium: cuius etiam fauore & studio sit progressus, donec ad finem eius vltimum perueniatur, qui est ipsemet Deus, in quo iustus tanquam in proprio centro requiescit, iuxta illud S. Augustini: *creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec reuertatur ad te.* Et S. Dionysius dixit: motum diuini amoris circulo esse similem, qui circino ducitur: ille enim incipiens ab vno puncto circumducitur; finiturque in eodem, à quo inceperat. Ita opera Dei, quæ in prædestinatis valde eminent, ab ipso Deo incipiunt, eius auxilio progrediuntur, & in eodem ipso terminantur: quod est omnium præmium.

Rom. 9. 13.

a *Gen. 28. 12*

Quæst. 82. in Genes.

Deus a & o

b *Apoc. 1. 8.*

Lib. 1 Confess. 1.

De diuin. nomin. c. 4. p. 1. prope finem.

§. 1. *Tria Dei erga Electos officia.*

AB amore illo, quo DEVS D. N. eos prosequitur, quos, vt sibi vniret, condidit, procedit specialis illa prouidentia, qua illos gubernat: & ex huius Scalæ summitate tria præclarissima præstat officia, in quibus infinita eius sapientia, omnipotentia, & sanctitas valdè resplēdent.

1. *Dei sapientia.*

PRIMVM officium est, quo immensâ suâ Sapientiâ tanquam è specula prouidet & *agnoscit* quæcunque in terra geruntur ac gerentur; & quęcunque hominibus sunt euentura, electis præcipuè, per hanc scalam vsque ad eius summitatem conscēsuris: quos benevolis respicit oculis ad eum modum, quo dixit Dauid: a *Oculi Domini super iustos*, aliter scilicet, quàm super peccatores. Inde inquam, omnes eorū necessitates aspicit, pericula, tentationes, & lapsus; mediaque, quibus ab eis liberentur: Videt bonos eorum gressus, quibus per hanc scalam conscēdent, auxilijs ab ipso prędestandis, ne decidant, impingant, aut hæreant; sed ascēdant semper, crescantque vsque ad finem. Quòd si eos tanquam Iacob elegit, vt sint Patriarchæ: (quales fuerunt Apostoli, & Religiosorum Institutorum Fundatores, alijque multorum spiritualium filiorum Patres) inde speculatur, ac videt eorum dilatationem, quā in Orientem, & Occidentem; aut in Septentrionē & Meridiem sunt habituri; numerumque filiorum eorum, quamuis futuri sint sicut stellæ cœli, & arenæ maris. Ac denique omnes benedictiones videt, quas in eos; & per eosdem in alios, qui ab eisdem descendent, effūdere statuit. Prædestinatio enim quorundam hominum sæpè mādatur executioni per alios, qui parentum instar illos in Christo generant.

Eccl. 15. 20. *Hebr.* 4. 13.

a *Psal.* 33. 16. *Eccle. supra*

2. *Omnipotentia.*

SECVNDVM officium, quod in hac scala facit DEVS, est, eam *sustentare*; & prædestinatos, qui per eam ascendunt, adiuuare: id quod magis exprimit verbum LXX. Interpretum, qui, quod vulgata habet *innixum*, verterunt, *firmantem*, vel *erigentem* illā, firmabat enim eā, & erigebat DEVS, ad significandum, quòd quamuis illa terram tangeret; non tamen illi, sed omnipotentiæ diuinæ inniteretur; tanta eam vi confirmanti & sustentanti, vt omnis mundi & inferni potestas eam deijcere, aut mouere non valeat. Quamuis enim Dęmones possint tentare, & oppugnare prędestinatos, per eam ascendentes, eosque interdum etiam in grauem aliquem casum deijcere: non tamen efficient, vt tandem illi non resurgant, redeantque ad eandem scalam vsque ad summitatem conscendendam, in qua est ipse DEVS. hoc enim est quod Christus dixit: b *ego vitam æternam do ouibus meis; & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea: & nemo potest eas rapere de manu patris mei.* Ipse enim omnipotentiâ suâ eas custodit, paratus tueri, & ab omnibus, siue mundi huius, siue inferni lupis defendere.

Vide Martin. Delrio. ibi.

b *Ioan.* 10. 28 & 29.

Nam

Nam ex scalæ summitate clamat, electisque dicit, quemadmodum ipsi Iacob: *ego ero custos tuus, quocunque perrexeris*: siue sis in Oriente tuæ iuuentutis, siue in Occidēte senectutis ac mortis; siue sis in Septentrione tentationum, & aduersitatum; siue in Meridie exaltationis & prosperitatis, ego te protegam: *nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi*, & facere decreui. Quod si tui hostes vijs aliquibus id impedire contenderint; eisdem ego vijs illud exequar. Si enim Deus S. Iob prædestinauit, vt in patientia & sanctitate, tāquam stella in firmamento splenderet: omnes tentationes, quas Sathanas, ad eum deijciendū, adhibuerit; viæ erunt & media, quibus ille exaltabitur: Et si decreuit S. Iosephum esse Vice Regem Ægypti, & à suis fratribus adorari: eadem media, quibus illi id impedire tentabant, accipiet Deus, vt, quod ipse decreuit, eueniat: infallibilis enim eius prouidentia nec decipi potest, nec fine fraudari, quem ad suam gloriam efficaciter voluerit.

Tertium officium, quod in hac scala Deus exercet, est *Exemplaris*, in quod respiciant ipsi electi: tam vt intentiones suas in ipsum dirigāt; quām vt vitam suam cum eius vita, per imitationem heroicarum eius virtutum, conforment: quos, cùm ad earum culmen peruenerint, familiarissimè expansis vlnis amplectitur: communicans illis contemplationis & vnitionis præmium, quæ huius vitæ est beatitudo: & postea deducit in cœlum, vti-
3. *Sanctitas.*
pso glorioſissimè fruantur.

Hæc eadem officia erga electos præstat Iesvs Christus D. N. de quo S. Augustin. *quid est in scalam incumbere, nisi in ligno crucis pendere*, quod per illā repræsentatur: ibi nobis promeruit necessitatum nostrarum remedium, quas satis notas habebat; & auxilium, ad omnia bona opera præstanda; constituens seipsum tanquā exemplar, cui debeant omnes prædestinati conformari: Illic grandia quæque promittit, cœlique portas aperit: vt suæ prædestinationis finem cōsequātur. In cuius rei fidem latroni, in cruce prope ipsū pendēti, dixit: c *hodie mecum eris in paradiso*; vt omnibus innotesceret, quòd ipse claues haberet paradisi: quē pro electis omnibus cōparauerat; & quòd eius meritis cōsequerētur illi vniuersos suæ electionis effectus. Quemadmodū suauissimis hisce verbis affirmabat Apostolus: d *benedictus* Deus, *& pater D. N.* Iesv *Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mūdi cōstitutionē: vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum per* Iesvm *Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo: in quo habemus redemptionem per sāguinem eius, & remissionē peccatorum, secundū diuitias gratiæ eius, quam nobis manifestauit in abundātia plenitudinis temporū: instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso:*
4. *Serm. 79. de tempore.*

Per Christum omnia habemus.

c *Luc. 23. 4*

d *Epheſ. 13*

in quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, in laudem gloriæ eius. omnia hæc sunt S. Apostoli verba: ex quibus apparet, meritis Christi Redẽptoris nostri debere prædestinatos suam prædestinationem; vocatos, suam vocationem; iustificatos, suam iustitiam; exaltatos, suam exaltationem; & glorificatos, suam glorificationem. Per IESVM Christum enim semper descẽderunt, descendũtque de cœlo omnes benedictiones spirituales, quas accipiunt homines in terra. Ab eo nobis prouenit culparum & pœnarum remissio; victoria tentationum; inspirationes cœlestes; gratia & virtutes; earum augmentum atque perfectio; Spiritus sancti dona; gratiæ gratis datæ; spiritualia solatia; votorum nostrorum ac petitionum adimpletio; perseuerantia in studiosa vita; & corona gloriæ. Denique quemadmodum DEVS primus est fons horum beneficiorum, ita Christus Seruator noster, quà homo, est vnicus aquæ ductus, per quem omnia deducuntur ac defluũt; aut est secundus fons, virtutem recipiens à primo: vtrumque autem simul scalæ innixum aspicere debemus. siquidem e *vita æterna*, (vt Christus ipse dixit) *est vt vtrumque cognoscamus*, & imitemur: & hac via oportet prædestinatos ad eam vitam peruenire.

c *Ioan.* 17. 3.

§.

SED quoniam DEVS noster & Saluator IESVS Christus, ita huic scalæ innituntur, gubernando ac deducendo eos qui per illam ascẽdunt, vt creaturarum industriam non excludant: decreuerunt, ad huius prædestinationis ac prouidentiæ executionem, operam suam conferre, & cooperatrices esse Hierarchias Angelorũ: de quibus dixit Apostolus: f *omnes esse administratorios spiritus, in ministeriũ missos propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Quamobrem eorum officium est, per scalam illam ascendere, ac descendere: ascendunt enim, cùm DEO electorum orationes offerunt; descendũt verò, cùm desiderata & petita reportant. Ascendunt (ait S. Thomas) per contemplationem, vt sciant, quæ DEVS præscribit; per actionem verò descendunt, vt eadem opere exequantur, manifestãdo illa hominibus: & iterùm ascendunt, cùm fructum referunt executionis. quemadmodum Angelus Raphael Tobiæ dixit: g *quando orabas cum lacrymis*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino. & nunc misit me dominus, vt curarem te & Saram vxorem Filii tui à Dæmonio liberarem*: quod cũ præstiterim, *tempus est, vt reuertar ad eum, qui me misit.* Scripturæ sacræ testimonijs & exẽplis curæ huius, ac ministerij Angelorum sunt plenæ, quemadmodũ in horum Tractatuum decursu apparebit. Nunc satis sit nobis suauissimam illam promissionem Psalmi: h *quoniam Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*; affectumque bonum lædas, aut amittas, hæc inquam verba, propter electos esse dicta. Id enim est propriè, Angelos per scalam ascendere, atque descendere,

f *Heb.* 1. 14.

Ex S. Grego. lib. 5. Moral cap. 21. 2. 2. q 181. a. vlt. ad 2.

g *Tob.* 12. 12. 20.

h *Psal.* 90. 11.

nec

Per quam prædestinati sunt ascensuri: descendunt enim illi de cœlo, vt hos adiuuent; quibus comites in ascensu se præbent, ne labantur, aut impingant in gradibus; aut subsistant, & somno se in eis dedant: sed eos deducant, illis consulant, & in omnibus gressibus eos excitent; Dæmonibus verò resistant, qui eos deijcere conantur.

§ 2. *Scala qua in cœlum ascenditur.*

Videamvs nunc huius scalæ fabricam, quæ (vt ait Tertullian.) viam significat, qua in cœlum ascenditur: cuius primus gradus (teste S. Basilio) est deserere terrena; postremus verò coniungi cœlestibus: progressio autem fit per eos gradus, quos S. Petrus assignat: a *ministrate*, inquit, *in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri* Iesv *Christi cognitione*: quod idem est, atque si dixisset; si ad sanctitatis culmen peruenire, & in æternam vitam cupitis intrare, per hosce octo gradus est vobis ascendendum: quemadmodum ad Hierosolymitanum templum per b *octo gradus* ascendebatur. Primus gradus erit, Fidem habere Vivam mysteriorum omnium, quæ Deus reuelauit: credendo scil. illa maiori certitudine ac firmitate, quàm si oculis ipsis ea vidissetis, aut contrectassetis manibus. Super hanc fidem collocanda est virtus Fortitvdinis, ad aggredienda quæcunque diuini erunt seruitij, superando difficultates oēs, ac timores, quos Dæmon, Mundus, & Caro opponent. Huic fortitudini Scientiam coniungetis Discretionis, ne virtus excessu aut defectu lædatur; sed medium inter vitiosa extrema teneatur. Discretioni accedet Abstinentia, quæ vos à peccatis omnibus retrahat; & inordinatis voluptatibus, quibus sensus externi recreantur. Huic abstinentiæ coniungite Patientiam, generoso corde tolerando pænalia omnia, & huius vitæ aduersitates, ita vt in rebus lętis moderati sitis, & in tristibus patientes. Hinc ad Pietatis gradum conscendetis, parentes & maiores vestros, pia affectione honorantes, eisque obedientes; proximos verò ex animi compassione in eorum necessitatibus & calamitatibus adiuuantes. Ex qua pietate ascendite ad Amorem Fraternitatis, amantes, beneque optantes omnibus hominibus, atque si vestri essent germani fratres; nemine excluso, etiam inimico & ingrato. Et hinc fiet ascensus ad vltimum gradum Charitatem scilicet Dei, c *diligendo eum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex omni fortitudine vestra*: vt spiritum vestrum cum eius spiritu coniungentes, cum eo in scalæ culmine conquiescatis: donec in æternam eius gloriam ingrediamini.

Lib. 3. contrà Marcion. Homil. in Psalm. 1.
2. Pet. 1. 5.
Scala cœli ex S. Petro.
b *Ezech. 40. 31. 34.*
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
c *Deut. 6. 5. Matt. 22. 37. Luc. 10. 27.*

Scala Christi.

Hi sunt octo gradus à S. Petro designati, ad ascendendum in cœlum: quos tamen distinctius declarauit ipse Christus D. in illo sermone, quẽ habuit in monte, quibus etiã attribuit honorificã *beatitudinum* appellationẽ: per eos enim ascenditur ad beatitudinẽ huius, & futuræ vitæ. PRIMVS, qui nos incipit à terra eleuare, est d PAVPERTAS SPIRITVS: cuius munus est, inordinatam temporalium diuitiarum cupiditatẽ, & dignitatum huius mundi tumentem appetitionem mortificare. Hinc ad secundum ascenditur, nempè MANSVETVDINEM: cuius est iras animíque perturbationes cohibere, & erga omnes exhibere humanitatem. Mox tertius gradus sequitur. qui est LVCTVS, & lacrymarum ob nostras culpas & miserias, quo reprimitur vanus risus, sensuumque delectationes. Quartus est ESVRIRE & SITIRE veram IVSTITIAM, quæ in perfecta diuinorum præceptorum obseruatione consistit: vt vnicuique, quod suum est, detur; DEO, quod est DEI; proximo, quod est proximi. Quintus est MISERICORDIÆ, quæ cõpassionis viscеribus subuenit proximis, alienis miserijs, atq; indigentijs: quas veluti proprias respicit. Sextus est CORDIS MVNDICIES, quæ omne peccati genus perhorrescit, quo in corpore & Spiritu Sanctitatẽ puritatemq; conseruet. Ex quo fit ascensus ad Septimũ, qui est, esse PACIFICVM: conseruando scil. cum omnibus pacem, concordiã, & charitatis vnionem; dandoq; operã, vt eandem alij cum alijs mutuam habeant. Hinc fit ad Octauum transitus, PATI, sc. PERSECVTIONEM PROPTER IVSTITIAM, patienter eam & hilari animo tolerando, ac seipsum, si opus fuerit, ad ipsam mortem offerendo, conseruandæ causa sanctitatis, & charitatis cum Deo: cuius præstantia eminet, cùm quis e *animam suam*, hoc est, vitam *ponit pro amico suo*. Sic enim ad supremum scalæ culmen peruenitur; & ad perfectam imitationem Christi cruci affixi, is enim est, qui supremæ huius scalæ parti innititur: Vt autem hi octo gradus stabiles sint ac firmi, necesse est, eos tanquam duabus fortissimis trabibus inniti & compaginari duobus heroicis actibus, quorum alter est FIDEI, quâ firmissimè creditur quicquid Christus D. dixit de his virtutibus; & octo præmijs, quæ, per eas ascendentibus, promisit: alter verò SPEI, quâ speratur adimpletio harum promissionum, in quibus innumera bona continentur; quędam quidem in cœlo postea reddenda; quędam, quæ quasi numeratò DEVS in hac vita largitur, dum magno studio fauoreque sic ascendentes prosequitur; & opportuna mittit auxilia ad facilem reddendum ipsum ascensum. Sunt enim hæc omnia necessaria: eò quòd scala ipsa, longa sit, erecta, valdeque ardua atque difficilis; nec sine ingenti labore, & quasi rependo, per eam ascendatur: ideò enim f *angustam* dixit Christus *portam, & arctam viam, quæ ducit ad vitam*. Est enim via crucis, suíque ipsius abnegationis & odij. Quod si scalæ huius asperitas, & crux, quam illa refert, te deterret: eleua oculos ad maiestatem

Trabes duæ Fides & Spes.

d *Matt. 5. 3.*

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

e *Ioan. 15. 13*

f *Mat. 7. 14*

Domi-

Domini, te aspicientis, & exemplum præbentis; ad protectionem, & auxilia, quæ tibi offert: ingentiaq; præmia, quæ promittit: vt sic ad alacriter ascendendum animeris. Siquidem non caret mysterio, quod, quãdo Patriarcha Iacob eam in spiritu vidit, g *locum terribilem, domum Dei, & portam cœli*; Sapiẽs verò h *regnum Dei* appellauerit: vt intelligeremus, per crucis horrorem conscendi ad regni cœlorum quietem: quod i *regnum*, dixit ipse Saluator *vim pati, & violentos illud rapere*, pugnantes strenuè aduersus Dæmonis, mundi, & carnis exercitus: qui hanc scalam ascendẽtibus, sese opponunt; ac vehementer ad lapsum impellunt. Sed non prævalent tamen, quia Dominus summitati scalæ innixus, suos retinet, ne labantur: quemadmodũ fatlus est Dauid dicens: k *impulsus euersus sum, vt caderem: & Dominus suscepit me.*

Bello pax quæritur.

g Gen. 28. 17

h Sap. 10. 10.

i Matt. 11. 12.

Deus protector noster.

k Psal. 117. 13.

Qvis verò modos varios referre nouerit, quibus prædestinati per suam scalam ad æternam vitam ascendunt? omitto infantes, quos Dominus per Baptismi Sacramentum iustificat, & ante discretionis tempus transfert in cœlũ: quibus similes sunt alij, qui vitam bonam in sua iuuentute inchoãtes, ad æternã transferuntur, præuidente scil. infinitâ Dei sapientiâ, si diutius viuerent, Dæmonem eos rapturum. Quod insinuauit Sapiens dicens: l *placens Deo raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius: aut ne fictio deciperet animã illius: sed consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illũ de medio iniquitatũ.* Quàm fuerit anima illa Deo placita, quæ tantam apud eum inuenit gratiam, vt temporalis eius vitæ cursum abscinderet, cùm æternæ amittendæ periculum immineret! & ex nequam mundo in cœlum transferret, vbi æternùm ipso, & absque vllo periculo frueretur! Alij tamen sunt, quos post multos annos in peccatis transactos, repentè Deus commutat; trahitque ad se, antequam ad vomitum reuertantur: eò quòd, si diutius vita protraheretur, perseuerantiam amitterent. Alios, copiosiori, licet rariori, sua misericordia, cùm totam vitam malè expendissent, in ipsa mortis hora Deus conuertit, quẽadmodum fecit cum latrone, quem ex cruce transtulit in paradisum. Denique aliqui per hanc scalam ascendunt cadentes interdum, & resurgentes; alij impingendo, & moras trahendo, ac iterum pergendo. Nec defuit tamen, qui recte ascenderit absque vllo lapsu; nec impegerit, aut hæserit in ipso ascensu: qualis fuit SS. Virgo, quæ rectiùs per eam ascendit, quàm ipsimet Angeli, quos Iacob per eam vidit ascendentes.

l Sap. 4. 10.

Innocentes

2. Pœnitentes.

3. Fere desperatos saluat.

§. III. *Numerus prædestinatorum.*

Difficvltas ascensionis per cœlestem hanc scalam, dubium nobis statim ingerit, an pauci numero sint prædestinati, qui per eam ascendunt: Cui dubio respondit Sanctus Ioannes, cùm dixit: a *vidi turbã magnam,*

a Apoc. 7. 9.

quã dinumerare nemo poterat; ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronũ, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, in signum victoriæ, quam suis operibus obtinuerũt. Quæ S. Apostoli sententia summæ consolationis est omnibus Christianis, vt quæ instar sit pignoris cuiusdam, quod simus de innumerabili ac felicissimo hoc numero. Quamobrem operæ pretium erit efficacissimis eam rationibus, quæ nostram consolationem augeant, confirmare.

1. NAM in primis ita decebat infinitam Dei bonitatem & charitatem, quæ primus fons est & radix prædestinationis. Cùm enim bonitas eius summè propẽdeat ad gratiæ suæ gloriæq; thesauros hominibus cõmunicandos; cupiens, quod in se est, omnes, eorum esse participes: conuenientissimũ erat, vt plurimi absq; numero eos reipsa cõsequerentur: vt hæc bonitas & charitas, de quibus adeò gloriatur DEVS, æternùm in eis splenderent. Et siquidem *iustitia* diuina infinitum erat reproborum numerum, ob illorum peccata repertura, in quibus eius emineret excellentia: rectum etiam omninò erat, vt eius soror *misericordia* copiosissimum etiã eorum numerum inueniret, in quibus thesauros suos infinitos apertè manifestaret. Et quãuis verũ sit, quod pretiosum est, rarum esse debere; & parum, si cum viliori comparetur; his tamen cõparationibus non adhibitis, æquissimum est, in aula diuina plurimùm esse de pretioso, ad maiorem eiusdem Dei gloriam.

2. HVC accedit, id fuisse conuenientissimum, ad gloriam IESV Christi D.N. qui caput est prædestinatorum, quos eius meritis DEVS b *elegit in ipso*, c *vt esset ipse primogenitus in multis fratribus*. Quis enim dubitare potest, ad honorem huius Domini pertinere, vt fratres innumeros habeat, qui fructu laborũ eius fruantur? Quod si eius sanguinis pretium sufficientissimũ erat, ad salutem infinitorum hominũ promerendam, pro quibus omnibus ipse illum obtulit cum ingẽti cordis affectu ac desiderio, vt oẽs eius essent participes, certa res est, quòd æternus eius Pater voluerit reipsa eius desideriũ explere & infinita adeò merita innumera prædestinatorum multitudine remunerare. Quod ipsum per Prophetam suum Isaiam, cùm de huius Domini passione loqueretur, protestatus est: d *pro eo quod laborauit* (inquit) *anima eius videbit, & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse multos adeo dispertiam et plurimos*. Si igitur dulcissimus hic Redemptor, qui immenso adeò tenebatur desiderio salutis omnium hominum, remunerationem suæ passionis *vidit, & saturatus est*: immensus procul dubiò erit numerus filiorum quos vidit: qui ad tantum desiderium exsatiandum sufficerunt. Nec exiguum huius rei indicium est, quòd in sua Natiuitate voluerit; e *omnes pueros, qui erãt in Bethlehem, & in omnibus finibus eius*, esse ex prædestinatis; quos ad se per martyrium accepit: vt hac ratione famem suam tenero adeò copiosoque fructu satiare inciperet.

b *Ephesi* 4.
c *Rom.* 8. 29
Isai. 53. 11.
Matt. 2. 16.

QVID

Qvid verò dicam de infinita diuini huius verbi charitate, quod(vt ait Apostolus) noluit f *Angelos apprehendere : sed semen Abrahæ apprehendit*: homines hac ratione in amore & honore Angelis præferens?si ergò Angelorum prędestinatorum(vt ait Daniel)g *millia millium,& decies millies centena millia assistunt* Deo : credibile omninò est , ipsum elegisse etiam millia millium ex hominibus:vt genus suum hac ratione honoraret, & prosapiam familiamque nobilitaret.Siquidem,S. Anselmo teste , non fuerunt homines ex occasione lapsus malorum Angelorum prædestinati, vt eorum sedes occuparēt;sed recta præcipuaque intentione,quamuis illi nō cecidissent,homines fuissent prædestinati: eò quòd vellet Deus eos honorare, & ex eis triumphantem Ecclesiam condere:quam in sponsam ducendo,infinita ipsius charitas in ea eluceret. Quamobrem in die Iudicij,cùm sententia pro iustis feretur,non dicetur:h *venite benedicti Patris mei,possidete regnum* Angelis alioqui præparatum;sed Paratvm Vobis *à constitutione mundi*:eò quòd ipsos desideret Deus venire,proprijsq; meritis illud possidere.

f *Heb* 2.16

g *Dan*.7.10.

Lib.1.*cur Deus homo*. c.18.

h *Matth*.25 34.

His adde : ad valde plenum Beatorum gaudium spectare, vt plurimi illi sint;nec desit hoc bonum illi statui, qui omnes illos complectitur.Cum enim nulla inter ipos sit inuidia,sed adeò inflammata charitas,vt quisque de aliorum bono ita exultet,atque si esset propriū:quò eorum numerus erit maior,eò crescent gaudia magis. Quisquè enim de omnium gaudiō,& omnes de vniuscuiusque exultant. Et quoniam omnes summè Deum amant,summè etiam gaudent,quod ipse Deus à tanta Sanctorum multitudine diligatur,& glorificetur. 4.

Idem clamat cœlum Empyreum, quod præparauit Deus pro hominibus potius,quàm pro Angelis.Angeli enim,cùm sint, spiritus , non magnopere corporeo loco indigebāt,in quo manerēt:homines autē,qui glorificata corpora erant habituri, expediebat locum habere corporeum sibi proportionatum, & eorum capacem. Cùm igitur cœlum ipsum Empyreū adeò sit magnum,vt terra tota in eius comparatione sit instar puncti:quàm erit innumerabilis prædestinatorum numerus,quorum glorificata corpora sint illud occupatura? Quisque enim prudens in ea magnitudine domum ædificat,qua ad numerum in ea habitantium opus sit; qui si pauci numero semper essent futuri,non magnam ædificaret:si autem magnam ædificet signum est,futuros multos,qui eam inhabitent. i *O Israel*(ait quidam Propheta)*quam magna est domus* Dei,*& ingens locus possessionis eius*! quæ domus cùm sit habitatoribus replenda,meritò dicere licet:O Israel quàm suut innumeri,qui in Dei domo habitant;& quàm sine numero eius subditi! *non turbetur*(ait Christus suis discipulis)*cor vestrū:quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt*,ac proinde multi eius incolæ futuri : Inter quas etiam erit 5.

i *Baru*.3.24.

i *Ioan*.14.1

vobis locus. Hæc fuit prima ratio, qua ipse consolatus est suos Apostolos in nocte cœnæ. Nulla enim potest esse in terra consolatio, quæ vera sit & ex corde, nisi illi spei innitatur, quòd per scalam prædestinatorum ascendere liceat ad regnandũ cum DEO in mãsionibus æternis. Et hoc ipsum est, quod idem ipse Dominus prius dixerat eisdem discipulis, gaudentibus ob miracula quæ patrabant. k *Nolite* (inquit) *in hoc gaudere, quia spiritus vobis subiicitur: gaudete autẽ, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*, & vos Beatorũ numero designati. Noli lætari homo, quòd multis delitijs ac diuitijs abũdes; nec quod honores magnos, dignitates, & cum magnis Principibus familiaritatem obtineris; nec quod vnus sis ex Regibus, aut Monarchis: scito enim, huiusmodi gaudium quantum quantũ est, si solũ adsit (vt dicitur apud Iob) l *ad instar esse puncti*, quod vix audiri aut videri potest; eò quòd in momento pertranseat; sitq; propterea minimum gaudiorũ DEI; & quasi nihilũ, si cum gaudijs æternis cõferatur. Et quemadmodum punctum nũquam reperitur separatum & solum; sed coniunctum alicui corpori Quanto, in quo conseruetur: Ita gaudia, quæcunque ex rebus huius vitæ proueniunt, vt vera sint, non possunt sola esse; sed gaudijs illis coniuncta, quæ adfert spes bonorum æternorum, quibus fruentur Electi. Si veram lætitiam optas, lætare, quòd ostenderit tibi DEVS scalam, per quam possis cum prædestinatis ad cœlum ascendere, lętare, quòd te vocet, inuitetque ad ascendendum per eam: lætare, quòd aliquos iam gradus cõscenderis; pignusque habeas, & spem, quòd possis ad vltimos peruenire: lætare, quod videas DEVM in ipsa scalæ summitate, auxilium tibi promittentem; & Angelorum exercitum per eandem ascẽdentium, manumque tibi porrigentium, vt faciliorem ac iucundiorem habeas ascensum.

k *Luc.* 10. 20.

l *Iob.* 20. 5

6. Timor moderatus sit

QVOD si de aliquo tibi dolendum, aut tristandum est: Id propterea sit, quòd te videas procul ab ascensu per hosce gradus: quia teipsum horrori tradis de eis concepto: aut si cœpisti cõscendere, resilis propterea, quòd timeas, te non perseueraturũ; & à felicissimo saluandorum numero culpâ tuâ excludendũ. Quæ quidem iusta est causa timoris; sed sit ille moderatus, nè desperationi, aut animi defectioni, detur locus. Verè.n. tantũ est malũ: esse de numero reproborũ; vt, si certò scirem, in quauis ciuitate, aut prouincia nõ nisi vnicũ esse reprobũ, sufficiés hæc esset causa, ad incutiendũ omnibus eius incolis timorem. Quemadmodum Apostoli omnes conterriti, & m *cõstristati valde* fuerũt, quãdo Christus dxit: *Amen dico vobis: quia vnus vestrum me traditurus est*: qui, vt se à concepta anxietate expediret, *cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine*, qui tale facinus sim perpetraturus? Et quamuis eorum vndecim ex testimonio conscientiæ bonæ securi satis essent, quod non agerent de tanto scelere: quia tamen adeò illud erat horrendum, non fidebant soli illi testimonio. Quid igitur faceres, si DEVS

m *Matth.* 26, 22.

reuelaret, vnum aliquem ex ea ciuitate, in qua tu habitas, esse destinatum ad perpetuã in inferno habitationẽ: ô quantas angustias, quãtas anxietates cor tuum persentiret! quã totus tremeres, nè fortè tu esses ille infelix, cui sors adeò horrenda cõtingeret! Benè hoc nouerat ipse Saluator, cũ in parabola nuptiarum, in qua plurimi inuitati conuenerant, dixit, vnum fuisse deprehensum n *absque veste nuptiali*: ac propterea à nuptiali conuiuio exclusum, *missum* esse *in tenebras exteriores*: existimauit enim, satis fore, vel vnicum nominare, vt omnes simul tremerent: ex quo timore cautiores redderentur, ac soliciti, nè fortè & ipsi excluderentur.

Vnius periculum terreat omnes.

n *Matt.* 22. 12.

§. 4. *Contra pusillanimes & curiosos.*

EX his accipere solent pusillanimes occasionem adeò tremendi iudicia DEI circa prædestinationem & reprobationem hominum, vt millies animis cadant; sæpeq; curiosè, temerè, & arroganter contra DEI in sua gubernatione dispositiones cõsiliaq; iudicẽt: præcipuè cùm perpendunt, quãnis numerus prædestinatorum adeò sit magnus, vt supra est dictum: sine vlla tamen comparatione multò esse maiorem reproborum: siquidem propterea dixerit Salomon: a *Stultorum infinitũ esse numerum*: meritò stultos appellans, qui sua culpa pereant. Alij quidem quòd fugientes ipsam scalã cœli, detestantesq; religionẽ Christianã, nec primũ eius gradũ, qui est Catholicæ fidei, attingere velint. Huiusmodi sunt hæretici, Iudæi, Mauri, & Gentiles omnes: ex quibus tres ferè huius numeri partes conficiuntur, & repletur infernus; cumq; eorũ multò sit maior, quã Christianorũ numerus, iurè dicitur: b *paucos esse qui inuenĩt viã, quæ ducit ad vitã*, &, c *multos esse vocatos, paucos vero electos*. Alij verò, quòd cũ ascendere cęperint, & ad gratię statum peruenerint, ab eadẽ excidant culpâ suâ: &, cùm possent per pœnitentiã resurgere, id negligãt; sponte eligentes, esse infelicis huius numeri partẽ, & à cœlesti felicitate excludi. Sed neutri horũ causam habẽt, cur de DEO cõquerantur: qui in medio & conspectu totius mundi erexit cœlestẽ quandã scalã, per quam possint omnes in cœlum ascendere designans sua generali prouidentia omnibus hominibus sufficientissima media, ad obtinendam salutẽ nisi ipsi sibi desint: quãuis, ad infinitæ suę misericordiæ diuitias ostendẽdas, maiora studia aliquibus, quam alijs ostendere velit. Ex quo prouenit, vt alij quidem reipsa saluentur: quòd verò alij pereãt, id propterea accidit, quòd vti nolint subsidijs, quæ DEVS omnibus offert vniuersim. Quemadmodum videre licèt in duabus illis sociabus RVTH & ORPHA: quarum prior inuenit gratiam in oculis DEI, à quo vocata, ascendit per scalam cœli: quia diuinæ vocationi obediuit: posterior, verò, etsi etiam vocata, noluit tamen ascendere: eligens potius in sua idololatria permanere, quemadmodum posteà videbimus.

1.

a *Eccl* 1. 15

b *Matth.* 7. 14.

c 22. 14.

HVCVSQVE peruenisse,& hoc solum nosse,satis tibi esse debet:neque enim vltrà littus extenditur abyssi prædestinationis,& reprobationis hominum. Ideoque hic tibi sistendum,si euadere cupias submersionem,tentando ingredi ad profundiora: quemadmodum substitit Apostolus Paulus,cùm loqueretur de electione Iacob:& odio Esau, deque reprobatione populi Iudaici,& vocatione Gentilis. Nam etsi raptus ad tertium cœlum, vidit arcana DEI: quando tamen ad hoc peruenit,exclamans dixit: d *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, Amen.* Hæc S. Apostolus, ad temeritatem & curiositatem nostrorum iudiciorum comprimendam; nobisque persuadendum,in solo DEO collectas esse diuitias omnes,sapientiæ, scientiæ, sanctitatis, ac prudentiæ cum infinita earum excellentia, ac proindè quicquid ipse ordinet, ac disponat,rectum id esse, iustum ac sanctum;adeò tamen sublime,& à nobis eleuatum,vt nemo possit arcana diuinæ ipsius sapientiæ consilia cognoscere;nec vias rationesq; assequi,quibus eadem mandat executioni: eò quòd nec consiliario opus habuerit; cùm sit ipse infinitè sapiens; nec coadiutore ad suas dispositiones exequendas, cùm sit ipse omnipotens. Nec potest quisquam, ad eas mutandas,aut exequendas eum obstringere: cùm omnes ab eo, quicquid habent,accipiant; ipse verò à nemine quicquam , omnes ab ipso dependent, & ipse à nullo. Quamobrem omnes tenentur perpetuò ei deferre honorem , tanquam principio,origini & fonti,ex quo quicquid boni omnes habent,promanat: sibique ipsis tribuant,quod oblatum bonum non assequantur:quandoquidem in ipsorum libertate ille posuit,illud acceptare,aut reijcere.

d *Rom.11.33*

3 SED fortè dices,subijcere te iudicium tuum DEI dispositionibus, quas ita iustas rectasque existimas,vt causam nullam habeas de eis conquerendi: satis enim esse, quòd sint creatoris dispositiones,vt eas creatura veneretur: nihilominus tamen grauissime te angi,ob dubium quo laboras,an sis prædestinatus; & ingentem timorem, quòd sis reprobandus ob admissa prius peccata: quia nescis,an vocabit te DEVS,vt iustificet;& an sit auxilium daturus,vt in iustitia perseueres;actandem te glorificet. Ad hęc dubia potuissem ego respondere alijs maioribus obiectis,non ex parte DEI, sed ex tua. dicerem enim,potius dubitare te posse,an velis DEI vocationi respõdere; aut in bono,quod is liberaliter tibi dedit, perseuerare? Omnia enim dãnatorum mala non illi ex eo euenerunt,quod defuerit Deo voluntas eos saluandi, sed quod ipsi sibi defuerit voluntas salutem suam seriò procurandi. Quod si anxietatem hanc cupis deponere,clareque videre,nunquam defuisse DEO voluntatem vocandi te; iustificandi,& glorificandi , nisi ipsemet

tibi

tibi desis; ac similiter agnoscere, qua ratione sufficientem diligentiam adhibere possis, nè tua voluntas desit in cooperatione cum diuina: perlege attentiùs, quæ in huius Tractatus progressu dicturi sumus, ad rebelles peccatorum voluntates expugnandas: qua expugnatione expedita, tales afferemus rationes, quæ dubia tua omnia etiam expediant.

CAPVT II.

DE VOCATIONE DIVINA, DEIQVE inspirationibus; in quibus illa consistit, & eius effectibus ad conuertendos peccatores.

AD Proferenda in lucem magnalia, quæ in diuinarum Vocationum abysso continentur, ne in re grauissima cæcè progrediamur: operæ pretium erit initio explicare, quid sit ipsa Vocatio, & quibus vocibus verbisque fiat. Quemadmodum enim homo, quem Devs vocat, duabus partibus constat, externa scilicet siue visibili, hoc est corpore; & interna ac inuisibili, scilicet anima: Ita (teste S. Thoma) vocatio diuina duas similes partes complectitur: Exteriorem, quæ pulsibus verbisque fit, quæ corporis sensibus percipiuntur; cum Devs D. N. per alios homines, Concionatores præcipuè vocat, inuitatque peccatores, vt conuertantur, & pœnitentiam agant: & Interiorem, quæ est ipsiusmet Dei, intus ad corda loquentis, vocibus & verbis occultarum suarum inspirationum & illustrationum; iaculando scilicet repentè bonas aliquas cogitationes, sanctosq; affectus, quibus allicit, persuadet, ac permouet ipsos peccatores, vt miserandum peccati statum deserentes, ad felicem gratiæ statum se transferant. Sicut dixit Apostolus: quod Devs *a vocauit nos, b & eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Absq; hac interna vocatione, externa sola parui esset momenti, & instar corporis sine anima: quemadmodum idem Apostolus dixit: c *neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, proponens tantū exterius veritates; *sed qui incrementum dat* Devs, & internum earum sensum: efficiés in anima tres admirandos effectus, propter quos S. Concilium Tridentinum, Sanctiq; Patres, hanc vocationem varijs nominibus appellant. *Primus* effectus fit in ipso intellectu, cui manifestat veritatem, quam expedit illum scire: ideoque *Illustratio* appellatur, *Colloquium* Dei, aut *Verbum* interius, & Gratia Excitans, quę peccatorem veluti dormientē excitat. *Secundus* effectus fit in volūtate, quā allicit, inclinatq; vehemēter ad bonum, quod ipsi deest: ac propterea dicitur *Inspiratio, Impulsus, Impetus*, Deiq; *tactus*, quo tangit ipsum cor, *Scintilla* ignis Spiritus S. & Gratia Præueniens: ea enim præ-

Lect. 6. in cap. 8. ad Rom.

a 1. *Thess.* 2. 12. b *Coloss.* 1. 13.

c 1. *Cor.* 3. 7.

Tres effectus Vocationis. Sess. 6. c. 5.

1. *Intellectus*

2. *Voluntatis*

uenit liberum nostrum arbitrium, & ingreditur DEVS in potẽtias & facultates nostras, tanquã absolutus earũ Dominus, propter quod dixit Saluator noster: d *Spiritus* ita *vbi vult*, & sicut vult, *spirat*, vt nemo possit inspirationis eius ingressum impedire: licèt libertatẽ relinquat, eam acceptandi: aut eidẽ resistendi. Hinc *tertius* sequitur effectus in ipsa carne, cuius insultus, passionumq; violentię debilitantur & marcescunt, ne sint impedimento, quò minus boni motus & spiritus affectus percipiantur, ac propterea hic effectus appellatur DEI *tactus, stimulus & aculeus*: pungit enim, ac pungendo vrget. Hos tres admirandos effectus includit non sine magno mysterio Spiritus S. in nomine nostræ RVTH, quasi prognosticon eorum, quæ in eius conuersione erant euentura. Nam (vt S. Chryso. vel auctor Imperfecti perpendit) nomina Patrũ Antiquorum, nominatim verò progenitorum Messiæ (inter quos etiam RVTH numeratur) non casu aliquo fuerunt imposita; sed propter aliquã causam, à diuina prouidentia ita dispositam, ad significandum aliquid ijs euenturum, quibus ea imponebãtur. Quamobrem credendum est, hoc nomen RVTH, (quod eodem Doctore teste, *inspirationẽ* significat, aut *illustrationem*) ei impositum, eò quod absq; cœlesti illustratione & inspiratione nõ potuisset illa dicere, quod dixit; nec facere, quod fecit. At S. Hieronymus plus addit, dicens, hoc nomen significare *videntem vel festinantem. aut desiderantem*: quasi tres hæ significationes tres illos admirãdos diuinæ inspirationis effectus ad conuersionem & iustificationem peccatorum vrgẽdam & promouendam exprimerẽt. Ad cuius rei ampliorem declarationem aduertendum est, diuinam vocationem esse ad instar conflictus ac certaminis cuiusdam spiritualis, quo DEVS D. N. peccatoris animã à Dæmone possessam debellat, & expugnat: id quod Christus expressit, dicens: e *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*. Quodnam hoc atrium est, nisi anima peccatoris, quam dæmõ tanquam suam possidet; habetque valdè septam, nè quis eam auferre possit? Intellectus enim circũdatus est tenebris, ignorantijs, erroribus, ac deceptionibus; voluntas peruersis ad seipsam, suumque appetitum propẽsionibus cincta: quibus vt obsequatur, peccatis seipsam onerat; caro onerata est passionibus, à quibus ad bona delectabilia raptatur. Hæc arma sunt, in quibus confidit Satanas, vt securè ac pacificè miseram animam possideat. Sed Omnipotens DEVS noster, creaturæ suæ vicem dolens, animam illam expugnare cõtendit; eamque dæmoni in pugna iusta auferre: nõ violenter; (quia peccata per liberum arbitrium admissa, non possunt absq; libero eius consensu aboleri) sed ea pugnandi ratione, vt liberè & spõtè illa velit à tali seruitute exire. Quod vt pèrficiat, supremus noster Dux, imprimis alligat fortem illum armatũ: f *quomodo* enim (ait) *potest quisquam intrare in domũ fortis,*

& vasa

d *Ioan.* 3. 8.

3. *Corporis.*

Hom. 1. *in Matth.*

Homil. 5. *in Matth.*

De Nomin. Hebrai. in Ruth. & Glossa hic.

e *Luc.* 11. 21.

Spirituale certamen.

f *Matth.* 12. 29. *Mar.* 3. 27.

& vasa eius diripere, nisi alligauerit fortem: Quid autem est, (ait S. Aug.) illum ligare; nisi omninò reuocare, aut certè moderari facultatem, quã prius dæmon accepit, ad tentandum peccatorem; ne scilicet adeò vehementer tunc tentet, sicut alias; aut quemadmodũ deprauata eius voluntas vellet? Non enim Deus non ligaret eius manus: tanta est eius crudelitas, vt statim atq; peccatorẽ sibi subijceret, tractaret tanquã *glaunatticũ* illum dæmoniacũ, qui reddidit h *cæcũ, surdũ*, mutũ, furiosũ; ac mente captum, occludens oẽs vias & portas, quibus remediũ posset illi aduenire: nisi Deus ipse, omnipotentia suavitẽs, stupẽda aliqua vocatione eũ liberaret. Quare vel aufert illi, vel hebetat præcipua arma, quibus ille cõfidit: maledictas videlic. suggestiones, quibus animæ facultates omnes cõturbat: efficit enim Deus, vt vel omninò taceat, quamdiu loquitur Deus; vel si loqui illum permittit, tantam moderationem præscribit, vt attentionem non impediat ad ea, quæ Deus loquitur ad cor, vt sibi illud subijciat.

lib. 20 de ciuit. c. 8.

g *Matth. 17. 4.*

h *Mar. 9. 24*

Christus alligat Dæmonem.

§. 1. *Quosnam effectus vocatio lumine cœlesti perficiat.*

Alligato hoste, vt prædictũ est, incipit Deus D. N. oppugnationẽ animæ globis, hastis, & sagittis illustrationũ & inspirationũ cœlestiũ, quas tãto impetu iaculatur, vt tota animę domus cũ suis omnib⁹ facultatib⁹ cõtremiscat. Vt plurimũ verò assultũ primũ auspicatur ab intellectu peccatoris, ignorãtijs & erroribus obscurato: in quẽ globos illustrationum instar fulminũ & fulgurũ mittit; qui ita internos eius oculos clarificãt, & aperiũt: vt aduertat, q; antea nõ videbat; & agnoscat, q; ignorabat, aut nõ tanti faciebat; aut certè, vt modo quodã valdè dissimili iam videat, quã antea soleret: tãta. n. vi interius lumẽ, sensumq; veritatũ, quas à cõcionatoribus audit; aut in libris legit, aut repẽtè in memoriã incidũt, impertiunt, vt (quẽadmodum apud Iob dicitur) a *totũ cor torqueatur*, expauescat ac *de loco suo emoueatur*; è loco sc. infidelitatis, vt in Ecclesiã inducatur; & de statu peccati, vt cõstituatur in gratia; & à creaturis omnibus, vt cõuertatur ad suũ creatorẽ. Et illud Dauidis: c *illuxerũt fulgura, & coruscationes tuæ orbi terræ*: Vidit, *& cõmota est & cõtremuit terra.* Vt tinã dixisset nobis Propheta Sanctus, quasnã res fulgura illa & coruscationes terræ manifestarũt, quarũ aspectu terra cõmota est, & cõtremuit! fulgura & corruscationes repentè super terrã peccatoris illucescẽtes, sunt incogitatæ Spiritus S. illustrationes, quibus duplicẽ illi manifestat abyssum: alterã propriarum miseriarum, diuinarum misericordiarum alteram: vt peccatoris terra ad perfectam suam conuersionẽ portas aperiat.

a *Iob. 17. 11.* b *c. 37. 1.*

c *Psal. 76. 9. & 96. 4.*

Primvm enim, si peccator sit infidelis, per hoc lumen videt ignorantiã, in qua vixerit; sectæ suæ falsitatem, falsæq; religionis deceptionem: & erubescit, quòd pro Deo habuerit Idola; pro luce, tenebras; pro veritate, mendacia; vitiaque pro virtute. Quod si fidem verã iam habeat, eodem lumine aduertere, ac sentire incipit miserias omnes nequã mundi, in quo habitat,

1.

peccatorum suorum fœditatem; propriæ damnationis periculum; bonorũ, quæ possidet, aut habere cõtendit, vanitatem; breuitatem vitæ; horæ mortis incertitudinẽ; diuini Iudicij seueritatẽ, terribilitatẽ inferni, ac tremendã DEI iram illi minãtis. Harũ rerum aspectu timet, tremit, ac contremiscit: & hic timor incipit ipsum ex loco suo, maloque statu, in quo est; & peccandi occasione, in qua versatur, educere: & nonnũquã efficit, vt sęculo rebusque, quas in ea habebat, omninò renuntiet: quo horrenda mala hoc lumine sibi perspecta, euadere possit. Quemadmodũ peregrinus aliquis obscura nocte perueniens ad periculosum aliquem locum, in quo ingens esset præcipitium, si repentè splendore corruscationis obortę, certum, si pergat, imminere sibi periculum videat, mox totus contremiscens subsistit, retroque cedit: Ita peccator, cuius c *viæ* (vt ait Dauid) *tenebræ & lubrioũ*, cùm primùm eius animæ illuxerit lucis diuinæ corruscatio, contremiscit totus finemque prauæ suę vitæ imponens, de ea emendanda cogitat; ac statuit.

c *Psal.* 34. 6.

2. *Veritates practicæ.*

QVOD vt maiori cum suauitate ac facilitate perficiat, eadem illustratio cœlestis ostendere illi consueuit excellentiam veritatum, quas fides Christiana reuelat; Ecclesiaque ad ipsius remedium proponit: manifestat illi virtutum pulchritudinem; ęternorum bonorum magnitudinem; infinitam DEI quem offendit, maiestatem, innumera, quæ ab eo accepit, beneficia; eiusdm in omni loco præsentiam, quid fiat spectantis; paternam, quam de suis gerit prouidentiam; insignem illam charitatem, qua factus est homo, & in cruce pro eius remedio mortuus; infinitam eius misericordiam, qua ipsum tamdiu exspectauit; infernoque dignum inuitat ad veniam. Quę & alia similia videns, præ stupore tremit ob mala, quæ scit se perpetrasse; erubescens, quòd creatorem pro creatura reliquerit; quòd tanto benefactori fuerit ingratus; erga supremum Dominum adeò inciuilis & inurbanus; ac denique tam parcus in eo amando, qui tantùm erga ipsum amorem ostendit. Propter quæ omnia statuit firmiter, cum amoris spiritu progredi in eo, quod inceptit cum timore. Ita accidit Saulo, Damascum cum magno furore contra Christianos proficiscenti: descendente enim Christo D.N. de cœlo ad eius animam expugnandam, d *subito circumfulsit eum lux de cœlo*, illuxitque cordi eius terreno, diuinæ illustrationis splendor, quo vidit, timuit, ac tremuit; & amotus ex suo loco, *cecidit in terram*. Sed quid ea luce vidit? vidit (quemadmodum suo loco perpendimus) propriæ miseriæ abyssum, qua persequebatur ipsum IESVM, venientem ad ipsum saluandum; ipsiusque IESV misericordiæ abyssum, eundem volentis seruare, qui ipsum persequebatur; vidit, quàm *durum sibi esset, contra stimulum calcitrare*: quam verò expediret, se pijssimo Redemptori subijcere: ex qua visione ita mutatus est, in virum alterum, vt ei sese dederet, quem persequebatur; ac diceret: *Domine, quid me vis facere?* o admiranda vis lucis cœlestis! ô ineffabilis illustratio-

Sauli Conuersio.

d *Act.* 9. 3.

Part. 5. *Medit.* 29.

nis

nis diuinæ potentia! quæ adeò erit dura terra, vt ad tantum splendorem non tremat? quæ rupes adeò fortis; vt ad talia fulgura non contremiscat? quis mons adeò erit profundè radicatus, vt non euellatur ex loco suo; tollaturq; & mittatur in immensum diuinarum misericordiarum mare, vt à suis omnibus miserijs liberetur? O lux diuina, quid de admiranda tua efficacitate dicam? Tu infideles conuertis; reducis hæreticos; mutas peccatores; desolas mundum; condis verò Ecclesiam; desolas seculum, reples verò deserta, & Religiones innumeris habitatoribus! *Hoc magnum lumen* (ait S. Gregorius) *tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderium virtutis adauget, magnum lumen per quod vitamus offendicula, præcipitia præcauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa, respuimus errorē, sequimur veritatem, Dæmonem vincimus, & sequimur Christum.* Cur non desideras, anima mea, hoc lumine illuminari, & illustrari hoc splendere? accede ad Patrem luminum, vt ea tibi communicet: si enim e *accesseris ad eum*, (quemadmodum ait Dauid) *illuminaberis* lumine gratiæ eius, *& facies tua non confundetur*, ob culpæ fœditatem.

n Psalm. 6. œnit. ad versum 6.

e Psal. 33. 6.

Sed amplius adhuc diuini huius luminis efficacitas ostenditur ex eo, quòd naturam habeat ignis, qui ardet & illuminat: illuminat in intellectu, ardet verò in voluntate: in qua vehemens efficit salutis desideriū: idq; impulsu adeò forti, vt faciat accelerare gressum, summaque velocitate currere, fugientem statum suum malum; quærentem verò, quod vidit, bonum. Vnde autem tanta oritur velocitas, nisi ab infinita Domini charitate, ignea ad expugnationem instrumenta, affectus scilicet amoris adhibentis. qui amor, flammæ instar, statim atque nascitur, videtur fugere terram, vt velociter perueniat in cœlum vbi finis eius est, & quietis locus. Cum enim Deus D. N. tenerrimè diligat animas, grauiter fert, si peccato eas videat defædatas: ideoque vehementer vrget, vt eas festinanter ex Dæmonis faucibus eripiat; accendens in eis ignem quendam amoris adeò vehementis, vt eas extra se faciat; vrgeatque vt velocissimè currant; (f *quemadmodum cerui*, qui serpentes deuorârunt, aut quos persequuntur canes) quærantque *fontem* gratiæ viuum, vt à peccatorum suorum veneno & crudelium hostiū persecutione liberentur. Hoc modo festinauit Maria Magdalena, quærendo Christum Seruatorem nostrum: cùm enim septem venenatos *serpentes*, multitudinem scilicet lethalium peccatorum deuorasset; septemque Dæmonia eam persequerentur, quæ passim allatrantia, eam mordebant ac vulnerabant: tacta illa diuini spiritus impulsu, ad suum quærendum medicum festinauit. Ad cuius pedes prostrata, igneque imflammatæ inspirationis liquefacta, tantam effudit vim lacrymarum, vt ad culparum maculas eluendas sufficerent. adeoque in cursu illo properauit, vt breui hora eousq;

3.

Ignis lucens & ardens.

f Psal. 41. 2.

Luc. 8. 2. Marc. 16. 9. Magdalenæ Conuersio.

peruenerit, quò multi alij iusti in multis annis non peruenerunt: quemadmodum insinuat dulcissima illa sententia eius, qui charitatis ac sanctitatis gradus ponderare nouit, ac æstimare, cùm dixit: g *remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Simili festinatione cucurrerant, eodẽ impulsu diuino tacti, Matthęus, Zachęus, Samaritana, alijque peccatores, quos Christus D. N. vocauit, & conuertit, significationem implens nominis, quod iussit DEVS, Isaiam illi imponere: h *voca*, inquit, *nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.* valdè enim anxiè desiderat, fortis illius armati domum prædari, eiusque spolia, nostra scilicet corda sibi accipere. Eâdem verò festinatione cupit ipse, nos prædari eius cor; magnoque feruore ac festinatione cœlum eius rapere. Ac propterea diuinũ suum spiritum communicauit tanquam ventum vehementem, & in linguis igneis: cuius ignis efficacia adeò fuit præpropera, vt prima sua concione S. Petrus, cum eiusdem inspirationis impetu, rapuerit sibi i *tria millia* peccatorum; & in secunda, k *quinque millia*. vt enim ait S. Ambros. *nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, horret moras, ac dilationes; potius, cùm primùm nostræ conuersionis opus aggreditur, vellet eam cum omni exactione perficere. Propterea enim dicit: l *ignem veni mittere in teram, & quid volo, nisi vt accendatur?* ignis hic est Spiritus sancti inspiratio, de cœlo in terram, in ipsos scilicet peccatores descendens: quam, vt eo citiùs opus perficiat, Christus ipse fouet, ac nutrit, donec contritionis & amoris actum producat, quo peccata consumantur. Sed quid mirum, si aspectus, quem lux diuina communicat, talem affectum ac properationem efficiat, ad consequendum quod vidit? Nam si aspectus corporalis rerum terribilium aut ipsi corpori iucundarum, magnum calcar addit ad festinationem in illis fugiendis, his verò quærendis: mirum certè non erit; si spiritualis aspectus rerum terribilium, aut spiritui gratarum eundem effectum producat. Quamobrem meritò nomen RVTH, *videntem* significat & *festinantem*, ad significandum, eam cœlesti lumine illustratam, tanto spiritus feruore opus suæ conuersionis acceleralse: vt adhuc Tyro in lege, quam amplectabatur, nullas timens difficultates, obtulerit se, quemadmodum posteà videbimus, ad æquè festinandum in cursu, atque ipsa Noëmi, quæ antiqua valdè erat, in eaque lege veterana. O diuinæ Vocationis efficacitatem, quæ illustrando inflammas, vrgesque vt festinetur, & absque offensione curratur! lux enim tua, & viam monstrat, & vires prębet, ad rectè, festinanterque progrediendum.

g *Luc.* 7. 47. & *Aliorum.*

h *Isai.* 8. 3.

i *Act.* 2. 41.
k *Cap.* 4. 4.
Lib. 2. *in Lucam.*

Luc. 12. 49.

Ruth videns & festinans.

§. 2. *Alij diuinæ vocationis effectus.*

EXPVGNATIS duabus spiritûs facultatibus, intellectu & voluntate: supersunt internæ carnis potentiæ, imaginatio & sensualitas, à quibus

bus fortis ille armatus arma plurima accipit. De quo propterea non sine magno mysterio Christus D. N. dixit, quod a *custodiat atrium suum*, domus enim hominis habet suas aulas altiores, Memoriam scilicet, Intellectum & Voluntatem; & atrium inferiùs ad ipsas portas, imaginationē scil. & sensualitatem : quarum portæ sunt ipsi sensus externi. Sed quoniam Dæmon nihil potest immediatè in superioribus illis facultatibus , vt postea dicemus; ideò omnem custodiam & vigilias adhibet, ad capiendum ipsum atrium: occupando scil. imaginationem, & sensualitatem; passiones, ac propensiones naturales: vnde ipsum spiritum oppuguare aggreditur, & superare contendit: quem, si iam superauit, inde quoque magna cura & solicitudine custodit; occupando quoq; exteriores ipsas portas, ne sensus aut aperiantur, aut occludantur, nisi ad ipsius nutum.

a *Luc.* 11. 21.

Atrium hominis imaginatio & Sensualitas.

At, supremus noster Deus, vtpote totius domûs, eiusque facultatum Dominus, potest impugnationem, vbi maluerit inchoare. Quare interdum vocationem auspicatur à sensibus externis, immittēs per portas oculorum, auriumue, imagines aliquas, quasi viuas, rerum valdè terribiliū; qualis est mors, sepulchrum, aut ignis inferni: quibus acceptis, imaginatio vehementer cummouet timorem & metum; quibus carnis propensiones marcescūt: Intellectus verò & voluntas pacatiores & aptiores manent, ad videnda & amanda , quæ sunt ad salutem necessaria. Sæpissimè autem impugnationem suam aggreditur ab ipsis altioribus facultatibus, rectà iaculando in eas globos, prunasque diuinarū inspirationum, quemadmodum diximus: ex quibus prouenit, vt facultates inferiores expugnentur, victæq; iaceant. Si enim immissus spiritus est sicut Ruth *videns & festinans*, lumine scilicet cœlesti videns res æternas; ad quas obtinēdas valdè festinat, ac properat: mox pars inferior est *deficiens*. Vi enim inspirationis diuinæ incipiunt vitia deficere; passiones langueſcere; carnisque insultus marcescere: debilitātur enim diuitiarum cupiditates, voluptatum appetitiones: & fumi vanitatum euanescunt: prout enim diuinus spiritus sensim ingreditur; ita spiritus proprius deficit sensim: & cùm ratio ipsa sese colligit, viresq; resumit, caro suas amittit: vna enim eademq; inspiratio, quę nos fortes celeresque reddit in bonum; eâdē operâ debiles reddit & lāguidos in malum: quēadmodum S. Gregorius optimè perpendit, dicēs: Qui in sui creatoris amore roborātur, quò magis in diuina fortitudine crescunt, eò amplius in propria deficiūt; & qui in desiderio rerū æternarū sunt robustiores; fiūt in cupiditate temporaliū debiliores. Propterea. n. Psalmista dixit: b *cōcupiuit ac defecit anima mea*, dùm cogitaret de *atrius Domini*: priùs dicit, *cōcupiui*, & postea, *defeci*: debile .n. est desideriū rerū diuinarū, nisi defectionē afferat rerū propriarū: eoq; amplius frigescit animus in amore seculi, quò Dei amore magis accēditur, q; insinuauit Sponsa, cùm dixit: c *anima me aliquefacta est, vt*

I.

Lib. 5. Moral. c. 30. & Homil. 13. in Ezech.

b *Psal.* 83. 3.

c *Cant.* 5. 16.

locutus

locutus est dilectus. statim enim atque diuinæ inspirationis pulsus, tactusque percipitur, carnis fortitudo debilitatur; & ipsa infirma debilisque manet in seipsa: quemadmodum etiam Iacob, cùm d *luctaretur* cum Angelo, Angelus verò *tetigisset nervum femoris eius, statim emarcuit: ipseq; claudicabat.* ad ostendendum, quòd, si diuini amoris affectus, spiritusque virtus sit firma & constans, amor proprius carnisque fortitudo deficiat. Hæc ferè S. Gregorius. Ex quibus deprehendes vocationis diuinæ, cor tangentis efficacitatem: attactu enim suo ita liquefacit ac dissoluit quicquid carnale illud habebat: vt te, æquè superbum & arrogantem atque Saulum, impetus iste ex equo tuæ superbiæ deijciat; carnis insultus moderetur; auferatque appetitum videndi, comedendi, bibendi, ac degustandi res iucundas huius mundi: & potiùs horrorem quendam, earumque fastidium tibi afferet: ingeret verò tantam tuæ salutis famem, vt præ eius desiderio deficiens, dicas cum Dauide: e *exercitatus sum, & defecit spiritus meus.*

d Gen. 32. 25

e Psal. 76. 4

2. *Contrarij effectus Spirituum.*

Ex his, quæ dicta sunt licebit discrimen agnoscere inter suggestionem Dæmonis, & Spiritus sancti inspirationem: quemadmodum enim spiritus ipsi, à quibus illæ proueniunt, contrarij sunt: ita contrarios habent effectus: quamuis idem prima facie nomen sortiantur. Vtraque enim facit nos videre, currere, ac deficere; sed modo omninò diuerso. Dæmonis enim suggestio excæcat oculos animæ, ne videat, quod præcipit DEVS; eosdem verò aperit ad videndum, quod caro concupiscit: quemadmodum euenit Euæ, cui dixit serpens: f *in quocunque die comederitis ex eo* fructu, *aperientur oculi vestri; & scietis bonum & malum.* Quare huiusmodi visio, cæcitas potiùs est appellanda, vt quæ meliori alterâ priuet. Contrà verò Spiritus S. inspiratio excæcat quidem oculos, ne videant, quod carni placet: sed eosdē aperit, vt videant, quod placet Deo: quemadmodū euenit Saulo: quem lux cœlestis adeò excæcauit, vt etiā g *apertis oculis nihil videret.* Quæ tamē, visio potiùs, quàm cæcitas est appellanda, vt quæ præstantem adeò rerum cœlestium visionem attulerit. Prætereà suggestio illa valdè facit properare in adimplenda propria voluntate, conculcando diuinam; At inspiratio properare nos facit, ad implendam diuinam, mortificando propriam. Suggestio illa debilitat spiritus vigorem, acuit verò carnis insultus; facit pedes veloces ad vitia, plumbeos ad virtutem: ipsa verò inspiratio, carnis passiones domat, spiritus verò affectus corroborat: & (vt ait Isaias) h *dat illis pennas sicut aquilæ, vt volare possint, & currere, non laborantes, & ambulare, non deficientes* in obsequio DEI. ad eum modum, quo sancta i *quatuor animalia ambulabant*; quę *plena oculis vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur in similitudinem fulgoris corruscantis.*

f Gen. 3. 5.

g Act. 9. 8.

Psal 13. 8.

h Isa. 40. 31

i Ezech. 1. 12. &c.

Hi sunt tres conflictus diuinæ vocationis in anima: vt obtentâ victoriâ, ingrediatur Iustificationis gratia; ad quam illa dirigitur: tūc autem non

solum

solùm optimè illi conueniunt tria mystica nominis Ruth significata prædicta, sed quantum adhuc valdè insigne & notandum. Voluit enim Deus D.N. idem nomẽ in diuersis linguis aut in ipsa Hebræa, cum diuersis punctis, varia habere significata, ad indicãda varia mysteria: hoc autem nomen Ruth, secundùm aliquos Doctores, significat *saturatam*, vel *inebriatam*. Anima enim, quæ solicitè adeò Iustificationis gratiam cõsiderauit; & ad eã obtinendã adeò properauit, disposita omninò est, dignaque, cui Dominus noster reddat, quod promisit, cùm dixit: k *Beati, qui esuriunt & sitiunt Iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Quæ autem hæc est Iustitia, nisi gratia, quæ nos iustificat? quæ tanta communicatur, quanta fames est ac dispositio, ad eam accipiendam præcedens: simul verò datur vinum Charitatis, quod nos inebriat, cœlestium donorum plenitudine; iuxtà illud Dauidis. l *inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, donec saturẽtur. Tunc etiam datur filio prodigo m *vitulus saginatus*, quo suum cor famelicum satiet. Alia denique stupenda affert bona in subsequentibus Capitibus insinuanda. Sed nunc huic finem imponamus, monẽtes, vt siquidẽ inspiratio Dei nostram exigit cooperationem, ad omnes hos effectus integrè producendos: statim atque eius pulsũ senseris, diuini Spiritûs præsentiam (vt S. Bernard. dicit) agnoscas: cuius vox sonat in auribus tuis, venitque ad te iustificandum; ac donis suis replendum; modò te ad ea recipiẽda disponas. Poteris verò magno feruore ei dicere: ô diuine Spiritus, qui vbi, & qua efficacitate vis, ad peccatores iustificandos, inspiras: præmitte ignem, qui te præcedit, vt luce suâ me illuminet, ardore inflammet, velocitate acceleret; actiuitate denique debilitet ad omne malum, & corroboret ad omne bonum: satiando me donis tuæ gratiæ, donec plenè satures in tua gloria in æternum. Amen.

Ruth Saturata.

Arias Mont. Tom. vlt. Bibl.

k *Matt. 5. 6*

l *Psal. 53. 9.*

m *Luc. 15. 23.*

Serm. 1. de Pentecost.

CAPVT III.

ADMIRANDIS VIIS ET RATIONIBVS Deus Dominus Noster vniuersos mundi peccatores vocat, offerens illis media auxiliaq; ad conuersionem sufficientia.

TVPENDA media adhibuit Deus D. N. adhibetque continuè ad omnes mundi peccatores vocandos, & conuertendos; tã infideles, ad suam Ecclesiam eos deducendo; quàm fideles, vt in ea dignè viuant. Nam (vt ait S. Grogorius, Nazianzenus) *incredibilis est vis amoris, si potentiæ coniungatur.* Et quoniam Deus in vtroque est infinitus, fit, vt immensa eius Charitas ipsum permoueat, ad media nostræ salutis omnipotentiâ suâ exe-

In vita sua quam ipse scripsit carmine.

quenda, quæ Sapientia infinita adinuenit: acommodando ea noſtræ naturæ conditioni. Hæc media multiplicia ſunt: quædam generalia, & omnibus communia; alia aliquorum propria: quædam rurſus ordinaria, alia extraordinaria,& ſtupenda.

Chriſti Zelus animarum.

SED inter omnia maximè eminet,& reliquorum omnium eſt fons:quod ipſemet DEVS in diuina ſua natura inuiſibilis, voluerit fieri homo viſibilis, induens humanam carnẽ, vt varijs medijs modisq; viſibilibus a *peccatores vocaret*:ad hoc enim (vt ipſemet dixit) deſcendit cœlo; id quod ſemper egit in terra,manifeſtans nobis multis parabolis, & comparationibus hanc ſuam curam,& voluptatem, qua in hoc munere exequendo afficiebatur. Nuncenim cõfert ſeipsũ cum b *Patrefamilias,qui ſummo mane*, & omnibus diei horis *exit,conducere operarios in vineam ſuam*:nunc.cum c *Regefeciẽte nuptias filio ſuo,& plurimos vocante ad nuptias*, vt tantæ lætitiæ eſſent participes: Interdum cum d *Paſtore ouium,eas nominatim vocante ac educente*; &, ſiqua earum aberret,magna cura e *eam quærẽte,donec inueniat*: inuentã verò *imponente in humeros ſuos,& cum gaudio* portante ad reliquum gregẽ. Sed vt maximè ſolicitudinem hanc ſuam diligentiamq; manifeſtaret:etiã cum ſolicita ac diligenti f *muliere* ſe voluit comparare,quæ cùm *decem drachmas haberet,& vnam perdidiſſet,accendit lucernam,& euerrit domum,& quæſiuit diligẽter donec inueniret,& cum inueniſſet,conuocauit amicas & vicinas,dicens: Congratulamini mihi quia inueni drachmam,quã perdideram.* Hæc mulier refert diuiuã ſapientiam, ipſum videlicet filium DEI, cuius nouem Angelorum Chori, & genus ipſum humanum ſunt tanquã decem drachmæ, ſiue nummi, creatoris ipſorum imagine cuſi: cumque humanæ naturæ drachma ob Adami peccatum perijſſet,quamuis ſatis aliàs diues eſſet,vtpotè cui nouẽ aliæ pretioſiores in Cœlo ſupereſſent: inde tamen deſcendit, ad perditam tanto amore ac diligentiâ quærendã,atque ſi illa eſſet totus eius theſaurus,quã vt quæreret,accẽdit lucernã,noſtram naturã induens,corpore & anima conſtantem,tanquam cera & lychno:addens illi infinitæ ſuæ diuinitatis lucem. Qua lucerna accenſa,totam domum Iſrael huc illuc illuſtrando perambulauit,quærens animas quæ ſuâ pulpâ perierant.Quis verò explicare poterit quantã in hoc adhibuerit diligentiam? quot media?quotque labores in ijs quærendis ſit paſſus! ô quantum tibi conſtitit, Redemptor mi, hãc drachmam,quærere,& inuenire! In vno die eam creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam; in altero aſtutia ſerpentis illa perijt: tu verò triginta annos in ea quærenda cum immenſo labore impendiſti. Hanc ob cauſam in pauperrimo tugurio natus es; octaua die circumciſus, ſanguinis tui primitias effudiſti;in Aegyptum, vt Herodis perſecutionẽ euaderes,fugiſti; hanc ob causã 40.dies in deſerto ieiunaſti; tres annos per totam Iudæam & Ga-

a *Luc.5.32.*

b *Mat.20.1.*
c *Cap.22.2*

d *Ioan.10.2*
e *Luc.15.4.*
Matt.18.12.

Luc.15.8

Chriſtus lucerna

lilæam prædicasti; noctes transigebas orando pro peccatoribus; dies cum eisdem conuersando, vt eos à suis peccatis educeres: quos nunc rationibus ad te adducebas; nunc beneficijs nunc prodigijs, ac miraculis pertrahebas: semper in paupertate & cum defatigatione peregrinabaris, omnibus benefaciens, & mille mala ab eis accipiens. Propterea sanguinem in horto sudasti, captus ac vinctus fuisti, atque ad varia tribunalia ductus, ibique accusatus, colaphis, sputis, flagellis cæsus, spinis coronatus; ac denique ad crucis mortem condemnatus; in qua pretiosissimæ tuæ humanitatis candela accensa, amoris igne consumpta, & extincta fuit. Sed die tertio ad nouam, & glorificatam vitam rediens, redemptioni nostræ finem imposuisti, recipiens perditam nostræ naturæ drachmam. Quamobrem iustissimum est, amicas & vicinas tuas, Angelorum Hierarchias de ea inuenta tibi congratulari.

Sed non hic subsistit huius Domini diligentia, cùm enim necessarium esset, ipsum ad Cœlum ascendere, multas alias lucernas accendit, quarum lumine animæ, quæ in terra perierant, applicato illis copioso redemptionis suæ fructu quærerentur. lucernæ in hunc finem accensæ, fuerunt Apostoli & Euangelistæ; suntque Pastores ac Doctores Ecclesiæ, qui vitarum suarum exemplis, concionibus, libris, ac miraculis mundum illustrarunt, & peccatores innumeros conuerterunt. Et quotidie multas alias lucernas accendit, quæ in idem munus succedant: quas propria manu ipse deducit, & per angulos terræ suâ prouidentiâ dirigit, vt vel pauperculam aliquam animam quærant, quam cœlo lucrentur. Cum enim g *omnes homines velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: nunquam cessat euertere huius mundi domum, varijs euentibus, eamque euerrere & ab erroribus, ignorantijs, ac peccatis expurgare. Et ideo vnumquemq; hominem (vt ait Sanctus Prosper) varijs modis vocat, nunc manifestis, nunc occultis exhortationibus, persuadendo exemplis, monendo, terrendo minis, excitando miraculis, bona consilia inspirando, illuminando corda, & ad virtutem alliciendo. Aliquando (ait S. Gregorius) eos vocat per seipsum, aliquando per Angelos, & interdum per homines suos ministros: nunc prosperitatibus, nunc aduersitatibus domum animæ euoluendo, & quicquid in ea est euertendo, ne pereat omninò. Quamobrem eousque progressus est S. Augustinus, vt diceret, quemcunq; ad Deum conuersum, *trahi miris modis*, in quibus infinita Sapientia, bonitas, & omnipotentia trahentis elucet. Et quamuis modi ordinarij eos trahendi, eò quòd occulti sint, non rapiant homines in admirationem: si tamen eos assequerentur, obstupescerent ordinem, suauitatem, & efficacitatem, quæ sunt reuera in eis.

Doctores lucernæ.

g 1. *Tim.* 2. 4.

Lib. 2. de Vocat. Gent. c. 20.

Homil. 36. in Euang.

Lib. 1 contra duas Epist. Pelag. c. 9.

§ 1. *Ordinaria & extraordinaria Vocatio.*

EX his licet deducere duplicem Vocationem: alteram Ordinariam,& iuxtà communes Gratiæ leges,& ea, quæ prouidentia diuina ordinariè disponit per media, quæ ad id constituta habet; alteram Extraordinariam, quæ harum legum terminos transgreditur, sitque inusitatis aut prodigiosis modis, quibus DEVS D. N. vtitur, vt singulare omnipotentiæ & præcellētis suæ charitatis det indicium, qua suos diligit Electos: quos propterea à repentè tanta luce, adeoq; vehementi inspiratione præuenit, vt in momento perficiat, quod ordinariæ in multis annis non effecerunt: aut etiā hoc subsidio eo tēpore eis subuenit, qui illi actu contradicebant ac resistebant: quos ita permutat, vt assentiātur & amplectātur, quod prius horrebant ac repellebant. Hoc modo vsus est Dominus noster, cum latronē in cruce, & Saulum ex itinere Damasceno vocauit: & nonnunquā huiusmodi stupendas facit vocationes: vt prodigium, quod erga vnum peccatorē adhibet, multos alios animet; videntes, illum ita repentè mutatum; & quēadmodum S. Paulinus dixit: *ostendit in raris, quod omnibus prosit, si velint.* Quamuis enim adeò sint inueterati, & in suis peccatis obdurati, quemadmodum miseri illi de quibus Ieremias: *a si mutare potest Æthiops pellem suā, aut Pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malū:* nihilominùs, quod hominibus est impossibile, Deo est facilè: qui suæ vocationis vi potest, ac solet in momēto mutare Æthiopum nigredinem, & Pardorum varietatem: iustificando scil. peccatores, habentes plura peccata, quàm Pardi maculas; & qui sint turpiores; peccataq; in eis magis radicata, quàm sit color in Æthiopibus. Quis b *Matthæo* Publicano nigrior? & quis magis Pardus c *Sauló*, Christi persecutore? hos tamen subitò mutauit DEVS, dans alteri albedinem, plusquam niuis; alteri mansuetudinem, plusquam agni: vt in eis misericordiæ & omnipotentiæ suæ magnitudinem manifestaret; simulque diffidentiæ & pusillanimitati tuæ mederetur: Si fortè cogitans multitudinem, tuorum peccatorum, existimes non superesse tibi remedium. Nec tamen occasionem hinc arripias hærendi in tua deprauata vita, quasi expectans vocationem aliquam prodigiosam & inusitatam: hoc ipso enim eius te reddis indignum. neque enim DEVS eiusmodi facit prodigia cum vno peccatore, vt ex eo alij in suo peccato permanendi occasionem accipiant: neque in ordinaria sua lege cum aliquo dispensat, vt eam multi contemnant: neque Rex priuilegium contra communem legem alicui dat, vt impunè is possit infidelis & proditor esse. Cum igitur DEVS ordinariam statuerit legem, quam seruat in vocandis peccatoribus: ne tu extraordinariam & prodigiosam expectes. Nam, si prodigia desideras, hæc ipsa lex ordinaria multis prodigijs est plena. Quid enim magis

stupen-

Refert Bellarmin. tom. 3. lib. de gratia. c. 5.

a *Iere. 13. 23*

b *Matt. 9. 9.*

c *Actor. 9. 1.*

ſtupẽdum, quàm rebus omnibus huius mundi naturalem ſuum curſum retinentibus, ex omnibus, quæ inde eueniunt, ſiue proſperis, ſiue aduerſis occaſionẽ accipere, ad peccatores, per media conditioni & ſtatui cuiuſque accommodata, vocandos? Quis dixerit, conuerſionem huius Ruth, etſi facta fuerit via ordinaria, non fuiſſe adeò admirandam, vt prodigioſa dici poſſit? Si enim rem benè perpenderis, deprehendes, famem quæ erat in Iudæa, peregrinationem Elimelech cum ſua coniuge Noëmi, duobusque filijs in terram Moab; mortem Elimelech, & coniugium filiorum eius cum Ruth & Orpha; mortem quoque horum duorum coniugum; famis in Iudęa ceſſationem; reditum ipſius Noëmi in eã, & quod vtraq; nurus ex amore, quo illam proſequebantur, eam comitarentur; & quod ipſa Ruth modeſtia & virtute Noëmi caperetur, afficereturq; ad Religionem, quam illa profitebatur: hæc inquam omnia intelliges, fuiſſe media, per quæ Deus D. N. non minus admiranda, quàm occulta diſpoſitione, Ruth conuerſionem direxerit: inuenire cupiens hanc drachmam, in regione Moab perditam. In ſingulis autem his rebus tot admiranda elucent, vt verè dicere liceat, Ruth ad ſeruitium diuinum *miris modis* fuiſſe deductam: &, per ſimilia media, proportione quadam, vnuſquiſque peccator, & tu ipſe, ſi in miſero hoc ſtatu hæres, vocaris à Deo; ac reipſa deduceris, niſi eius vocationi, ſicut Orpha, reſtiteris. Ad cuius Orphæ conuerſionem eadem omninò media diuina prouidẽtia cõſtituit, quæ ad Ruth ipſius: ſed culpa ſua noluit eis vti, perijt tandem in ſua regione Moab, in qua permãſit in ſua idololatria.

Vocatio Ruth mira.

Orphæ derelictio.

§. 2. *Deum inſpiratione ſua omnes peccatores vocare.*

VT autem perſpicias, quàm ſit effuſa diuina prouidentia in vocandis omnibus huius mũdi peccatoribus, in duabus his fœminis adumbratis, tam qui vocationi annuentes, ſaluantur; quã qui, eidem reſiſtentes, pereunt: audi, quid ipſe Deus per ſuum Prophetam dixerit: a *inuenerunt qui non quæſierunt me; dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulũ, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas: populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper.* O charitatem infinitã! ô immenſam liberalitem! quò potuit vlterius, Domine, extendi tuæ liberalitatis amplitudo, quàm vt manus tuas expanderes, tuaq; dona incredulo populo, ſemper tibi contradicenti, teque ad iracundiam prouocanti, diſtribueres? quæ maior potuit eſſe charitas, quàm expanſis vlnis infidelem adeò populũ excipere; qui, tuis contemptis vijs, graditur poſt cogitationes ſuas? & cuius alterius, niſi tuus amor eò peruenire t, vt brachia manusque tuas cruci affigendas extenderes: quò eidem illas affigenti populo ſalutem & vitam tribueres? quæ qui fecit, quid mirũ,

a *Iſai. 65. 1.*

si quærat ipsemet eos, qui ipsum non quærunt; offeratque se, vt inueniatur; occurrat ijs, qui nihil minus attendunt, quàm vt de ipso interrogent: obuiã eat ipsum non vocantibus: dicens semel & iterum: *ecce ego, ecce ego*, quasi diceret: hìc sum, paratus vos docere viam cœlestem, tanquam *Magister*; & remittere peccata vestra, tanquam, *Redemptor*; morbis vestris mederi, tanquam *medicus*; orationes vestras exaudire, vosque mecum vnire, si ad meum obsequium vos transferetis.

b *Prou.* 1. 20.

Hoc ipsum intendit Spiritus sanctus docere per os Salomonis: b SAPIENTIA, inquit, *foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat; in foribus portarum vrbis profert verba sua, dicens: vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam: En proferam*, communicaboque *vobis spiritum meum*: quid sibi vult, quod Sapientia diuina proprio motu ad prædicandum prodeat, non modò in Ecclesijs, oratorijs, locisque ad id destinatis: sed etiam in plateis, quo negotiatores conueniunt; & in capitibus turbarum, quò homines otiosi confluunt; & in portis vrbium, vbi Iudices iudicia ferre solent? quid inquam, hæc sibi volunt, nisi nos monere, nullum esse in mundo locum, ad quem illa, antequam vocetur, non accedat, vt homines doceat, quæ sint illis facienda, vt saluentur. Ibi clamitat, vt surdi audiant; distracti attendant; clamosi taceant; valdè occupati cessent: vt omnes eius verba percipiant, attendantque, quanta dona illis offerat. Docet enim nos experientia, tunc maximè solere DEVM ad nostras portas pulsare, & ad cor loqui, cùm nostræ salutis maximè sumus immemores, & ad huius vitæ commoda maximè intenti; nosque monere de imminente nobis ob nostra peccata periculo; & eorum offerre veniam.

Sapientia clamor validus.

Par. 3. Medit. 56.
c *Luc. 14. 16. Matth. 22. 1.*

HÆc omnia declarauit fusius Sapientia incarnata sub illa iucunda parabola, qua dixit: c *Simile est regnum cœlorum homini cuidam, qui fecit cœnam magnam, & vocauit multos; & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent: quia iam parata sunt omnia: & cœperunt simul omnes se* fucatis rationibus *excusare: ideoque dixit seruo suo: exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, & ait seruus: Domine, factum est, vt imperasti, & adhuc locus est, & ait Dominus seruo. Exi in vias, & sepes, & compelle intrare vt impleatur domus mea.* Quid aliud voluit CHRISTVS D. N. insigni hac parabola, quàm nobis patefacere ingens illud desiderium, quo tenetur, vt omnes peccatores, nullo excluso, domum Ecclesiæ suæ ingrediantur, sintque illius conuiuæ: vt æternæ vitæ cibis, quos præparatos iam habet, fruantur. Quod vt obtineat; diligẽtissimum valdeque solicitum seruum mit-

tit

tit, qui illos inuitet, sanctam scilicet suam *inspirationem*, cuius ingressum nulla occlusa porta, surdaue auris potest impedire. Omnia enim penetrat, nuntiatque, quicquid à suo Domino in mandatis habet; vt scilicet ad conuiuium omnes veniant. Et quoniam tria sunt in mundo peccatorum genera, ter ad eos inuitandos mittitur; nunc quidem sola inuisibiliter; nunc verò cum socio visibili, qui est Euangelicus prædicator; ac denique cum aliqua aduersitate, quæ compellat intrare.

Inspiratio legatus fidelis & efficax.

Tripliciter vocat.

Primvm itaque *diuitum* domos, Principum aulas, & Sapientium vniuersitates ingreditur, omnes monens: vt, vitijs reiectis, Sacramenta percipiant, seseque ad suum Creatorem ex toto corde conuertant; sintque ipsi primi præbendo alijs bonum exemplum. Sed ijdem, vt postea dicetur, primi esse solent, qui diuinę vocationi resistunt, iuxta illud Prophetæ de optimatibus: d *Ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula iudicii Dei sui.* Nam quò sunt potentiores, eò sunt vocationi magis rebelles: quò enim magis suis passionibus sunt addicti, eò sunt ad eis resistendũ debiliores; vinctique amore bonorum temporalium; ne illa vincula rumpant, spiritualia contemnunt, & æterna.

1. *Diuitum fastidium.*

d *Ierem. 5.5*

Videns itaque Dominus noster, quàm indignè diuina eius inspiratio in Magnatum diuitumque huius sæculi domibus excipiatur, mittit eam ad vicos & plateas ciuitatis, hoc est Ecclesiæ, ad vocandum & inuitandum omnes *pauperes* infirmos, claudos, & cœcos: vt illi venientes fruantur supernis bonis, quæ alij noluerunt acceptare. Quòd si & hi, agnoscentes se miseros esse, peccatisque plenos, sese excusent, dicentes: se non esse dignos, qui in tanti Principis conuiuio compareant; se non habere oculos ad videndam viam, qua illuc eatur, eò quòd sint *cæci*: nec pedes ad eundum, quia sunt *claudi*; nec vestes, vt conuiuij locum ingrediantur, eò quòd sint *pauperes*; nec ad tales cibos sumendos appetitum, eò quòd sint debiles & *ægroti*.

2. *Pauperum frigida excusatio.*

His omnibus excusationibus diuina inspiratio respondet: Dominum, qui vocat ad conuiuium, posse his omnibus remedium afferre: Nam cœcis potest visum præbere fidei; claudis pedes amoris & charitatis: pauperibus pretiosam gratiæ vestem; debilibus salutem & spiritualem gustum: additque inspiratio, propterea ipsos vocari, quod sint adeò abiecti, & miseri; velitque Dominns misericordiæ suæ magnitudinem in eis ostendere: liberans eos à tanta miseria, tribuensque omne quod ipsis deest bonum. O charitatem infinitam, & sine mensura profusionem! quis crederet, supremum adeò Principem admittere velle in aulam suam, mensæque suæ regiæ tam miseros & abiectos adhibere? Ne itaque, frater, existimes, Devm prætermissurum vocare te ad cœleste suum conuiuium, propterea quod vilis tu sis & abiectus; &

Christi pia solutio.

corporis

corporis animæque miseriis plenus: hoc ipsum enim illum mouet ad commiserationem: ac propterea te inuitat, non vt ipse ex tua amicitia diuitias, aut honores sibi comparet; sed, vt sua ipse te ditet, ac honoret: nec suum
c Prou. 8. 5 commodum, sed tuum quærit. c *eius enim* conuiuia ac *delitiæ* sunt, *esse cum Filiis hominum*, vt eorum reparet miserias.

3. SED quoniam omnis turba huius ciuitatis Ecclesiæ exigua est, pro magnitudine conuiuij, quod DEVS præparauit, pergit inspiratio diuina extrà ciuitatem ad vias, sepesque infidelitatis, vocando prætereuntes omnes, vt
Deus etiam ab Ecclesia alienos vocat. veniant ad conuiuium: Vocat enim gentes, Mauros, Iudæos, & Hæreticos inspirans omnibus, vt sese ad Catholicam Ecclesiam recipiant, veramque fidem eius amplectantur, sine qua salui esse non possunt. Et interdum eos compellit intrare, nõ vi armorum, sed rationum: quas adeò luculenter efficaciterque proponit, vt sentiant, se ab ipsa veritate coactos, vt vocantem sequantur, oblatumque bonum acceptent. Desine itaque admirari, anima mea, quòd vocet Deus cœcos, claudos, pauperes, ac debiles ciuitatis, eosq; sua mensa dignetur: Nam huiusmodi, etsi aliàs miseri, tamen sunt homines rationabiles, fideque illustrati. Illud potius admirare, quòd inuitet syluestres, & feras ambulantes per loca deserta & inuia; gentem moribus bestiarem, sine fide, sine religione, sine ratione viuentem: nec horreat eos, ad suam mensam adhibere, dareque ijs, qui canes erant, panem filijs aliàs præparatum.

§. 3. *Deus iubet, suos ministros admittere, quos ipse vocat peccatores.*

QVAMVIS quæ dicta sunt, vehementem meritò afferant admirationem: multò tamen maiorem affert cura & solicitudo eiusdem Domini nostri in eiusmodi hominibus vocandis: inspirat enim seruis domus uæ ministris Ecclesiæ, nè tales vocare dedignentur; nec horreant admittere, quos diuina eius inspiratio vocauerit, traxeritque: vt sic domus eius citò repleatur. Suauiter valdè aperuit D. N. hoc suum desiderium & solicitudinem suo Vicario Principi Ecclesiæ, cùm horreret gentes admittere, qui diuina vocatione tacti, ad eam accedere volebãt. a *Cecidit*, inquit S. Lucas, *super Petrum mentis excessus: & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum: quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpẽtia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eũ: surge Petre, occide, & manduca: ait autem Petrus: absit Domine, quia nũquã mãducaui omne commune & immundũ. Et vox iterum secundo ad eum: Quod DEVS purificauit, tu commune nè dixeris. Hoc autem factum est per ter: & statim receptũ est vas in cœlum.* Quæ potest esse diuinæ misericordiæ luculentior expressio,
a *Act.* 10. 11 .bi. & Gloss.

eius-

ciusque bonitatis exemplar admirabilius? erat illud linteu (vt ait Beda) Ecclesiæ Catholicæ figura, quę lintei instar fuit persecutionibus contusa, lota, & dealbata sanguine agni, b *qui* (vt ait Apostolus) *eam dilexit, & seipsum tradidit pro ea: vt exhiberet sibi ipse gloriosam, non habentem maculam, aut rugam aut aliquid huiusmodi*, cuius prosapia est è cælo: c *vnde est omne datum optimum & omne donum perfectum*: & innititur quatuor sanctis Euangelijs, quæ per quatuor mundi partes prædicata fuerunt; docendo homines; quid credere, facere, & orare debeant; & quæ Sacramenta suscipere. Hi sunt quatuor funiculi, quibus Deus Ecclesiam cęlo tenet alligatam ita fortiter, vt nemo possit eam dissoluere, aut funes illos abscindere: per eos autem transferetur posteà in cœlum, vnde descendit.

Ecclesia linteum.
b *Ephe. 5. 25.*
c *Iacob. 1. 17.*
4. Euangelia.

Qvæ autem lingua dicere sufficiet, qua ratione hoc linteum in cælum ascendat, & quinam tandem in adeò mundo linteo reposiți trahantur? *quadrupedia* nimirum, *& serpentia terræ, & volatilia cœli*: abiectissima inquā hac mundi fæce plenum trahitur, & inducitur in paradisum. O dulcissime Iesv, quomodo cor tuum ferre potest, vt in linteo adeò mundo, & in quo abluendo ac dealbando tam multa exposuisti, ingrediantur animalia adeò sordida, & stomachum mouentia? quomodo ipsum cœlum vis feris adeò immundis complere; quas tuus Apostolus, vel tāgere, ob conceptam nauseam, recusat. Sed verè tu, mi Rex, non concipis nauseam ex peccatoribus, quos tenetrimè diligis; quos, vt quæreres, ex cœlo descendisti; & cum eisdem adeò familiariter versabaris, vt d *cum Publicanis & peccatoribus manducares*; teque ab eis tangi permitteres: licèt superbi Scribæ, & Pharisæi ea de re murmurarent; nec dicebas, sicut illi: e *recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es*; sed potius accede, & tange me, vt mundus fias. Quo amore permotus, omnes peccatores, quantūuis abominandos, in mundissimo Ecclesię tuę linteo recipiendos esse decreuisti: Idololatras, qui animantia bruta tanquam Deos adorabant; homicidas, fures; crudeles, & ferarum instar vltores, falsarios, deceptores, astutos; & serpentium instar implicatos, ambitiosos, & auium instar arrogantes; omnes inquam vocas: & ad cœlum tuum inuitas; iubesq; tuum Vicarium, omnesque tuos in eo ministros occidere & māducare: occidere scilicet eorum peccata, in sancti Baptismatis ac Pœnitentiæ aquis ea summergendo; manducare verò, in Ecclesię sanctæ viscera per fidem & charitatem traijciendo: quemadmodum cibus corporis ingressus in comedentem, vnum cum ipso corpus cōficit. Nec vis ministros tuos cum aliqua nausea huiusmodi peccatores admittere: cùm nullam tu habeas, dum eos vocas, & ad ipsorum pedes deducis: potiùs cupis, vt eos amplectantur, adeoque amanter excipiant, vt intra viscera sua immittant. Deniq; certos nos facis ac securos: omnes, quotquot in linteū

2.

d *Matt. 9. 11. Luc. 15. 2. c. 33.*
e *Isai. 65. 5.*

Ex S. Gregor. lib. 20. Moral. c. 6.

illud recipientur, peccatis mortuos, fore in cœlum tuũ admittẽdos; & eos, qui feræ ac serpentes prius fuerant, inter Angelorum Hierarchias collocãdos. Laudent te Regem meũ, Seraphini ob accensum adeò amorẽ, quo nos prosequeris; animentur peccatores, ad fiduciam in tua misericordia collocandam; discãt sacerdotes, amanter & benignè eos recipere, te imitantes. Ne repellat seruus eũ, cui Dominus remittit offensam; nè sit minister crudelis in eum, erga quem iudex est benignus; nè domus præfectus sit parcus in bonis sui Domini distribuendis, cùm Dominus iubeat eum esse liberalem, nè ianitor portas cœli occludat, cùm iubeat Deus eas aperiri; & omninò patere omnibus, demissè per eas ingredi volentibus; ne vilis vermiculus faciat sibi nauseam comedendi eum cibum, quem comedit ipse Deus. Occidant & comedant, quemadmodum vox ipsa cœlestis præcipit: nec dico, vt comedant peccatorem adhuc viuentem, in quo adhuc viuunt peccata; in quibus vult adhuc hærere: huiusmodi enim peccatorem reprobat Deus, & tanquam immundus non ingredietur in cœlum: tali claudant etiam ministri portas claubus, quas ad id habent: siquidẽ ipsemet DEVS non vult talibus eas aperiri: nullum tamen comedere prætermittant peccatorem iam mortuum, dolentem scilicet de suis peccatis: iuuent potius, vt suis culpis omninò moriatur, & statim comedant, & in Christi corpus traijcere studeant, vt vnum ex vtroque confletur: non enim decet tanquam immundum reijcere, quem DEVS purificauit, vocauitque, vt Sanctus esset.

Occide & manduca.

Lib. de Spirit. S. c. 11. & 12.

T[illegible], ait S. Lucas, vocem illam cœlestem auditam esse: vt hæc veritas altiùs Sancti Petri, ministrorumque Euangelij, tàm Concionatorum, quàm Confessariorum cordibus imprimeretur, quam vocem sanctissima Trinitas confirmauit, cuius opus (teste S. Ambrosio) est ipsa vocatio gentium. Ter quoque vox illa cœlestis insonat: nam inspiratio diuina, quemadmodum ter proditad vocandos peccatores: ita quoque ter inspirat, docetque Concionatores mansuetudinem, & charitatem in iisdem recipiendis: vnũquemque verò peccatorem certum esse iubet, si ad misericordiam diuinam se receperit, fore admittẽdum. Quamuis itaque vitam tuam, frater, expenderis hactenus in operibs ferarum, odijs & rancoribus excandescens; quamuis te carnalitatibus & luxurijs alicuius bestiæ instar tradideris; licèt nihil aliud feceris, quàm serpentis instar te implicando, & fraudes in tuos proximos machinando: & quamuis vitã totam in superbis studijs transegeris; conando, super omnes, auis instar, volare, nemini verò te subijcere: non est cur de diuina misericordia diffidas: modò tuis peccatis mori constituas; eius enim viscera, cœlique portæ, quamuis illis sint occlusæ, qui in suis sceleribus velint semper hærere; patent tamen ijs, qui eisdem mori desiderant.

CAPVT

CAPVT IV.

DEVS D. N. VEHEMENTER ESVRIT Conuersionem peccatorum, quod si aliqui pertinaciter ipsi resistant, accipit inde occasionem, efficaciùs alios in illorum locum vocandi.

DVæ illæ parabolæ de iuuitatis ad cœnam, & ad nuptias, qui, ob suam in excusando pertinaciam, repulsi sunt; & in locum eorum alij efficaciùs vocati, & quasi venire compulsi, incutiunt nobis hinc magnum diuinæ Iustitiæ timorem; inde verò magnam de diuina misericordia fiduciam: vt vtroque hoc pede *timoris & spei* progrediamur: sine altero enim horum non feliciter conficietur hoc iter. Ad huius rei maiorem declarationem præmittendum est, admirandam esse, nec comprehendi posse famem salutis hominum, qua premitur CHRISTVS D. N. ob sui Patris gloriam, & ipsorum hominum commodum: quorum conuersio fuit ipsi instar cibi, dum vixit in hac vita: adeò vt corporalis cibi obliuisceretur, quò hâc Spiritus escam sumere posset. Quod manifestè ostendit postquam conuertisset Samaritanam; reliquosque Samaritanos exspectaret, vt conuerteret; rogantibus enim Discipulis, vt manducaret, eò quòd tardè esset: respondit, *a meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me; vt perficiam opus eius*, redemptionem scilicet mũdi; & conuersionem earum animarum, quas expectabat. Quemadmodum enim famelicus homo, cùm in sua patria non inuenit panem, ad aliam migrat, in qua sperat se posse inuenire: Ita Christus D. N. cùm non inueniret hunc cibum animarum in vno loco, eò quod ipsius vocationi ac prædicationi resisterent; transibat ad alium, vt eas quæreret: adhibens apta media, vt aliquæ illi obedirent: solæ enim obedientes, & quæ ipsi se dederent, ipsius erant cibus.

Spes & Timor.

a *Ioan. 4. 34.*

HANC eandem salutis animarum famem vehementem impressit idem Christus Seruator noster suis Apostolis ac Discipulis; & etiamnum imprimit Prælatis, Virisque eius Ecclesiæ Apostolicis, quorum præcipuus est cibus, conuersio peccatorum, iuxta cœlestis vocis præceptum, quæ dixit S. Petro: b *occide & manduca*, quemadmodum proximo capite explicatum est. Ex quo prouenit, vt, quandò in prouincia, aut ciuitate aliqua hanc animarũ suarum escam non inueniunt, quia eorum prædicatio non admittitur, sed eius potius causa persecutionem patiuntur, ex DEI inspiratione aliò se cõferant, vbi eam inuenientes, famem suam satient. Cuius rei figura fuit, mystica illa mulier, quæ referebat Ecclesiam: de qua dixit Sanctus Ioannes,

b *Act. 10. 13.*

Apo. 12. 14. quod, cùm Draco eam persequeretur, c *datæ sunt mulieri* à DEO *alæ duæ*, non columbæ timidæ, sed *aquilæ magnæ* ac robustæ, *vt volaret in desertum, in locum suum: vbi alebatur per* longum *tempus*. Quæ figura significat, diuinam prouidentiam duplicem Ecclesiæ suæ affectum tribuere, non timoris, sed amoris & zeli: alterum gloriæ ipsius DEI; alterum salutis proximorum: qui acuùt in ea fame conuersionis eorum, ad sui creatoris gloriam dilatandam. Quibus alis d *fugit ex loco persecutionis*, quemadmodum Magister eius illi commendauit; non ex timiditate, aut ob cruciatus euadēdos; sed quòd nullum ibi fructum faciat; nec cibum inueniat, quem esurit. Ideoque ex DEI ipsius inspiratione confert se in solitudinem, ac desertum, alias scilicet ciuitates & loca peccatorum, quæ æterna sua prædestinatione illi præparauit, vbi alatur esca illa animarum, quam tantopere appetit. Licebit quoque has duas Ecclesię alas dicere, esse feruentes Concionatores, & Euangelij ministros, qui præcipuæ sunt mystici huius corporis alæ: quēadmodum auis alæ, partes sunt præcipuæ corporis eius naturalis. Quorum ministrorum munus est, binos prodire ad prædicandum, charitate scilicet vnitos: sic enim CHRISTVS D. N. e *binos mittebat suos discipulos*, ad fidem per mundum dilatandam, & Ecclesiam deducendam ad infidelium deserta, apud quos nunquam aliàs fuerat, vt ibi alatur, & saturetur animabus, quas tanquam escam in corpus suum traiecerit.

Ecclesia gloria Dei & salus animarum.

d *Matt.* 10. 23.

Charitas Concionatorum.

e *Luc.* 10. 1.

§. 1. *Gentium Vocatio ob Iudæorum pertinaciam.*

QVEMADMODVM euenerit, quod diximus, incipiemus ostendere ex occasione: quam accepit Christus D. N. (sicut ipse duabus his parabolis prædixit) transferendi Ecclesiam suam ad Gentium desertum, ob Iudæorum repugnantiam, quà ipsius prædicationi restiterunt. Cùm enim ipsemet è cœlo, ad eos vocandos, descendisset, vt suam Ecclesiam legemque Euangelicam, quam afferebat, in eis plantaret, colligendo, quemadmodum ipse dixit, a *oues, quæ perierunt domus Israel*: ipsi verò se rebelles huic vocationi exhiberēt, etiam cùm posteà per Apostolos vocarentur: decreuit occultis suis, sed iustis iudicijs, eos deserere, b *auferens ab eis regnum Dei*, quod est vera Ecclesia; & Scripturas sacras, Sacramenta, & Sacrificia, quibus illud innititur; & transferens illud ad gēntes, quas adeò efficaciter vocauit, vt Euangelij prædicationem admittentes, copiosos fructus proferrent: quibus Ecclesia famem huiusmodi ciborum satiaret.

a *Mat.* 15. 24.

b *Matth.* 21. 43.

HORVM omnium insignem & iucundam habemus expressam imaginem in Historia, quam refert primum caput RVTH, si enim ex Apostoli regula, c *omnia*, quæ instrumēti Veteris Patribus euenièbāt, *in figura contingebant illis*, rerum aliarum, quæ in Nouo erant ventura: quis negabit latere mysterium in eo, quod ELIMELECH Bethleemita cum coniuge NOEMI duobus-

c 1. *Cor.* 10. 11.

duobusque filijs Mahalon, & Chelion, non habentes quod in sua patria comederent, *eo quod facta esset fames in terra*, illam desererent, & *abirent, vt peregrinarentur in regione Moabitide*, terra scilicet gentilium: in qua mortuo parente, duo eius filij ducerent vxores Moabitidas; ibique ad mortem vsque permanerent: ipsa verò Noëmi, quæ sola superstes erat, conuerteret Ruth Moabitidam; cum qua tandem in patriam rediret, ex qua exiuerat? Hoc inquam totum fuit procul dubiò viuum quoddam exemplar & imago desertionis Iudæorum; & Vocationis, Conuersionisque gentilium, de qua nunc agimus. Nam (quemadmodum Glossa interlinearis dicit) Elimelech, qui ciuis erat Bethlehemiticus, interpretatur; Deus *meus Rex*; & figura est Iesv Christi Seruatoris nostri, qui iuxtà personæ suæ dignitatem est verus Deus, Rex æternus, & Dominus vniuersæ creaturæ: quamuis secundùm humanitatem sit Patre suo minor, quem ipse Deum suum appellauit, cùm dixit: d*ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Deum meum, & Deum vestrum.* Hic Dominus fuit ciuis Bethlehemiticus, natus, quà homo in Bethlehem, vbi cœpit se mundo manifestare; & cũ Angelorũ musica celebrauit sponsalia sua cum Ecclesia; quæ eò venit, ad ipsum, vt talem sponsum agnoscendum: quæ Ecclesia significatur per Noemi, quod interpretatur *pulchra*. ex hac enim desponsatione adeò insignis ei accedit puritas & pulchritudo, vt idem cœlestis Sponsus de ea dixerit: e *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Diuinus hic Elimelech duo filiorũ genera genuit, dum in hac vita mortali degeret: vt familiæ suæ successionem propagarent; doctrinamque suam in mundo promulgarent. Hi autem fuerunt S. Apostoli, quibus Episcopi, & Pastores Ecclesiæ succedunt; & Septuaginta duo Discipuli, quibus succedunt reliqui Magistri siue Doctores, & Concionatores, cæterique S. Euangelij ministri, qui animarum conuersionem promouent. Vtrumque hoc filiorum genus significabant duo filij Elimelech, Mahalon, qui interpretatur *à principio*, & Chelion, quod significat *consummationem*. Apostoli enim primi fuerunt filij Iesv Christi, qui principium est nostrorum omnium bonorum: fueruntque Spiritus S. primitiæ, quo ad excellentiam eius donorum: reliqui verò Discipuli, Magistrum suum in amore imitantes, plenitudinẽ & perfectionem legis sunt consecuti; sensimque perfecerunt opus conuersionis animarum, quod Magister eorum cœperat: vtrisque Apostolis, scilicet ac Discipulis, prædicantibus cœlestem eius doctrinam in vniuersa Iudæa; & pro viribus laborantibus, vt omnes Hebræi conuerterentur. Qui tamen vsitatâ suâ pertinaciâ f *semper Spiritui Sancto restiterunt*, & Euangelio Sancto contradixerunt. Ex quo orta est fames illa spiritualis, quæ diuino nostro *Elimelech* occasioni fuit, vt cum Sponsa sua Ecclesia, duobusq; filijs, Apostolis ac Discipulis Iu-

Christus Elimelech.

d *Ioan.* 20. 17.

Noëmi Ecclesia.

e *Cant.* 4. 7.

f *Act.* 7. 51.

dæam desereret: quia non inueniebantur spirituales cibi, quos desiderabat, vt iuxtà magnum suum feruorem, famem suam exsatiaret.

Hvc spectabat mysticum illud factũ Christi Seruatoris nostri, cùm imminente sua passione videns exiguũ fructum, quem à Scribis & Pharisæis, cæterisq; infelicis Ierusalem habitatoribus percipiebat, cũ g *mane* quodã *esuriens videret fici arborem vnã secus viam, venit ad eam; & nihil inuenies in ea, nisi folia tantùm, maledixit illi dicens: nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea.* Hoc inquã facto significauit, infelicẽ illam ciuitatem, eiusq; progeniem, ob grauissima eorum peccata desperẽdos esse, tanquam steriles & infructuosos: &, quoniam in eis optatũ cibum non inueniebat, se cum Ecclesia sua transiturũ ad gentium nationes, apud quas optatum cibum inueniret. Huius & illud figura fuit: quòd non in ipsa ciuitate Ierusalẽ, sed h *extra portam* eius (vt perpendit Apost.) *passus fuerit*: significaui it enim, copiosiorem suę passionis fructũ se gẽtibus communicaturum. id quod & Apostoli & Discipuli ipsius executioni mandârunt, quemadmodum apertè protestati sunt illustres illi duo supremi huius Redemptoris filij Paulus & Barnabas: qui tanquam duæ Ecclesiæ alæ, eam per orbem totum deducebãt: i *constanter dicentes Iudæis: vobis oportebat primum loqui verbũ Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus*: vt sic impleatur quod scriptũ est: k *posui te in lucẽ Gentium, vt sis in Salutẽ vsque ad extremũ terræ*. Quare idem Apostolus dixit l *Iudæorũ delicto salutem esse Gentibus, & eorũ diminutionẽ, diuitias Gentium*. diuisi enim sunt Apostoli, ac Discipuli per oẽs mundi nationes ac prouincias: & peregrinantes in regione Moab, totaque Gentilitate, acceperunt sponsas, dum particulares in prouincijs fundarunt Ecclesias, quas vt proprias gubernârũt vsq; ad sanguinis effusionem: vt ita fidem ibi, religionẽ Christianam, & Catholicam Ecclesiam plantarent; quę Ecclesia, illis è medio sublatis, mãsit sicut Noëmi vidua, & absq; filijs in regione Moab. Sponsus enim eius Christus in cœlum ascendit; eiusq; primi filij ad quietem suam apud Patrem cœlestẽ: illa verò exemplo ac doctrina sua conuertit *Ruth* Moabitidam, figuram gentilitatis; educens eam ab Idololatria & erroribus, in quibus vixerat; ac deducens ad veræ religionis cognitionem, quãprofessa est Heroicis illis verbis: m *quocunque perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus*; & DEVS *tuus*, DEVS *meus*. n *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*! populus enim qui prius erat Deo gratissimus cibus, factus est postea ob sua peccata omninò detestandus; ipsumque DEVM prouocans ad illum exore suo ejciendum; qui verò prius ob suas iniquitates in odio erat, factus est cibus electus, &

g *Matt.* 21. 19. *Christus extra portam passus.*

h *Hebr.* 13. 12.

i *Act.* 13. 46.

k *Isai.* 49. 6 *Rom.* 11 14.

m *Ruth.* 1. 16.

n *Rom.* 11. 33.

Deum time.

ipſi

ipsi Deo incorporatus, factus viuũ Eccleſiæ eius membrũ: idq; ad vtriusq; exẽplũ, ne quãdo iustus ſuperbiat, fiatq; insolẽs ex bonis, quæ accepit nec peccator ſeſe cõtrahat, ac deſperet propter mala, quę patrauit: qui enim hodie eſt o *vas honoris*, poterit ob negligẽtiã ſuã in *vas* mutari *cõtumeliæ*: ſicut cõtra, qui hodie eſt vas *cõtumeliæ*, poteſt ex diuina Dei gratia, in vas mutari *honoris*. o Rom. 9. 21.

§. 11. *Admirandæ aliæ Vocationes.*

SED quoniàm nunquam pertinaciæ & reſiſtentiæ deerunt in hominibus, qui ſuapte natura ſunt inſtabiles; nec fames cõuertẽdi peccatores, quæ in Chriſto eſt, ſaturabitur vſq; ad finem mundi: inde fit, vt idem, quod Iudęis & Gentibus euenit, fuerit cõtinuatum diuerſis temporibus in varijs Aſiæ, Africæ, & Europæ nationibus: alijs ſemel acceptam fidem relinquentibus, Deoque alias in earum locum vocante, vt eam reciperẽt, iuxtà id quod in libro Iob ſcriptum eſt: a *cõteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Si enim Dæmon inſatiabiliter animas eſurit, vt ſua condat inferna: quid mirũ, ſi Chriſtus D. N. ſit etiàm inſatiabilis, vt iuſtis animabus condat ſuos cælos. Ideoq;, cùm permittit, Dæmonẽ aliquas prouincias vel nationes ob earũ peccata arripere: ipſe alias ex eius poteſtate eruit, vt ſibi Eccleſiæq; ſuæ eas adiungat. Et quoniam recentia, & quæ in oculis noſtris quaſi verſantur, plus mouent, quàm præterita: conijciamus attentè oculos in ea quæ hiſce tẽporibus acciderunt. Videmus. n. multas Nationes Septentrionales ab Eccleſia defeciſſe: ſed eiſdẽ temporibus non defuerunt aliæ multę, quæ eidẽ ſe Eccleſiæ adiunxerunt: cui dedit DEVS alas tanquam aquilæ magnæ, vt per maria ipſa volans, ſedẽ ſuã apud Iapones, Chinas, aliasque Orientaliũ & Occidentalium Indiarũ prouincias figeret. Quãuis. n. inſpecie videatur hãc viam aperuiſſe inſatiabilis hominũ & ſacra auri, argenti, aromatum, aliarumq; rerum pretioſarum fames, quæ in illis regionibus inueniuntur: at infinita DEI D. N. prouidentia, hac occaſione medioque vſus eſt, vt famem ſalutis animarũ, qua ipſe laborat, ſaturaret: excitando operarios Euangelicos: qui ad prædictas regiones ſe conferant, cum fame inſatiabili, non auri, aut gemmarũ: ſed animarum, & plurium animarum, quibus cœli condantur. In hanc piam occupationem variarum regionum viri pij incubuerunt, qui ſunt b *gemmarum* pretioſarum *negotiatores*: pro quibus comparandis omnia temporalia, quæ habebãt, vendiderunt ac reliquerunt, ad quos adiuuandos erexit idem Dominus hoc ipſo tempore Patrem & Patriarcham noſtrum S. Ignatium, minimæ noſtræ Societatis IESV Fundatorem: cuius Religioſi Profeſſi, ex particulari voto, tenentur eſſe veloces Eccleſiæ alæ, vt volent, diſcurrantque per varias regiones ad Hæreticos & infideles, ad plantandam aut reparandam in eis fidem & religionem Chriſtianam: explentes Iſaiæ Prophetiam dicentis

a *Iob.* 34. 24.

Deus Eccleſiæ ruinas reſtaurat.

b *Matt.* 13. 45.

S. Ignatius.

c *Isai.* 18. 2

centis: c *Ite Angeli veloces ad Gentē conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius*: qui sunt hi Angeli, nisi Apostolici viri? quorū munus, vt ait Apostolus, est, legatos nunciosque esse Christi, d *pro quo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos*, cuius cooperatores sūt & adiutores in conuertendis peccatoribus. Iure autem merito vocat eos *Angelos*, vt qui custodes Angelos imitentur in officio consulendi hominum bono; & in velocitate ac fortitudine ad exequendam voluntatem diuinam, eiusque gloriam dilatandum. Huiusmodi itaque Angelis legatisque suis inspirat DEVS, eosque efficaciter permouet, vt aquilarum velocitate volent per ipsa maria, donec ad populos illos perueniāt, qui tanquam abiecti, sunt in obliuione & in vltimis terræ finibus: vt eos operâ suâ congregent, & ad Ecclesiæ gremium perducant, in locum scilicet aliorum multorum, qui ab eo discesserunt. O viri felices, quibus felix adeò sors obtigit, vt officio sitis Angeli, regisque æterni legati; IESV Christi præcursores, qui de cibo illo prospiciatis, quo is, ad benignam suam famem saturandam, libenter vescitur. Hæc quidem tum hisce temporibus geruntur; tum fore speramus, vt etiam in posterum vsque ad mundi finem ita eueniant. Nam quemadmodum NOEMI, postquam RVTH idololatram ad veram religionem conuertit, redijt cum ea in patriam suam, id est, in Iudæam: Ita Ecclesia Catholica reuertetur ad terram Israel, & e *reliquiæ*, vt ait Isaias, *populi* Hebræi *conuertentur* f *& saluæ fient*: vt vterque populus, Hebræus & Gentilis, fiat vnus grex, habeatque vnum pastorem Christum, qui tunc famem suam saturabit, quam semper habuit conuersionis Iudæorum, traijciens in suæ Ecclesiæ corpus g *duodecim millia*, cuiusque Tribus ex duodecim tribubus Israel, quemadmodum refert Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi: per duodenariū numerum intelligens multitudinē eorum, qui ex singulis Tribubus saluabuntur. Nec desperamus fore, vt pulchra NOEMI, quæ nunc ex Anglia & alijs Septentrionalibus regionibus exulat, reditura sit, decursu temporis ad easdem, ob diuinæ inspirationis efficacitatem, & Angelicorum legatorum operam & laborem, qui in rem eam incumbunt.

d 2. *Cor.* 5. 20.

Angeli veloces.

e *Isai.* 10. 21.

f *Rom.* 9. 27.

g *Apoc.* 7. 4.

NE autem adeò vtilis doctrina in genere tantùm proposita, sine magno fructu pertranseat: cum hos euentus leges, meritò aperies oculos, & ex eis conijcies vehementem, qua Christus D.N. tenetur, tuæ salutis famem: quę illum impellit, vt, cùm te in peccato aliquo lethali iacere cernit, iucunda sua vocatione vocet, cupiens eam acceptari, vt famem suam satiet. teque in vnum corpus & vnum spiritum secum redigat. Quemadmodum apertè satis id insinuauit modus ille beneuolæ adeò vocationis, qua vocans peccatorē dicebat: h *ecce: sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecū*. vehementer

h *Apoc.* 3. 20.

ter

ter enim esurire censendus est, qui statim atq; hospitium ingreditur, mensæ accumbit, vt cum hospite cænet. Et quasnam escas existimas illum in hac cæna appetere, nisi animam tuam, ipsumque cor tuum: quod gratiâ suâ in aliud valde dissimile commutans, cordi suo vniet. Nec tu tamen famelicus remanebis: nam & tu cænabis cum illo, sumesque delicatissimos, quos ille afferet, cibos; quemadmodum posteà dicemus. Si aût ipsius vocationi resistens, esurientem dimiseris: timendum, ne fortè tibi sicut infructuosæ ficu maledicat: teq; ob tuam repugnantiam derelicto, ad aliam animam accedat, quæ illum admittens, famem satiet, tuam prius esurientis. Propterea enim dixit: *i tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* quasi dixerit: siquidem adest tibi diuina vocatio, te ad meum obsequium inuitans, da illi locum, & fac iuxtà illius ductum: alioquin alium loco tui vocabo; cui quam tibi non obedienti denego coronam, dabo obedienti. Nec existimes miser homo, magnoperè DEVM indigere ad suam Ecclesiam cœlumque condendum: tu potiùs Deo indiges, vt eò peruenias. Quare si eius in te studio & fauore, quem tibi offert, indignum te facias, quæret ipse, qui eam beneuolentiam acceptet; & in locum alicuius k *Iudæ*, aliquem constituet *Matthiam*; & in locum l *Simonis Magi*, conuertet m *Saulum*. Quod si etiam innumeros rebelles ipse repellet, & n *conteret*, totidem *alios stare faciet pro eis*, & in eorum locum substituet; proque vase vno confracto, aliud ex eadem massa frabricabit, quod sit o *vas misericordiæ*, in quo diuitias collocet gloriæ suæ, quas *iræ vasa* à se repulit. Ac denique si tu cibum dare renuas, quem ille petit; nouerit alium quærere, qui det sponte copiosum. Nam siue hoc, siue illo modo; siue apud te, siue apud alium, adhibebit ipse media efficaciora, vt satiet suam famem.

Christum reficiens satiatur.

Apoc. 3.11.

k *Actor. 1.23.*
Cap. 8.13.
m *Cap. 9 7*
n *Iob. 34.*
4.
o *Rom. 9.*
22.

CAPVT V.

VOCATIO AD PECCATA FVGIENDA: & mundus Christo aduersarius, ob sex ingentes eius miserias.

AGGREDIMVR tractationem de diuinis vocationibus in particulari, quarum prima spiritualem intendit peccatorum mutationem: educendo eos ex loco detestando valdè, ipso scil. mundo cuius princeps est Dæmon; & cuius ipsi ob peccatum sunt membra: vt in alio excellenti valdè, qui est Ecclesia Christi D. N. eos collocet: faciens illos viua eius membra per fidem, simul cum gratia & charitate. Et quamuis vtrumque simul fieri soleat, agemus tamen de singulis seorsim: referentes in hoc capite omnia mala quæ sunt in

mundo eo modo, quo ipsamet vocatio solet cœlesti lumine ea manifestare: vt ea fugientes, euadamus.

PRÆMITTIMVS verò, intra spectabilem hunc mundum, qui est opus Dei, ac proindè bonum (quemadmodum omnia opera manuum eius sunt bona) esse mundum alium nequam, congregationem scilicet peccatorum: & hic est de quo dixit ipse Saluator: quod sit hostis iustorum: a *quia de mundo* (inquit) *non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. qui* b *non potest accipere spiritum veritatis*, à quo iusti sanctificantur, quamdiu in sua perfidia permanserit; & in omnibus Christo, eius doctrinæ, vitæq; aduersatur. Nam (vt ait S. Ioannes (c *mundus totus in maligno positus est.* d *& omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* quemidem S. Ioanes in mystico sensu appellat e *ciuitatem magnam, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægytus, vbi &* omnium *Dominus crucifixus est*: Dicitur autem *ciuitas magna*, ob innumeram plebis multitudinem, quâ illa complectitur; quia f *stultorum infinitus numerus* ambulat per latas eius plateas: & festinant per g *vias latas, quæ ducunt ad perditionem*: est Aegyptus ob tenebras, idololatriam, superstitiones, & errores, quibus implicatur. Est Sodoma, ob gulam, ebrietates, luxuriam & alias abominationes, in quibus versatur, carnis suæ sequens appetitiones. Et his peccatis crucifixit filium Dei, siquidem ipsa in causa fuerunt, cur crucifigeretur, imò (vt ait Apostol.) h *rursum sibimetipsis*, & quasi quotidie ipsum *crucifigunt*.

a *Ioan. 15. 19.*
b *Cap. 14. 17*
c *1. Ioan. 5. 19.*
d *& 2. 16*
e *Apoc. 11. 8.*
f *Eccl. 1. 15*
g *Mat. 7. 1*
h *Heb. 6. 6.*

Duæ mundi partes.

HINC apparet, mundum hunc duas habere partes, alteram alterâ detestabiliorem. PRIMA est congregatio infidelium, quæ significatur per Ægyptum, tota tenebrosa: eò quòd miserandâ ignorantiâ, & intellectus obscuritate neget verum Deum, verumque hominum Saluatorem Christũ D. ex quo in varios errores deceptionesque labitur. ad hanc mundi partem pertinent Idólolatræ, Iudæi, Saraceni, & Hæretici, cæteriquè infideles omnes: qui simul cum infidelitate innumera hauriunt peccata, & omne genus vitiorum. Altera pars est, congregatio reliquorũ peccatorum; qui, etsi veram fidem retineant, viuantque in ipsa Ecclesia, i *factis autem* (vt ait Apostol.) *Deum negant*, & Christum: imitantes ipsos infideles; itaque vitam suam instituentes atque si fidem non haberent; nec legem, quæ ipsorum peccata prohiberet. quibus dixit Ioannes: k *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Dei in eo.* Et quoniam hi non tam ex errore intellectûs, quàm prauas voluntatis ac sensualitatis propensiones sequantur, significantur per Sodomam. cuius peccata recensuit Ezechiel, dicens: l *hæc fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: quæ manum egeno & pauperi non porrigebant.*

Infideles.

Peccatores

i *ad Tit 1. 16.*

k *1. Ioan. 2. 15.*

l *Ezech. 16. 49.*

§. 1. Tres

§. 1. *Tres huius mundi miseriæ.*

QVIS referre poterit extrema scelera & miserias, ad quas mundus pertingit, cui huiusmodi nomina & compellationes conueniunt? Quod si Elenchum quendam eorum, in quo illa quasi ad viuum depinguntur videre velis, audi quæ Sanctus Ioannes de ciuitate Babylonica referat, in qua miserrimus hic mundus descriptus & adumbratus erat; a *Vidi*, inquit, *mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius: & in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum* IESV. Quod potuit exemplar magis viuum depingi scelerum & iniquitatum huius mundi, qui vera est Babylon, & confusionis ciuitas, super plurimas aquas fundata, super innumeros scilicet populos, omnes lubricos ac perituros, quos illa complectitur? a *Apoc.* 17. 3

EIVS prima proprietas & calamitas est, quod eius sedes ac præcipuum fundamentum innitatur Dæmoni, per illam bestiam significato, qui mulierem sustinet, portatque ab vno loco in alterum. Quicquid enim nequam hic mundus, & congregatio ipsi addictorum facit, id facit, sequendo suggestionem impulsumque ipsius Dæmonis. Et quoniam hæc bestia non est freni capax, non tendit, quò illam ducit, qui ipsi insidet; sed quò ipsa vult, illum ducit: ipsa enim iniquos regit ac gubernat; & propterea b *Princeps mundi huius* appellatur, c *Rector tenebrarum*, & d *Rex super omnes filios superbiæ*, cuius corpus plenum est nominibus blasphemiæ. Vsurpat enim sibi, suisque filijs titulos & nomina diuinitatis propter quæ vocari & tractari volunt tanquam Dij. Quæ itaque maior esse potest miseria, quàm effreni adeò bestiæ insidere, & ab hoste adeò crudeli duci ac gubernari! cuius crudelitatem *coccineus* siue rufus color manifestat: non enim saturatur nisi peccatorum sanguine, quo blasphemiæ nomina scribit inclinando, malisque suis exemplis omnes implendo, vt (quemadmodum dixit Isai. 52. 5. Roman. 2. 24.) *iugiter tota die nomen* DEI, eiusque sanctorum *blasphemetur*. I. *Mundus Dæmoni innititur.* b *Ioan.* 14. 30. c *Ephes.* 6. 12 d *Iob.* 41. 25.

HINC secunda mundi miseria exoritur, quòd scilicet fundatus ille sit, & f *positus in maligno*, & in septem vitijs capitalibus, per septem bestiæ capita significatis, de quibus dixit Angelus S. Ioanni, quod g *essent septem montes, super quos mulier sedet, & septem reges*, qui illã gubernant. Si enim rem 2. f *Ioan.* 5. 19. g *Apoc.* 17. 9.

Peccatis.

bene consideremus, septẽ illa vitia, quæ Capitalia appellamus: Superbiam, Gulam, Luxuriam, Auaritiam, Iram, Inuidiam & Acediam, tanquã septem montes sunt, in quibus sedent peccatores, proficiẽtes in omni genere peccatorũ; & animo deliberato in illis persistentes, & qui plus in illis creuerũt, tanquã reges & principes sunt nequã huius mundi; vt qui proximi & vniti sunt ipsi bestiæ, cuius sunt instrumenta ad oppugnandum DEVM, decemq; diuinæ legis mandata. Qui quò sunt potestate maiores, eò sunt etiã nequiores, trahentes post se minores, iuxtà illud Ieremiæ de optimatibus popoli:

h *Iere* 5.5. h *Ecce magis hi simul confregerunt iugum* legis, *quàm pauperes*, & vulgares homines. Quæ igitur miserior esse potest ciuitas, quàm cuius fundamẽta sunt vitia; cuius Reges & Gubernatores sunt insigniores peccatores; cuius peccata sicut montes creuerũt; cuius optimates, capita sunt Sathanæ, & instrumenta Draconis ad eius conatus perficiendos & promouendos. O infelices ciues, quibus tales gubernatores in sorte contigerunt: siquidem, i *qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.*

i *Eccl.* 10. 2. 3.

SED vlterius adhuc progreditur hæc miseria, eò quòd mera infelicitas, falsæ felicitatis pallio contegatur. Miser enim hic mundus felicitatem suam ponit in diuitijs, quas k *oculi concupiscunt*; in voluptatibus, *quas appetit caro*; & in vanis honoribus, quos *ambit superbia vitæ*. Magnam reputat felicitatẽ, quòd possit *purpura & coccino* indui; *auro & lapidibus pretiosis* ornari; ac *margaritis* circamdari, æd iactantiam & vanitatem suam ostentandam. Omnia autem hæc, quæ exterius splendent, sunt *poculum aureum*, quod tenet *in manu sua plenum abominatione & immunditia*, quod propinat suis ciuibus. *Poculum* etiam est *aureum*, sensuum illecebrarum appetitio, gula, ebrietate, luxuria, milleque alijs vitijs refertum. Hic est l *calix aureus Babylonicus*, *inebrians omnem terram: de cuius vino biberunt omnes gentes*: & ideò inebriatæ & *commotæ sunt*; iudiciumque adeò amiserunt vt Deos falsos adorarent; & ratio filiorum huius sæculi adeò fuit perturbata: vt effrenes suos appetitus sequentes, in omnia vitiorum genera præcipitentur. Ab his enim tribus venenatis fontibus innumera fluunt peccata, quæ corda inficiunt hominum sæcularium, m *qui bibunt sicut aquam iniquitatem*; calicis potius splendorem; quàm ipsius hausthus venenum attendentes; seseque n *colore vini splendentis in vitro*; eiusque sapore, cum *blandè ingreditur* oblectantes: nec attendentes, quod *in nouissimo* (vt ait Sapiens) *mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* O cæci filij Adami terreni, qui suo peccato fundamenta iecit ciuitatis peruersi huius mundi! cur Patrem illum vestrum imitamini, pomum, in quo ia mors latet, comedentes? o ô *sepulchra dealbata, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni*

k 1. *Ioan.* 2. 16.

Et falsa felicitate.

l *Iere.* 51. 7.

m *Iob* 15. 16.

n *Prou.* 23. 31.

o *Matt.* 23. 27.

spurcitia

spurcitia & hypocrisi! quomodo non horretis fœtorem vestrum interiorẽ qui omnem istam externam pulcritudinem deuorabit? ô munde munde qui nihil aliud, quàm solum mundi nomen retines, eò quod mundus quidem ex manu tui crearoris prodijsti; sed in vita ipsa totus es sordidus, & vomitum prouocas: opera enim manuum tuarum te totum defœdârunt.

§. 2. *De tribus alijs eiusdem mundi miserijs.*

QVID verò dicam de cæcitate & stultitia, qua idem mundus suam iactat immundiciam? quid enim est, quod a *in fronte eius sit scriptum nomen Babylon magna, mater fornicationũ & abominationum terræ*, nisi quod iactet sua scelera manifestè: nec dedignetur ea promulgare? b *frons*, inquit Ieremias, *mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*, talis videri: vultũ tuum sine pudore aperis, vt cognoscaris: quia verè qui illum viderit; quis tu sis statim agnoscet: Nã c *peccatum tuum quasi Sodoma prædicas, nec abscondis*: quia nõ erubescis, quòd illud habeas. d *Quid* itaque *gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate* patranda? ô incredibilem malitiam, quæ eousque progressa es, vt gloriam tuam in eo colloces, quod est summa ignominia dignum. Ecquis dignè explicare poterit miseriam, quam ipso tuo ornine præfers? Neque enim sine causa Angelus, qui hanc figurã Sancto Ioanni ostendit, antequàm eã explicaret, hoc verbo, *Mysterium*, est vsus; vt intelligeremus, magna in eius significatione arcana latere: multoque maiores esse miserias, quàm exteriùs appareat. Quis etiam confusionem illam explicare poterit, quæ latet in eo, quod vocetur *Babylon*? quis fœcunditatem detestandã, quæ *matris* nomine adumbratur? quis Idololatrias referet vtroq; nomine *fornicationum & abominationum* comprehensas? Quę idola non adinuenit mundus? quos falsos Deos non est veneratus? omitte innumera gentiũ idola, & in illa oculos conijce, quæ reliqui mundi homines colunt: & inuenies, quosdam e *pecuniam* vt *idolũ* adorare; alios f *ventrẽ prò Deo* habere, alios inanis gloriæ g *Soli claræq; Lunæ* famæ genua sua flectere, abijcientes tanquã adulteri legitimũ Deum suum, vt ficto Deo sese subijciant. Quod si aliqui manifestè hos Deos non adorant, id tamen faciũt occultè, h *vnusquisque in abscondito cubiculi sui* scelera multa patrantes; exteriùs verò manifestantes mysteria: quales sunt hypocritæ, qui sanctitatem ostentant, vt honorem ex ea habeant. O mundum abominandũ, qui dum te manifestas, malo tuo exemplo es alijs scandalo; quãdò verè te occultas, alios decipis tua fictione & hypocrisi! semper virtutem horres, licet interdum honorem ex ea venceris: mactans instar lupi oues, vt earum pelles induens, decipias innocentes.

4.
a *Apoc.* 17. 5
b *Iere.* 3. 3.
c *Isai.* 3. 9.
d *Psal.* 31. 3. *Gloriatur in peccatis.*
e *Ephes.* 5. 5
f *Phil.* 3. 19.
g *Iob.* 31. 26
h *Ezech.* 8. 12.

5.

PRAEDICTAS tuas iniquitates quinta hac addita impietate obsignas. Non enim satis tibi esse putans, quod sis nequam, bonos crudelissimè persequeris, vt à parte tua eos stare facias. i *Vidi*; inquit, *mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum* IESV. O ebrietatem detestandam! ô furiam verè infernalem! quæ non nisi iustorum sanguine satiaris, vt k *veniat super te omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti*, vsque ad vltimum iustum qui futurus est in terra! Quemnam iustorum non es crudeliter persecutus? quosdam enim facultatibus spolias, alios honore; alios in sua quiete perturbas; alijs etiam vitam ipsam adimis. Et cùm sis adeò impius, in hoc vno tamen, si ita loqui licèt, bonus es: quòd, cùm bonos persequeris, eos efficis clarissimos sanctos: tu enim illustrissimos facis Martyres, patientissimos Confessores, Virgines purissimas, inuictos Doctores ac Pastores. Sed hoc ipsum non tuæ, sed magni nostri Dei bonitati tribuendum est, qui ex adeò horrendis tuis malis elicere nouit adeò præclara bona; cùm tu adeò sis malus, vt ex ipsimet bonis magna elicias mala.

i *Apo.* 17. 6.

k *Mat.* 23. 35.

Persequitur iustos

6.

SED fortè inter tuos ipsos integra & perfecta pace frueris, etiamsi persequaris extraneos. l *Decem cornua* (ait Angelus S. Ioanni) *quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam: & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Quid autem hoc est, nisi viua imago extremæ mundi miseriæ? qui non modò bonos oppugnat, vt peruertat; sed iustis DEI iudicijs, tùm secum ipse, tùm cum ijs, qui ex parte eius sunt in cõtinua pugna versatur: alijs aliorum felicitati insidiantibus: ex quo prouenit, vt eadem illorum felicitas in omnibus conuertatur infelicitatem & miseriam: Instar enim nefrendum sub quercu, se ipsos lancinant, vt glandes præripiant.

l *Apo.* 17. 16.

Secum ipse pugnat.

SI enim, quod in mundo geritur, accuratè perpendas, inuenies, omnes cupiditates facultatum, deliciarum, & honorum, semina esse bellorum, litium, calumniarum, testimoniorum falsorum, latrociniorum, homicidiorum, & adulteriorum: quæ hanc Babylonicam ciuitatem perturbant, confusione replent, ac tormentis. quia alij aliorum sunt carnifices, ita vt interdum fratres ipsi, & amici, crudeliores fiant tyranni. Hunc miserrimum mundi statum deflebat Micheas Propheta, cùm dixit: m *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum: præcoquas ficus desiderauit anima mea*, nec inuenit. *Periit Sanctus de terra; & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, & iudex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eam. Qui optimus in eis est, quasi paliurus; & qui rectus*

m *Mich.* 7. 1.

quasi

ſua ſpina de ſepe. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Omnia hæc ſunt verba Prophetæ. Quæ igitur maior eſſe poteſt calamitas, quàm ſi pars aliqua eius mundi ſis, qui adeò ſit rationi contrarius? Si enim iuxta eam viueretur & ageretur, princeps deberet lites intercidere: qui tamen ipſe iniuſta proponit poſtulata; Iudex rectas & iuſtas deberet proferre ſententias: qui tamen facilè prenſatur; Qui magnus eſt deberet terræ pacem quærere: qui tamen illam turbat; Amicus deberet eſſe amico fidelis: qui tamen illum decipit; Dux belli militem ſuum protegere deberet: & ipſe tamen eum tradit, Filius honorare deberet parentem: qui tamen eum afficit ignominia; filia deberet matrem amore proſequi: quæ tamen inſurgit contra illam; frater deberet fratrem tueri: qui tamen mortem illi adſciſcit; Vxor deberet marito eſſe fidelis: quæ tamen illum ſupplantat; famuli ac domeſtici deberent eſſe Domino amiciſſimi: qui tamen occulti ſunt inimici. Quòd ſi talia faciant Principes; quid tyranni facient? ſi minus mali in mundo, ſunt quaſi ſpina de ſepe: quales erunt peſſimi? ſi non eſt fidelitas inter filios & fratres, quomodò erit inter extraneos? ſi iudices à ſuo Tribunali veritatem & iuſtitiam exterminant: vbi illa inueniet hoſpitium? Quòd ſi domeſtici miſericordiam & charitatem è domo exturbant: vbi inueniet, qui illam recipiat?

Aptissime verò alius Propheta eodem ſpiritu dixit: n *Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. Non eſt qui inuocet iuſtitiam, neque eſt qui iudicet verè: ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, pepererunt iniquitatem. ouа aſpidum ruperunt,* & ſic ſunt alijs occaſio hauriendi venenum: *telas araneæ texuerunt*, vt paruulos capiant: *qui comederit de ouis eorum morietur.* o *Veritas corruit in plateis, & æquitas non potuit ingredi. Et facta eſt veritas in obliuionem: & qui receſſit à malo, prædæ patuit*, & perſecutioni. Quæ igitur maior miſeria eſſe poteſt, quàm quod deſit mundo *veritas & virtus*: quæ duæ ſunt pretioſiſſimæ terræ gemmæ quibus homines excellunt beſtias, fiuntque ſimiles Angelis, & Dæmoniorum aduerſarij: quibus tamen è medio ſublatis, euadunt beſtijs peiores, Dæmonibus perſimiles, & hominum nobilitate indigni.

n *Iſa. 59. 3.*

o *Iſa. 59. 14.*

Veritas & Virtus exulant.

CAPVT

CAPVT VI.

PROGRESSIO FIT IN PVNCTO PRAECEDENTI, ac indicatur duplex fames, quæ est in mundo.

NEC DVM finis est miseriarum huius mundi, eò quòd sint innumeræ. Misera enim hæc Babylon, etsi poculum aureum habeat in manu sua plenum vino, de quo hactenus diximus: nunquam tamen potest ipsam sequentium sitim extinguere: nam quò magis aurum esuriunt & sitiunt, eò magis horrent, quæ illis maximè conuenirent.

Duplex mundi Fames.

AD cuius ampliorem declarationem aduertendum est, duplicem horrendam famem sitimque rabidam affligere corda hominum huius mundi. Altera est fames bonorum temporalium: nam etsi habeant plurima, nunquam tamen illis saturantur: quare semper esuriunt & sitiunt, nullo suis desideriis termino constituto. Altera est fames & sitis multò pernicioſior: quia scilicet desunt illis spiritualia bona, in quibus consistit vera saturitas. Quam famem Amos Propheta appellat, a *non famem panis, sed audiendi Verbum Domini.* Quemadmodum enim dicimus, esse famem in ciuitate, quandò deest corporis alimentum: ita meritò veri spiritus alimenti defectum, famem appellabimus. An non ergò horrenda fames in huius mundi regione esse censebitur, cùm animæ carēt nutrimentis, quæ virtutes sunt ac veritates cœlestes; & opera sancta, quæ ab eisdē proueniunt? Et cū omnes homines (vt ait S. Augustinus) etiamsi Iudæi, Hæretici, aut Pagani sint, desiderent esse beati, esuriantq; suā salutem: necesse est, quamdiu in malo hoc mundo versantur, in suis sectis maledictis fame perire: eò quòd in illis verum alimentum, quo satientur, non inueniant.

a. *Amos.* 8. 11.

Lib. 13. *de Trinit. c.* 3.

DVPLEX hæc fames fuit significata in illa, quam refert Sacer Textus nostræ RVTH, imprimis eius verbis: b *In diebus*, inquit, *vnius Iudicis facta est fames in terra*: cuius causam coniiciunt Doctores in continuatum per multos annos defectum aquæ, è cœlo descendentis; & in solis æstū, quo illa terra fuit exsiccata in pœna peccatorum eius. Quis hic est Iudex, & quæ terra, quos Spiritus S. huius libri auctor, noluit propriis nominibus exprimere? num illa ignorauit? quod si nouit; cur voluit, Iudicis nomen esse occultum: nec dignatus est nomen propriū terræ exprimere? sed hoc totum eò ipse direxit, vt quasi penicillo nobis miserrimum hnius mūdi, & hostis sui statū depingeret. Suos enim amicos ex proprio nomine nouit Deus scientiā, quam dicunt, approbationis: quia & vitam & operam ipsorum approbat: At peccatores hostes suos nec de nomine nouit, nec dignatur ore suo illorū nomina proferre: qnia deprauatos ipsorū mores

b *Ruth.* 1. 1.

repro-

reprobat:& iuxta præsentem iustitiam eos destinauit ad infernum. Hanc enim ob causam (vt benè perpendit S. Gregorius) Christus D.N. in parabola diuitis epulonis & mendici Lazari expressit mendici nomen, eò quòd esset iustus ad significandum se illum nosse, eiusq; nomen in libro vitæ scriptum habere: reticuit tamẽ diuitis nomẽ, eò quod peccator esset ac reprobus: vt sic ostenderet, nomen eius de libro viuentium esse deletũ, nec dignum, cuius inter homines memoria esset, aut aliqua eius in libris sacris mẽtio fieret. Quid ergò aptius mundo huic tribuitur, quã quòd sit terra populi à Deo iuxta præsentẽ iustitiam reprobati: c *quorum nomina*, vt ait Dauid, *cum iustis non scribuntur*. Et cuius principes gubernatores q; adeò sunt impij, vt dedignetur DEVS, proprijs eos nominibus compellare. Quid autẽ hinc prouenit, nisi horrẽda mortalisq; fames in hac misera terra? In pœnã enim peccatorũ suorum deest illis veritatum, virtutumq; cælestiũ irrigatio, quæ animę sunt nutrimentum; & præterea æstus cupiditatum eorũ quotidiè magis famelicos reddit bonorũ temporalium. quorũ fames adeò est, vt dicitur, canina, vt etiãsi plurimùm comedant, nunquã saturentur. Hæc est infelix illa regio, quò peruenit filius prodigus, cùm è domo paterna discessit, de qua regione dicit Euangelista: d *facta est fames valida in regione illa*: adeoq; eius miseria creuit, vt neq; inueniret cibum homini conuenientẽ, nec permitteretur *ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, implere*. Nõ nego, multos esse huius mundi homines, e *quorum venter* (vt ait Dauid) *de absconditis DEI adimpletus est*, de bonis scilicet tẽporalibus, quę DEVS abscõdit sub terra, eò quòd vilia sint in oculis eius: & *saturati sunt filiis*, nõ legitimis sed spurijs: nam *dimiserunt reliquias suas parvulis suis*, testibus carnalitatis ipsorum. Quamobrẽ (vt S. Augustinus legit) *saturati sunt porcina*: quia sese bestialibus voluptatibus tradunt, vt inordinatas suas expleant appetitiones: idq; adeò vehementer, vt non solùm cibis porcorum, sed carnibus etiam eorum vescantur. Vorantes enim bona terræ, bestiarum mores in animæ viscera trajiciunt. Quæ etsi in specie felicitas appareat, est tamen summa infelicitas: siquidem præmisit eodem loco Dauid: *à paucis de terra*, hoc est, à numero iustorum, Deus *diuidit eos*: & quãuis saturitatis speciẽ præferat, est tamen fames molestissima. tales enim escę tùm non possunt animarum famem saturare; tùm adferunt nauseã verarum escarum, quibus ipsæ vescuntur animæ: quæ quod spirituales sint & æternæ, capacitatisque cuiusdã quasi infinitæ, non possunt bonis corporeis, perituris, ac limitatis satiari: quia illis deest requisita proportio, vt sint animarum nutrimentum: quemadmodum qui fame corporis premitur, satiari non potest auro, nec argento, nec rebus alijs, quæ non sint accommodatus cibus humanus. quem si fastidiat, ideoque non comedat, exsiccabitur tandem, & præ fame morietur.

Homil. 40. in Euangel.

Nomen peccatoris in obliuione est.

c *Psal.* 68.29

d *Luc.* 15.14.

e *Psal.* 16.14.

Ib. & Epist. 54. Falsa saturitas.

§. 1. *De quinque famelicorum peccatorum generibus.*

In d. eclam. in id Ecce nos reliquimus omnia circa medium.

Simi'itudo pulchra.

QVÆ superiùs sunt dicta, mirificè explicauit S. Bernardus, iucundissima quadam similitudine. Vidi, inquit, ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui exhalantem terrimum fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porrò tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, leuioris auræ spiritum aperto attrahebat ore: & si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aërem deglutire. Quintus seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus, & maximè. Proprias enim carnes incredibili quodam studio fugere laborabat: nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamque miseriæ scisitatus à singulis, vnam omnibus esse reperio, validissimam vtique famem. Tunc verò macilentissimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miserabiliter, & dicentis: a *aruit cor meum: quia obliti sum comedere panem meum.* Quid hæc vobis, inquio, prosunt? non sunt naturales cibi: magis famem hæc prouocant, quàm extinguant. Panis namque animæ iustitia est, & soli b *beati qui esuriunt* illam: *quoniam ipsi saturabuntur.* Nimirum ad imaginem DEI facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omninò non potest: capacem DEI, quicquid DEO minus est, non implebit. Hæc S. Bernardus.

a *Psal.* 101.

b *Matt.* 5. 6.

I. *Mundus est famelicorum & nauseabundorum congregatio.*

Exquibus licèt colligere, mundum, qui hostis est CHRISTI, esse esurientium hominum congregationem, insatiabili fame temporalia & peritura bona appetentium; & simul verorum bonorum spiritualium & æternorum nausea laborantium. Nihil enim quod comedunt, potest illos satiare; nec gustãt, quod satiare illos possit: ac proinde omnes fame pereunt: propter nauseam enim horrent spiritus cibos, qui animæ vitam conseruarent; propter famem verò appetunt, vorantque cibos carnis qui nunquam illos satiant, & mortem potiùs inferunt: quia non sunt proprij illorum cibi. In hac ergo huius mundi congregatione sunt quinque illa hominum genera, quæ S. Bernardus insinuauit. Quos enim putas, marinam arenam masticare, nisi auaros: qui terrenis bonis, & amaris, implicatisque terræ negotiationibus aluntur? quos, sulphureum haurire vaporem, nisi libidinosos, qui carnis delectationibus recreantur? quosnam, scintillas ex accensa fornace excipere, nisi eos, qui igne suæ coleræ æstuant, & ira effreni quærunt vindictas? quosnam in alto collocatos, auram attrahere, nisi superbos & ambitiosis, qui aura vanitatis aluntur; studentque erigere se super alios, vt ab o-

Auaritia Luxuria, Ira.

mnibus

mnibus inaniter laudentur? & quos denique, proprias carnes fugere, nisi inuidos, qui propria viscera, præ tristitia de alieno bono, consumunt? Quæ igitur phrenesis magis stulta, grauiorque esse potest, quàm famelicos homines tale cibi genus quærere, aridum, tanquam arenam; fœtidum tãquam sulphur; ardentem, tanquam scintillas ignis; inânem, tãquam auram; & tantæ crudelitatis, vt proprias deuorent carnes? ô stulti filij terreni Adami, qui non animaduertitis deceptionem & calamitatem vestram! ô munde fraudulente, qui promittens saturitatem, fame enecas, cruciando proprijs vitijs ipsosmet, qui tibi adhærescunt.

Superbiæ. Inuidia.

2. *Vitia sunt fames canina.*

Neque.n. aliud sunt vitia, quã fames quędã canina, sitisque rabida deliciarum, honorum, ac diuitiarum, simul cum nausea bonorum cœlestium. Quid enim est auaritia, nisi insatiabilis fames c *pecuniæ*: qua (vt ait Ecclesiastes) *auarus non implebitur*? Quid verò gula & luxuria, nisi d *duæ filiæ sanguisugæ*, quæ (vt ait Sapiens) semper *dicunt: affer, affer*: idque sibi tanquam hydropisis, quæ quò plures delicias ebibit, eò magis augetur? & quid aliud est superbia & ambitio, nisi effrenis excellentiæ & inanis honoris appetitio? quæ (vt ait Dauid) e *ascendit semper*. nunquam enim contenta est ijs, quos habet; sed maiores alios semper quærit? Denique vitia sunt sicut illa quatuor, quæ Salomon dicit insaturabilia: f *infernus*, scilicet *& os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò nunqnam dicit: sufficit*. Malitiosi enim & versuti nunquam satiantur texendis fraudibus; nec carnales quærendis nouis voluptatibus; nec cupidi nouis acquirendi lucri rationibus inueniendis; nec iracundi & vltores suis inimicis persequendis. Nam ignis iræ & coleræ eorũ nunquam dicit *sufficit*: & quemadmodum infernus non satiatur deuorandis animabus: sic deprauatorũ hominũ fames non satiatur nouis semper culpis deuorandis. Quòd si mundus non cessat peccata peccatis addere: quid mirũ, si diuina Iustitia supplicia supplicijs addere non desistat? Hæc autem est vltima mundi miseria, à iustitia diuina ijs addita, quas ipse ex proprijs habet: vt sic voluptatum eius dulcedo in cruciatuum amaritudinem conuertatur. Cùm enim ipsi mundani minimè cogitant, solet ira Dei fulmen supplicij pœnæque debitæ in eos mittere. Quis enim, nisi impius hic mundus ob sua scelera, causa est pestis, morborum, famis, diluuiorum, terræ motuum, aliarumque innumerabilium calamitatum, quæ in hac misera vita nos premũt, & affligunt? Neque enim si mundus non esset, qualem esse diximus, tot pœnæ & calamitates pluerent super illum: propterea enim Sapiens dixit: g *Deũ non fecisse mortem, sed impios manibus & verbis suis illam accersiisse*, prouocantes iniquis suis operibus Iustitiam diuinam, vt horrendis cruciatibus, varijsque mortis generibus illos castiget.

c *Eccl.* 5. 9
d *Prou.* 30. 15

e *Psl.* 73. 23.

f *Prou* 30. 15

Improuidos pœna muolluit.

g *Sapi.* 1. 13. 16.

Qvamvis autem calamitates, quas quotidiè videmus & experimur,

3.

magnæ sint: quæ tamē vniuerso mundo in eius fine, & singulis eius ciuibus in eorum morte eueniūt, multò erunt terribiliores. in omnibus enim certò implebitur quod S. Ioānes de hac Babylone dixit, quod h *veniet in memoriā ante Deum*, vt eius sc. recordetur, *detq; illi calicem vini indignationis iræ eius*. & alibi: i *quoniā peruenerunt peccata eius vsque ad cœlū, & recordatus est Dominus iniquitatum eius*, dixit: *reddite illi sicut ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundū opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplū*: ita vt pœnæ & cruciatus, qui illi inferentur, multò sint acerbiores futuri, quàm quos ipsa intulit lustis. Et *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. O infelicissima ciuitas, cuius robur & potestas in tantam deueniet miseriam! ô infelicissimi ciues, quorum finis erit in horrendis adeò cruciatibus & tormentis! ô misera Babylon, quomodò tam secura insides beſtiæ adeò crudeli, cuius ille scopus & mens est, vt te ad infernalem deducat specum: vbi cum illa simul, & per illam æternùm crucieris? Cur in manu tua portas aureum calicem immunditijs plenum; propter quē propinabitur tibi calix iræ DEI, illumq; hauries vsque ad feces? Quomodò audes persequi Sanctos, cùm sit venturum tempus, in quo eorundem causa & nomine duplicia sis tormenta subitura? Quomodò insatiabili tuarum delectationum famidas locum, cùm sit certum: nunquam infernum cessaturum eum cruciare, qui nunquam voluit à peccando desistere? cessa, cessa à tuis culpis, nisi incidere velis in adeò horrendas pœnas.

h *Apo.16. 19*

i *Apoc.18.5 Mortis angustia.*

§. 2. *Vocatio diuina inuitat, monet q; nos vt ab his miserijs fugiamus.*

EX DICTIS facilè intelliges, quàm sit excellens & immensum diuinæ vocationis beneficium: quæ hoc agit, vt à tot malis te eripiens, de hoc mundo & hac peccatorum cōgregatione educat, nè cum illis pereas: eò enim fine illa tibi manifestat. Hæc vocatio est, quæ te excitat, vt à misera hac Ægypto, & Pharaonis tyrannide te subtrahas; ne illius plagis subijciaris. Hæc te, tanquam alterum Loth, ex spirituali hac Sodoma educit: ne te cupiditatum flammæ exurant, pereasque in æternis incendijs. Hæc est, quæ monet, vt ex maledicta hac Babylone exeas; manumque porrigit, & auxilium ad exeundum, ne extrema eius miseria te comprehendat. a *Audiui* (ait Sanctus Ioannes) *vocem de cœlo dicentem: Exite de ea Babylone magna, populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* O diuinæ misericordiæ altitudinem, à qua benevolum adeò verbum prodit, quò nos eripiat ab ingenti adeò calamitate? quænam hæc est vox de cœlo descendens, nisi vox diuinæ vocationis & inspirationis? & ad quem illa dirigitur, nisi ad populum DEI: nec solùm ad populum Sanctorum, populum scilicet dilectum Domini; sed ad populum etiam fidelium, qui fide eum agnoscunt, quamuis desit illis Charitas. Dirigitur etiam ad populum Electorum, qui super faciem terræ sunt dispersi; & ad omnes ho-

a *Apo 18.4*

mines, cupientes esse de populo Dei viui, eiusque amicitiæ & gratiæ participes fieri. Hos inquam omnes diuina inspiratio monet, vt fugiant Babylonem, exeantque de mundo, non tam corporis gressibus, quàm spiritus affectibus, subtrahendo se congregationi peccatorum, & ab eius moribus procul recedendo, vr de plagis eorum non accipiant. b *Fugite* (ait Ieremias) *de medio Babylonis & saluet vnusquisque animam suam.* non enim potest saluari, quæ eius erit ciuis, & leges seruauerit, moresque amplectetur. Exite ex Ægypto, vbi vos allijs, cæpis, alijsque bestiarum cibis repletis, qui animas vestras non satiant: transite per mare rubrum pœnitentiæ, vt ad promissam terram cœlestem perueniatis, lacte & melle manantem veritatum & virtutum, quæ vestra desideria explebunt. Exite ex Sodomis, priusquàm cupiditatum ignis vos exurat; & conscendite Christianæ sanctitatis montem, vbi tuta erit vestra vita. Et quamuis enutriti sitis in hoc mundo, eiusque naturam indueritis; mutate tamen stationem, vosque transfundite: sine hac enim transfusione eueniet vobis, quod idē Ieremias dixit: c *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fecibus suis, nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem nō abiit: idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Quis hic est Moab adeò abominandus, nisi miser hic mundus qui instar præmaturi praui que generis musti vehementissimè feruens, subsidet super fetidas & acerbas suas feces; & nisi ab vno vase in alterū transfundatur, retinet semper ineptum, quē ab eis recipit odorem atque saporem. Cui malo si remedium adhiberi potest, illud est vt in vas aliud mundum boniq; odoris transfundatur. Hoc igitur modo filij huius sæculi, à iuuentute sua ob suarum passionum furorem feruentes, subsident in fecibus cupiditatum carnis; & nolentes eas deserere, semper retinent ineptum illum saporem & gustum, quo illas appetunt; prauumque odorem, quem cum aliorum scandalo exhalant: donec tandem putrescant, & pereant: nisi infinita Dei misericordia efficaci sua vocatione aliquos transfundat, educēdo eos ex malo suo mundo, vitiosisque eius moribus, in quibus iam quodammodo subsiderunt, in locum mundum Ecclesiæ suæ, & congregationem iustorum: inter quos, ineptos suos fumos, moresque deponant: quemadmodum egit cum RVTH transfundens eam ex regione Moab, vbi hærebat in suis Idololatriæ fecibus, in ciuitatem Bethlehem, vbi verum Dei cultum, & religionem cum omnibus profiteretur. Eò itaque tendit benenola illa vocatio, quæ in tuis auribus sonat, eum dormis, ac in tuarū culparum fecibus requiescis: vt excitatus à somno, approbes, acceptesque sanctam transfusionem à loco sedeque detestanda, in qua sedisti; ad amplectendum locum, quem tibi ad tuum remedium ostendit. cuius loci præstantiam proximo iam capite indicabimus.

b *Iere.* 51. 6.

c *Ierem.* 48. 11.

CAPVT VII.

VOCATIO AD INGREDIENDAM IPSAM Ecclesiam, fidemq; Catholicam profitendam: in qua sola Ecclesia inueniuntur bona mediaq; ad nostram salutem necessaria: quorum summa subiicitur.

QVAMVIS prima Vocatio insignem edat in peccatoribus stragem, dum cœlesti sua luce illis manifestat mala & incommoda horrendi illius loci, ex quo illos educit: non minorem tamen edit, cùm eadem luce ostendit illis præclarissima bona loci, ad quem illos dirigit, Ecclesiam scilicet Catholicam, quæ est congregatio Fidelium, eandem fidem, religionemque Christianam eo modo profitentium, quo idemipse Christus Seruator noster, (qui supremum est eius caput, cuius Vicarij sunt Pontifices Romani S. Petri successores) eam docuit. In qua sola Ecclesia omnia bona, mediaque inueniuntur, quæ nos sanctificant. ipsa enim sola est habitatio filiorum DEI; & animarum, quæ sunt eius sponsæ, viuumque Spiritus sancti Templum. In quam Ecclesiam necesse est ante mortem intrare, quotquot prædestinati sunt in cœlum; vt æternam vitam in eo consequi possint. Et quamuis Ecclesia verè sit similis a *areæ*, quæ granum simul continet & paleam; & b *sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti*; ac denique in ea inueniantur c *virgines prudentes & fatuæ*; & viri sapientes & sancti, constantes & d *fulgentes sicut Sol*; & similiter viri stulti & inconstantes, qui instar lunæ passim mutantur: iusti tamen soli sunt viuentia mystici huius corporis membra: & magnalia illa, quæ de Ecclesia prædicantur, præcipuè locum habent in congregatione horum bonorum filiorum, qui matris suæ sanctitatem amplectuntur. Quando igitur aliquem diuina vocatio ad Ecclesiam ingrediendam inuitat, non id fit, vt, qui vocatur, maneat inter mortua eius membra, quæ satis sibi esse arbitrantur, si fidem solam absque bonis operibus habeant: sed vt viuorum membrorum congregationi adiungatur. quæ cum vera fide gratiam quoque & charitatem coniungunt, in qua integra perfectaque animę vita consistit.

a *Mat.* 13.12
b *Cap.* 13.47
c c. 23. 1.
d c. 13.43.

Hoc totum mirificè nobis depinxit Spiritus S. per Salomonem, dum refert huius Ecclesiæ proprietates, modumque quo Deus homines ad eam vocat: e *Sapientia*, inquit, *ædificauit sibi domum: excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis: Si quis est paruulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam; & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.*

e *Prou.* 9.1.

tia. Quæ domus hæc est, eleganter adeò ædificata & ornata, rebusque omnibus abundans, nisi Ecclesia Catholica? quam ait Apostol. esse f *Ecclesiam Dei viui*, ædificatam à diuina sapientia incarnata SIBI, ad suam scil. habitationem, recreationem, requiem & gloriam: dignatus est enim, in hac sancta congregatione habitare, g *delitias q; suas habere cum filiis hominum*, satians in eis desiderium quo tenebatur, se creaturis suis communicandi; & in eisdem ad suum honorem & gloriam manifestandi infinitos charitatis & omnipotentiæ suæ thesauros, & inæstimabiles gratiæ suæ diuitias; quæ tantæ sunt, vt idem Apostolus dixerit: quod h *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum*. Si enim adeò magna bona creauit in huius visibilis mundi domo, vt hisce naturæ operibus admirandas suas perfectiones ostenderet: quantò erunt maiora, quæ in domo Ecclesiæ suæ collocauit, ad reuelanda magnalia sua per hæc opera supernaturalia? quamuis autem hanc domum ædificauerit SIBI, quemadmodum dictum est: etiam voluit ipsos homines ad eam vocare; cupiens, innumeros in ea habitare, qui bonis fruantur in ea ab ipso collocatis. *Mittit* autem diuina ipsa *Sapientia ancillas suas*, quos scil. ad hanc vocationem destinatos habet, ex vtraque hierarchia Angelica & Ecclesiastica, præcipiens vocare, qui *ad arcem muros q; ciuitatis* ascendant, ad altitudinem scil. firmitatemque Christianæ perfectionis: quæ in exequendis iis, quæ ipsa Ecclesia docet, ac profitetur, consistit. Hanc autem vocat *ciuitatem* turribus murisque munitam: ad insinuandum, ita eam esse vnam domum ob coniunctionem, quam in rebus omnibus seruat, vt simul multas domos particulares que congregationes complectatur, ad modum ciuitatis muris protectionis ipsius Dei & Angelorum eius benè munitæ. Quoniam verò diuinæ suæ Sapientiæ ancillæ non valent mutare corda eorum, quos vocat, vult ipsamet *insipientibus loqui*, & vocare *paruulos*, non ætate, sed sensu & iudicio: hortans illos, vt *relinquant infantiam*, vitam scil. ignorantiis & imprudentiis plenam, qua suas sequebatur vtilitates & propensiones: & propterea addit: VIVITE. Hactenùs enim non videmini vixisse, siquidem vita vestra mors potiùs, quam vita fuit: vt quæ bestiarum potiùs fuerit, quàm hominum. Incipite igitur vitam nouam, vitam quietam, prudentem, sanctam ac beatam. Quamobrem venite in domum meam, in qua sola inueniri possunt bona & commoda ad vitam adeò felicem ducendam necessaria. Sed quænam hæc sint bona, cognosci non potest, nisi per visibilium rerum similitudinem, per quas ipse Spiritus sanctus sensim eas ad nostrum solatium admiranda methodo ratione que reuelat.

f *1. ad Tim. 3. 15.*

g *Prou. 8. 1.*

h *1. Cor. 2. 9*

Deus sibi & nobis Ecclesiã condidit.

Paruulos Deus per se vocat.

Impij non viuunt.

§. 1. Sta-

§. 1. *Stabilitas & Sanctitas Ecclesiæ invariis statibus.*

1. PRIMVM itaque diuina Sapientia hanc suam domum fundauit super septē columnas, quibus eius moles sustentaretur, vt sic intelligeremus, eam habere omnem firmitatem, & stabilitatem possibilem, qua integra firmaque ad finem vsque mundi perduraret, ita vt quemadmodum ipse Seruator noster dixit, a *nec portæ inferi prævalere possint aduersus eam*: & b *licèt descendat pluuia, veniant flumina, flentq; venti* persecutionum & tentationum, tyrannorum & hostium: non tamen corruat. Qui enim eā ædificauit, cùm non solùm sit homo prudens, sed DEVS & homo, & ipsamet Sapientia: non eam fundauit super mobilem arenam, sed supra firmissimam petram, quæ est ipsemet Christus, vera petra fundamētalis Ecclesiæ suæ, cuius protectio ac prouidentia semper eam proteget ac defender. hæc petra illa est, de qua Zacharias Propheta: *super lapidem vnum septem oculi sunt*. qui autem sunt hi oculi, nisi omnes gratiæ, virtutes, ac dona huius lapidis? illa præcipuè septem dona Spiritus, de qnibus Isaias Propheta. d *requiescet super eum* (florem Iessæ) *spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*: quibus Christus D. N. Ecclesiæ suæ gubernationi attendit: suntque illi tanquam septem columnę ad eam sustentandam: communicat enim illa omnibus iustis ad maiorem eorum firmitatem, quamuis eadem eminentiùs ijs tribuat, qui futuri sunt eius domus columnæ.

a *Matt.* 16. 18.
b *Cap.* 7. 25.
c *Zach.* 3. 9. *Apoc.* 5. 6.
d *Isai.* 11. 2. *Septem dona Sancti Spiritus.*

2. QVARE S. Gregorius vult, septem has columnas significare multitudinem virorum Sanctorum ac perfectorum, qui Ecclesiam Catholicam clarissima sua doctrina, vitæq; exemplo sustentent: alios enim esse tanquam e *columnas argenteas*, quæ erāt in *ferculo Salomonis*, ob puritatem & sublimitatem sapientiæ, qua ignorantes sustentant: alios tanquam f *columnas aureas*, ob splendorem Charitatis, quam in alijs fouent, ne illam ex torpore amittant: alios, g *columnas aneas*, quæ erant in templo, ob magnam ipsorum fortitudinem ac patientiam in tolerandis laboribus in vtilitatem omniū. Sed quoniam non casu fortuito Spiritus S. numerum hunc septenarium expressit, possumus intelligere per has septem columnas, septem personarum status & conditiones, in quibus totum Ecclesiæ ædificium conseruatur. *Primus* status est Apostolorum, Prophetarum, Virorumque Apostolicorum, qui eam sanguine suo plantarunt ac dilatarunt, & verò nunc per mundum dilatant, quibus per excellentiam tribuit Apostolus nomen h *columnarum*. *Secundus* est Episcoporum & Prælatorum, qui illam gubernant; subiecti tamen supremo vni Pastori Christi Vicario, qui est Pontifex Romanus. *Tertius* est Doctorum & Magistrorum, qui docent ac prædicāt legem

Lib. 7. *Moral. c.* 17.
e *Cant.* 3. 10.
f *Eccli.* 26. 23.
g *Exod.* 38. 10.
3 *Reg.* 7. 15.

Septem status iustorum. Apostoli.
h *Gal.* 2. 9. *Episcopi Doctores.*

atque

atque doctrinam, quam ipsa Ecclesia profitetur. *Quartus* est Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiasticorum, qui sacrificia orationesque pro populo offerunt. Nam de vno solo dixit Ecclesiasticus, quod i *in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Quintus* est Religiosorum, qui, rebus omnibus huius mundi relictis, seipsos diuino obsequio dedicant, sequentes Euangelicam perfectionem. *Sextus* est continentium ac Virginum, qui k *sequuntur agnum quocunque ierit*, imitantes scilicet eius puritatem ad arctiorem cum eo familiaritatem contrahendam. Ac denique *Septimus* status est Coniugatorum, qui Charitate coniuncti filios nutriunt, qui Ecclesiam conseruent, quatenus illa est hominum congregatio. In quolibet aũt horum statuum habet Deus D. N. aliquos insignis sanctitatis, qui ipsorum statuum puritatem conseruent: id enim ad ipsius prouidentiam pertinet. quemadmodum suo loco dicemus.

Sacerdotes

i *Eccl.* 50. 1.

Religiosi. Virgines.

k *Apoc.* 14. 4

Coniugati.

Sed quoniam omnes iusti etiam eminentissimi, partes sunt huius Ecclesiæ, ac proindè columnis indigeant à quibus sustententur, hæ columnæ erunt, septem præcipue, vitæ Christianæ virtutes: tres scilicet, quas Theologicas appellamus, *Fides, Spes & Charitas*; & quatuor Cardinales, *Prudentia, Fortitudo, Iustitia & Temperantia*, cum septem donis Spiritus sancti, quæ illas corroborent; cæterisque virtutibus, quæ ad eas reducuntur. Omnes autem significantur numero septenario, quo in diuina Scriptura significatur multitudo perfecta. Iure autem merito virtutes, censentur Ecclesiæ columnæ, cuius præcipuum fulcrum est sanctitas vitæ, quæ in sola illa cum excellentissima perfectione inuenitur. Cùm enim eius fundator sit Sanctus ac perfectus, ita opus manuum eius Sanctum esse debet ac perfectum: & l *domum* Dei, ait, Dauid, *decet sanctitudo*: & populum suum electum, qui est domus eius spiritualis, in quâ ipse habitat, sæpè hortatur, m *sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum*, & quemadmodum nulla maior sanctitas concipi potest, quàm sit ipsa diuina; ita nulla in terra potest esse maior ea, quã profitetur S. Ecclesia: detestari scil. omnia vitia, magna & parua, etiam cogitationes & verba otiosa; amplecti verò virtutes omnes, cum omnibus perfectionis operibus, quam illa complectuntur à minimis vsque ad supremas. Fieri non potest, vt Fidem nostrâ certiorem vel ipsa mente cogitemus; nec Spem excellentiorem; nec Charitatem magis accensam, & ad plura se extendentem; nec Sapientiam altiorem & sublimiorem. n *Pax* Christiana *exuperat omnem sensum*, o *Iustitia sicut montes Dei*, Temperantia, est plus quàm humana; Castitas Angelica, Fortitudo diuina; Oratio omnipotens; Patientia Prodigiosa. Nec sunt huiusmodi columnæ rudes, aut impolitæ; sed elegantes, admirandisque circumstantijs, & glorioſis finibus sibi propositis elaboratæ: quam elegantiam iusti augent & exornant varijs

3. Septem præcipuæ Virtutes.

l *Psal.* 92. 5.

m *Leuit.* 11. 45. & c. 19. 2. c. 20. 7.

n *Petr.* 1. 16. *Matt.* 5. 48.

o *Phil.* 4. 7. *Psal.* 35. 7.

mortificationis exercisijs: quæ licèt præcipuè sint interna, pulchritudinem tamen suam, fortitudinem, & sublimitatem admiranda externarum actionum varietate produnt. Ad eum modum, quo p *gloria filiæ Regis*, (quemadmodum dixit Dauid) *ab intus* prouenit: *in fimbrijs* autem *aureis*, externis scilicet actionibus, *circumamicta* est *varietatibus*. Et licèt nullum aliud esset argumentũ & ratio, ad probandum, Ecclesiã nostram esse domũ Dei viui: hęc sola sufficeret, tanta enim Sanctitas non potest nisi in eius domo, qui Sanctus Sanctorum est, vnicusque totius sanctitatis fons inueniri. Quapropter extra domũ hanc nusquam tales columnæ inueniuntur, nec adeò perfectæ virtutes, nec vera sanctitas: licèt nonnullum eius vestigium, speciesque alibi esse videatur. Omnes enim reliquæ cõgregationes ac Sectæ, quæ in mũdo sunt, q *Synagogæ sunt Sathanæ*, domusque Dæmonis, Regis filiorũ superbiæ fundatæ, & r *sedentes*, vt supra diximus, *super bestiam coccineam, habentem capita septem*, septemq; vitia, septem his columnis contraria. Et quamuis in ipsa Ecclesia aliqui culpâ suâ sint improbi; in sola tamẽ illa Iusti esse possunt; extrà verò, omnes sunt peccatores: donec Sapientia diuina, speciali sua vocatione ex loco, in quo sunt, eos deducat, faciatque sanctę huius domus suę habitatores. ad Dominum enim virtutum spectat, eas distribuere, eos vocando, qui amplecti illas velint, seque ad eas recipiendas disponere.

p *Psal* 44. 14.

q *Apoc* 2. 9

r *Cap.* 17. 3.

§. 11. *Sacramenta & Sacrificia.*

AD has virtutes producendas & augendas in omnibus statibus, instituit Sapientia diuina 7. Sacramenta, quæ appellare licet septẽ huius domus columnas: illis siquidem illa conseruatur, dilatatur, & in omnibus statib⁹, partibusq; suis perficitur. Prima columna est Sacramentũ BAPTISMI, per quod regenerantur filij, & habitatores Ecclesiæ, recipientes spirituale esse Gratię, propriumq; signũ eorũ, qui sunt partes Ecclesiæ. Secunda columna est CONFIRMATIONIS Sacramentum, quod iam regeneratos confirmat: & in spirituali esse, quod acceperant, corroborat, fortesq; reddit ac firmos tanquã columnas, aduersus tyrannos & persecutores. Tertia colũna est POENITENTIA, quæ reficit reparatq; omnia eorũ damna, resuscitans eos ad Gratiam, quam, peecato post Baptismum admisso, perdiderunt. Quarta est SS. EVCHARISTIA, in qua latet Dominus totius domus, & columnarum omnium firmamentum; vt in ea habitantes sustentet, conseruet, eorumq; virtutes adaugeat. Quinta est EXTREMA VNCTIO, quæ nos fortificat, reddit; constantes in vltimo mortis conflictu, vt in eo superiores euadamus. Sexta est ORDO SACER, qui domus huius ministros nutrit, vt proprijs eius muneribus fungantur in vtilitatem omnium habitantium. Vltima columna est MATRIMONII Sacramentum, quod gratiam confert coniugatis, ad filios dignè educandos, qui ipsam Ecclesiam condant.

1. *Septem Sacramenta.*

Quæ

Quæ septē columnæ, licèt externæ sint & spectabiles, eleganterq; multis sanctissimis, mysticisq; cæremonijs elaboratæ: multò tamē magis pretiosum est, quod intus continent, & in animabus tanquā Dei instrumenta efficiunt, ad eas iustificandas, & omni virtutū genere sanctificandas. Quā ob causam ea ostendit Angelus Zachariæ Prophetæ in figura a *septem*, valorū, siue *infusoriorum* aureorū plenorū oleo, quo fouebantur *septem lucernæ*, collocatæ supra *candelabrum totum aureum*, quod (teste S. Hieronymo) Ecclesiā refert Catholicam; cuius septem lampades siue lucernæ sunt Iusti septem statuum, quos supra indicauimus: qui verà doctrinā, sanctaq; vitā lucent, & ardent in virtute olei cœlestis, gratiæ diuinæ, quam septem Sacramenta illis communicant. Vocantur autem vasa aurea ob ingens eorū pretium, atq; perpetuitatem: suntque hæc vasa adeò propria huius domūs, vt extra eam talia inueniri non possint: Circumcisio enim, & antiquæ legis Sacramenta valorē suum, adueniente Messia, legeq; noua promulgata, amiserunt. Quare quicunque sunt extra hanc Ecclesiam, nisi ad eam accedant, vt suorum malorum remedium accipiant, non possunt ab eis liberari: parumque profuerit illis, quod in mundo sint nati, nisi per Baptismum, in Sancta Ecclesia regenerentur; conseruentque vsque ad mortē, spirituale gratiæ esse. Quod totum præstat diuina vocatio, inuitans omnes, vt accedant ad hæc sancta Sacramenta, intrantes in Sanctam hanc domum per vnicam eius portam, Baptismum scilicet, quemadmodum suo loco videbimus.

Ex Concil. Trid. Sess. 7. Can. 6.

a *Zach. 4. 2.*

Ibid. ac D. Cyryll. & S. August. hom. 8. in Apocal. Proxi. Paragra.

Erectis omnibus cœlestis huius domus columnis, constituit diuina incarnata Sapientia, duo solēnia Sacrificia in ea offerri, loco multorum, quę lex antiqua habebat: alterum cruentum, incruentum alterum: vtrumq; verò infiniti valoris ac pretij. *Primum* obtulit ipse in ara crucis, tradens corpus suum in mortem; sanguinemque suum effundens pro redemptione mundi: fuitque hoc sacrificium virtutis infinitæ, ad placandam æterni Patris irā; ad satisfaciendum pro peccatis hominum; & comparandas omnes gratias, dona & virtutes, ad pulchritudinem, & sanctificationē Ecclesiæ suæ necessarias: iuxta illud Apostoli, dicētis: b *Christus seipsum tradidit pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, & exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi.* Ad quod clariùs comprobandum absoluto ipso Sacrificio, fuit c *eius latus lancea apertum*: vt Ecclesia secundi Adami Sponsa, dum ipse somnum mortis dormiret, ex eius latere formaretur: quemadmodum primi Adami Sponsa d *ædificata est ex costa ipsius*, mysticum alium somnum *dormientis*: ex illo autem vulnere e *exiuit sanguis & aqua*, fonteque prodierunt omnium Sacramentorum, quibus ipsamet Ecclesia pulchritudinem suam consequeretur, & conseruaret.

2. *Immolauit victimas. Duplex Christi D. N. Sacrificium.*

b *Eph. 5. 25.*

c *Ioan. 19. 34.*

d *Gen. 2. 22.*

e *Ioan. 19. 34.*

Alterum Sacrificium incruentum obtulit in cœnaculo pridiè passio-

nis suæ, in quo obtulit proprium corpus & sanguinem sub speciebus & accidentibus panis & vini, vt cruenti Sacrificij fructum singulis applicaret. Hoc ipsum autem offert ipsemet Saluator quotidie per manus Sacerdotũ; statuens, illud ipsum esse præstantissimum cibum omniũ, qui in eius mensa apponuntur, ad omnium, in hac eius domo habitantium nutrimentũ. Extra quam domũ nec offerri hoc sacrificium potest, nec agnus hic comedi. ad quod significandum, de Agno Paschali dictum est: f *in vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras.* Ac proinde quicunque extra domũ hanc manent, non possunt esse participes fructuum, horum sacrificiorum. Nec passio ipsius Saluatoris, quæ alioqui copiosissima est, & ad mala omnium hominum reparanda sufficiens, applicabitur efficaciter, vel vni soli, nisi adducatur, & Ecclesiæ ipsi coniungatur. Quemadmodum enim dixit S. Ioannes: g *Christus non tantum pro gente* Iudaica *mortuus est; sed vt filios Dei, qui erant dispersi* per totum orbem; *congregaret* IN VNVM: in vnam scilicet domum suam, & vnitionem vnius Ecclesiæ, vt sint omnes vnum h *ouile* sicut ipse *vnus est pastor*: qui benenola dulcique diuiuæ suæ vocationis voce oues vocat, ad hoc ouile spectantes; & eos qui hanc domum sunt ingressuri inuitat: vt his sacrificijs assistant, eorumque carnibus & oblationibus vescantur, sicut dictum est.

f *Exod* 12. 46.

g *Ioan.* 11. 52.

h *Ioan* 10. 16.

PRÆTER duo hæc adeò excellentia sacrificia, offert diuina sapientia, alia spiritualia intra hanc domum: alterum cruentum, incruentum alterum. Cruentum offert in Martyribus; qui vt fidem conseruent, & fidelitatem, quam Deo debent, offerunt corpora sua ad omne genus cruciatuũ; gaudentes, quod sanguinem suum effundant; vitamque ipsam, ad imitationem IESV Christi Ducis sui, qui pro illis & sanguinem & vitam suam exposuit amittant. Incruentum verò sacrificium offert in reliquis iustis, qui i *exhibent corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*; abscindentes & mortificantes quicquid sentiunt in se carnis & sanguinis. In quo genere mira elucet varietas. Alij enim offerunt sacrificium *cordis* contriti, ob sua peccata; alij sacrificium pacificum *laudis*, ob accepta beneficia; alij sacrificium *incensi* & orationum, ad impetranda noua dona; alij denique *holocaustum* offerunt cordium suorum, diuini amoris igne accensorum; vt sese totos diuino Dei obsequio, ob diuinam eius excellentiam & bonitatem infinitam mancipent. Quæ omnia sacrificia non possunt etiam offerri Deo extra hanc domum: extra quam nec veri Martyres, nec spirituales Sacerdotes; aut sacrificia Deo grata esse possunt. Non est vera contritio, non laus perfecta, nec efficax Oratio, aut purus Dei amor. Quod si aliquid horum sit; id erit, si adsit animus Ecclesiam adeundi ad inhabitandum: vbi se offerant in omni veritate, integritate, ac perfectione, vocante

3. *Duo spiritualia Sacrificia.*

i *Rom.* 12.

diuina

diuina Sapientia eos, qui talia sacrificia sunt reuera oblaturi; eosque præueniente, & adiuuante in ipsa executione: ipsa enim Sapientia præcipuè sacrificia hæc offert, quatenus speciali ipsius gratia adiuti, eius electi ea offerunt.

§. 3. *Diuinæ Scripturæ & spiritales cibi.*

Miscuit vinum & posuit mensam suam.

IN medio huius domus posuit Sapientia diuina mensam valdè oppiparam, & abundantem pane, vino, alijsque cibis, ac ferculis delicatissimis ac pretiosissimis: sacra videlicet Scriptura, continente libros tam Veteris, quàm Noui Testamenti: in quibus pretiosissima sunt sancta Euangelia. In hac mensa magna est copia veritatum pro omni hominum genere: quemadmodum dixit S. Dionysius. aliæ enim aptæ sunt, pro robustioribus, tanquam cibus solidus, qui per *panem* significatur; aliæ pro debilioribus, tanquam liquidus suauisque cibus, qui per *vinum* intelligitur: vt omnes cognitionem habeant veritatum suæ capacitati accommodatarum, quibus alantur, a *Confirmentur, & cor suum lætificent*. Præcipuè tamen distinguere licet triplex genus panis siue ciborum. Primus panis est DOCTRINÆ, cui credere debent, quæ mysteria cõplectitur diuinitatis & humanitatis Christi Seruatoris nostri: & opera, quæ ab eis ad nostrum reparationem proueniunt. Hæc doctrina excellentissima est in veritate, certitudine, puritate, & vtilitate: nec admittit rem vllam falsam, incertam, prauam, aut malam vel inutilem. Docet sentitque de Deo altissimè, & vltrà quam vel concipi possit: attribuens illi perfectionem infinitam in sua natura, duratione, sapientia, charitate, iustitia & fortitudine; in omnipotentia, & prouidentia; in rebus & operibus, quæ mundo videntur maximè ab scopo aberrare, docet elucere admirandam rectitudinem ac proportionem, dignam sapientia & potentia ipsius DEI. quæ omnia insignem & stupendam habent efficacitatem ad intellectum nostrum illustrandum & vincendum; ad voluntatem alliciendam & permouendam, spiritumque illo cibo alendum & nutriendũ, de quo Sapiens dixit: b *cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Quamuis autem *aquam* exprimat, eò quòd cupiditatum ardores refrigeret ac mortificet: eadem tamen est *vinum*, eò quod diuinorum affectuum ardorem accendat.

Epist. 9. ad Tit.

a *Ps. 103. 15.*

Triplex panis in Ecclesia

1. *Doctrina.*

b *Eccl. 15. 3.*

ALTER cibus est lex diuina & Euangelica, quam huius domus habitatores seruare debeant cum omnibus præceptis & consilijs eius: cuius obseruantia est ille cibus, de quo ipse Saluator dixit: c *meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*. Hæc lex maximam docet perfectionem, quæ in hac vita possit obtineri: ita vt nihil omninò mali, aut imperfecti admittat, quod ab heroica, quam diximus, sanctitate degeneret.

2. *Legis.*

c *Ioan. 4. 34*

3. Sacramentorum.

PROPONVNTVR præterea in hac eadem mensa fercula sanctorũ Sacramentorũ quę animas nutriunt, nominatim verò & frequentius duo *Pœnitentiæ* sc. de qua Dauid: d *cibabis nos pane lachrymarũ, & potũ dabis nobis in lacrymis*: & alibi: e *potasti nos vino cõpunctionis*; & Sanctissimũ *Altaris* Sacramẽtum, quod est f *panis vitæ*, & panis Angelorum; & simul est g *vinum germinans virgines*. Omnes hi cibi non inueniuntur nisi in sancta hac Ecclesiæ domo. Ac proinde extra eãm nec obtineri potest, nec conseruari vita gratiæ. siquidem nullus mortalium sine aliquo cibi genere potest vitam suam conseruare. Nam quemadmodum Noë postquam arcam fabricauit sibi, vxori, ac filijs, è pluribusque alijs animantibus, quos Scriptura mundos appellat, h *tulit ex omnibus escis, quæ mandi poterant, vt essent sibi & animantibus in cibũ.* omnium sustentationi accommodatum, toto tempore diluuij; quo perierunt vniuersi, quotquot extra arcam remanserant: ita cùm Christus D. N. suam Ecclesiam, per arcam illam significatam, ædificauit: collocauit in ea alimenta sufficientia pro omnibus filijs & habitatoribus eius, singulorum necessitati & capacitati accommodata: quibus suauissimè frui possunt vsque ad satietatem; securè nauigando in cœlum absque damno, ex diluuio peccatorum & errorum proueniente; (à quo demerguntur vniuersim omnes quotquot extra illam fuerint) modo i *non obliuiscantur comedere panem suum.* donec ad optatum gloriæ portum perueniant. Ac propterea diuina Sapientia vniuersim vocat omnes insipientes & peccatores terræ, dicens: k *Venite comedite panem meum*, quasi diceret: nolite comedere, l *panem mendacii*, quo vescuntur infideles: nã m *postea implebitur os vestrum calculo*; quo dentes confringentur: nec comedatis panem *impietatis*, nec vinum *iniquitatis* bibatis, quæ bibunt & comedunt peccatores. Nam huiusmodi n *panis in vtero vestro vertetur in fel aspidum*, quod amaret, ac veneno inficiat conscientias vestras: sed comedite panem meum. quem ipsamet pinsui pro filijs meis; & bibite vinum meum, quod ego ipsa ad eorum delicias præparaui. Id autem facietis, credentes ac ruminantes doctrinam meam, obseruantes legem, recipientes Sacramenta, meaque consilia amplectentes Hic enim o *panis & vinum confirmabit, & latificabit corda vestra*: & p *in fortitudine huius cibi peruenietis vsque in montem Dei Horeb*, fœlicitatẽ scilicet æternã.

4.

HÆc suauis est iucundaque Sapientiæ diuinæ vocatio, quæ gnara famis, qua homines in hoc mundo premuntur, (vt proximo capite est dictum) vocationes suas dirigit, & accommodat in parabolis q *cœnæ magnæ* conuiuio nuptiali, in quibus r *tauri, altilia, vituli saginati* proponuntur, cum *Symphonia & Choro*. alijsque lætitiæ signis: vt sic vocatos alliciat in domum suam, in qua satient famem cœlestium ciborum, quos illæ parabolæ significant. Ac propterea iure optimo Ecclesia Catholica significatur

per

d *Psa.* 79. 6
e *Psa.* 56. 5.
f *Ioan.* 6. 35 & 51.
g *Zac.* 9. 17.
h *Gen.* 6, 21.
i *Psa.* 101. 5.
k *Prou.* 9. 5.
l c. 20 17.
m c. 4. 17.
n *Iob.* 20. 14
o *Psa.* 103. 10.
p 3 *Reg.* 19. 8.
q *Luc.* 14. 16
r *Matt.* 22. 1.
s *Luc.* 15. 25.

per Bethlehem Iudæ, quò vocatio diuina deduxit ipsam Ruth ex regione Moab eductam. *Bethlehem* enim significat domum panis; *Iuda* verò idem est, quod confessio siue laus. Estque t *Bethlehem* insignis illa ciuitas, *in qua* Iesus Christus Saluator noster *est natus*; verè u *Panis viuus, qui descendit de cœlo, vt daret vitam mundo.* Nam statim atque fuit natus, cum magno mysterio fuit positus in animalium præsepio: vt ex hoc intelligeremus, eum non solum venire, vt esset cibus Iustorum; qui vitam suam iuxta rationis præscriptum instituunt; sed etiam peccatorum, qui eam ducunt more pecudum: omnes enim vocat inuitatque, vt accedant ad hanc domum panis: vbi panibus eius doctrinæ, Sacramentis, & exemplis alantur; credantque corde, & ore conficiantur mysteria, quæ in ea sunt exhibita: eorum auctorem continenter laudando, tam propter magnalia, quæ in se habet, quàm propter beneficia ab eo accepta: in quorum mysteriorum testimonium lux cœlestis, diuinaque vocatio deduxit in Bethlehem, ad locum vbi ipse erat positus in præsepio, pastores, tanquam primitias populi Hebræi; & Magos, tanquam primitias Gentilis populi: & tanquàm arrhas & pignora, quod vterque populus esset coniũgendus in hac cœlesti Bethlehem Iudæ, Ecclesia scilicet sancta ad eosdem panes comedendos; easdem veritates eodem omninò laudum diuinarum modo confitendas. sic implendo quod Patriarcha Iacob prædixit de hoc ipso Domino, cum filio suo Iudæ dixit: x *Iuda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui.* Qui sunt Iesv Christi fratres, nisi homines, pro quibus ipse humana natura assumpta, factus est homo? & qui sunt filij patris eius, nisi Angeli, quos scriptura per excellentiam appellat y *filios Dei*? vtrique autem conuenerunt in Bethlehem Iudæ, vt recens natum Saluatorem laudarent: vbi Angeli lætissimum illum hymnum cecinerunt: z *Gloria in Altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et hodieque conueniunt in Ecclesia, ad glorificandum Deum: Angeli enim homines vocant & inuitant, vt ad eam accedant: a *gaudium enim est illis super vno peccatore pœnitentiam agente*, & venientes exhortantur, vt laudent Dominum, qui illos vocauit. O Saluator dulcissime, quàm esset rationi consentaneum, vt omnes fratres tui homines te in domo tua confiterentur & laudarent propter bona, quæ in ea illis reposuisti; & adhuc multò magis, quod te ipsum habeant, in quo omnia illa continentur. Tu præcipua eis illorum columna, tu sacrificium, tu mensa, tu panis & vinum; tu denique Ecclesiæ tuæ alimentum, & Augmentum. Resonent itaque, Domine, in illa tota laudes tuæ, ob ingentes, quibus versus eos vsus es misericordias.

t *Matth.* 2. *Luc.* 2. 4.
u *Ioan.* 6. 51.
x *Gen.* 49. 8
y *Tob.* 8. 7.
z *Luc.* 2. 14.
a *c.* 15. 10.

§. 4. *Ve-*

§. 4. *Veræ Ecclesiæ signa.*

EX prædictis licebit signa aliqua colligere ad veram Ecclesiam, Deique viui domum agnoscendam. Omni enim dubio procul maximam consolationem affert, quod simus certi ac securi, vitam nos ducere in ea congregatione, in qua vitam æternam consequi possimus, iuxta illud Sapientis: a *Secura mens, quasi iuge conuiuiũ.* Hoc conuiuium exhibet nobis ipsa magnitudo & pulchritudo domus Dei. quemadmodum enim, conspecta magnifica quapiam aula siue palatio, conijcimus, eam esse magni alicuius Principis, qui in suam habitationem expensis proprijs eam construxerit. Ita Ecclesiæ magnitudo magnas certasque coniecturas nobis offert, quod sit Domus à Dei Sapientia ad eam inhabitandam ædificata. Ex quo decem hæc signa licèt colligere.

a *Prou. 15. 5.*

Decem Ecclesiæ signa.

1. *Vna.*

PRIMA coniectura siue ratio est, quòd vera Dei domus non possit esse in mundo nisi VNA: quemadmodum etiam est vna in cœlo. Propterea enim non dixit Salomon Sapientiam ædificasse sibi domos, Ded DOMVM: quia non est nisi vna Ecclesia, vna Fides, vnum Baptisma, vnus verus cultus Dei, creatoris & patris omnium: à quo nõ possunt procedere nisi veritates, & virtutes quæ semper cõiunctę sint, nec inuicẽ sibi aduersẽtur; quẽadmodum errores & vitia. vbi autem est vnio, & coniunctio, etiamsi multa sint membra, vnum solum corpus constituunt. Propterea in Canticis, postquã præmisisset, in domo Regis Salomonis b *Sexaginta esse reginas, & octoginta concubinas, & adolescentularum non esse numerum*: de omnibus simul subijcit: *Vna est colũba mea, perfecta mea*; idque propterea quòd omnes sint vna charitate coniunctæ: & ideò additur: *vnam esse matris suæ, electam genitrici suæ* cœlesti scilicet Ierusalem: vbi vnitio & coniunctio illa erit æterna.

b *Cant. 6. 8.*

2. *Vera,*

SECVNDVM signũ veræ Ecclesiæ est VERITAS & certitudo infallibilis totius doctrinæ suæ, sui omninò similis in rebus omnibus in diuina Scriptura Testamenti antiqui & noui reuelatis, adimpletis in Nouo Veteris Prophetijs. Quæ eadem concordia est in quatuor Euangelijs & in reliquis sacris libris. Ac propterea tota hæc doctrina dicitur esse similis *pani & vino*, quæ ex multis granis frumenti, aut vuis inter se coniunctis conficiuntur: ad significandam coniunctionem & connexionem quam habent eius veritates: ita vt nulla falsitas, nulla contrarietas, aut vitium possit in eis inueniri.

3. *Pura.*

TERTIVM signum est PVRITAS & sublimitas diuinæ legis in omnibus suis præceptis & consilijs, summè consentientibus cum ipsa ratione: nulla readmissa, quæ ab ipsa ratione degeneret. quibus præceptis & consilijs perfectissimam intendit amoris vnitionem cum ipso creatore, & omni-

bus

bus proximis: Quam ob causam etiam pani & vino est similis: ad significandum coniunctionem cordium; eorum, qui eius præceptis obediunt, consiliaque amplectuntur. 4. Præstans.

Et hinc deducitur Qvartvm signum, Præstantia scilicet virtutum, quas Ecclesia profitetur cum omni perfectione, quam antiqui Philosophi docuerunt, nec tamen fuerunt assecuti; & cum multò adhuc maiori, quam illi non solum assecuti non sunt, sed neque intellexerunt: qualis est cordis humilitas, paupertas spiritus, dilectio inimicorum & similes aliæ.

Qvintvm signum est præstantissima proportio & Convenientia, quam habent eius Sacramenta ad finem sanctitatis & perfectionis, quam illa profitetur: sola enim Dei sapientia adeò stupendam directionem, eiusque exequendæ facilitatem adinuenire potuit. 5. Efficax.

Huc accedit Sextvm signum Sacrificiorvm quæ offert: nam prætermisso cruento sacrificio Christi crucifixi, qui e *Dei virtus est, Deique sapientia* fidelibus, assequentibus admirandam pretiosæ huius oblationis conuenientiam & vtilitatem: quodnam sacrificium purius, mundius, gloriosius, grauiusque esse potest ipsa sacra Missa? in qua sacerdotes secundùm ordinem Melchisedech offerunt Deo viuo, non interfectorum animalium carnes; sed panem & vinum; non terrena sed cœlestia; in quibus substantia continetur carnis & sanguinis ipsius Agni Dei, qui tollit peccata mundi. 6. Sacrificio ornata Incruento. 1. Cor. 11. 24.

Septimvm signum est præstantia & Sanctitas spiritualium sacrificiorum, quæ obtulit Ecclesia, hodieque offert per Martyres & SS. Confessores, qui sanguine suo, vitæque exemplo ac mortificationibus heroicis apertè, certissimeque testantur, domum Dei esse illam, in qua ipsi viuunt; veramque esse Religionem, quam in ea profitentur. Nam absque ipsomet Deo, non potuissent ipsi viribus suis tales facere oblationes. 7. & Spirituali.

Octavvm signum est Sanctitas, & varietas Statvvm & graduum, quos ipsa Ecclesia habet, ad seruiendum & glorificandum ipsum Deum, cũ stupenda in eis successione, talique concordia: in quibus omnibus non desunt, qui impleant eorum perfectionem, etiamsi aliqui illorum valdè sint heroici, qualis est virginitatis, vitæque religiosæ status. 8. Sancta.

Nonvm signum est, huius domus generalitas & Vniversitas. Nã, cùm sit vna tantùm, adeò tamen est capax, vt omnes homines admittat, ad se venire volentes, absque vllo nationum discrimine: potius desideret, vt quemadmodum omnes vnam eandemque naturam participant, ita sint vnius eiusdemque gratiæ participes: & vt omnes sint vnum ouile, quemadmodum est vnus pastor. 9. Catholica.

Vltimvm signum est Perpetvitas & constantia, quam habuit, habet, & vsque ad mundi finem est habitura: ex ijs enim, quæ hactenus gesta sunt, 10. Perpetua.

certissimò conijcitur, quod est futurum : siquidem nullæ persecutiones Imperatorum Tyrannorum, aut Hæreticorum efficere hactenus potuerunt, vt aliquod ex prædictis signis Ecclesiæ ipsi defuerit. Nam semper in Ecclesia Romana successerunt sibi hactenus Vicarij Christi & Episcopi alij alijs, cum eadem Sacramentorum & sacrificiorum continuatione, quam ipsi nunc cernimus

Si itaque viuæ fidei oculis hæc omnia consideremus, obstupescemus procul dubiò plus quàm d *Regina Saba, quæ videns domum Salomonis & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantiū: & quæ holocausta offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum.* Quare iure potiori licebit vero Salomoni Christo D. N. dicere: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper*, bonisque hisce fruuntur, quæ diuina tua sapientia illis constituit: beati & illi, qui vocati sunt ad habitandum tecum in tua sancta domo, tibique in ea nocte dieque seruiendum.

d 3. *Reg.* 14

CAPVT VIII.

ECCLESIA VIRTVTE DIVINAE VOCATIO nis filios suos generat, quos eadem vocatio facit mysteria fidei firmiter credere, sectas verò contrarias omnino reijcere.

INTER excellentias Ecclesiæ Catholicæ proximo capite insinuatas plurimùm eminet eius fœcunditas, qua se in virtute Domini, qui eam fundauit, per orbem totum extendit, atque dilatat: voluit enim ipse eam Matrem esse ac genitricem filiorum, qui DEVM habent Patrem. nec dissentit hæc similitudo à priore, qua eadem Ecclesia appellata est domus DEI: mater enim, est viua domus filiorum, quos in suis visceribus concipit. Quamobrem in libro Canticorum sæpissimè appellat eam Deus a *Sponsam & columbam suam*: sponsam propterea quòd eam sibi Charitatis vnitione coniungat, & per eam filios generet spirituales in esse gratiæ. Nam, vbi DEVS est sponsus, debet desponsatio esse pura; sed non sterilis & infœcunda: Et propterea eam appellat *columbam*, quæ cum naturali sua puritate & pulchritudine maximam coniungit fœcunditatem omnium auium domesticarum. Nam singulis ferè mensibus nouos producit pullos: Vt hinc intelligamus, Ecclesiam coniungere similiter cum summa innocentia vitæque sanctitate magnam fœcunditatem, plurimos spirituales filios generans, perferuentes suos Concionatores qui sunt b *paradisi arbores, afferentes fructus duodecim, per menses* scilicet *singulos reddentes fructū suum*. qui

a *Cant.* 1. 10 & c. 4. 8. c. 6. 8.

filij

filij etsi numero non sint peccatoribus pares, pretiosiores tamen sunt multò; & vnus sit pluris; quàm decem millia: eò quod simul sunt filij Dei, cuius virtute eos concipit ac parit, non tam sibi, quàm ipsimet Deo, qui in suos illos accipit. Quemadmodum videre licet in ijs, quæ S. Ioannes de mystica illa muliere refert: quod esset b *amicta sole*, eratque figura Ecclesiæ; & gestabat *in vtero filiũ masculum*, qui statim atque natus est, *raptus est ad DEVM, & ad thronum eius*. Quis autem hic filius masculus est, nisi fidelium congregatio: eò quod sint per fidei & Charitatis vnitionem cum sua matre Ecclesia coniuncti? sunt tamen plus Dei, quàm ipsius, filij: siquidem illa, nec concipere quidem illos potuisset, nisi virtute diuinæ inspirationis. Decebat (ait S. Fulgentius) filiorum adoptiuorum conceptionem similem esse conceptioni vnigeniti filij Iesu Christi, qui non viri opera, sed virtute Spiritus S. in sanctissimæ suæ Matris visceribus fuit conceptus. In hunc ergò modum homines (quemadmodum dixit S. Ioannes) non possunt concipi, c *fieri*q; *Filii Dei*, nec in matris suæ Ecclesiæ viscera intrare ex *voluntate*, aut opera *viri*; *neque ex voluntate carnis aut sanguinis*, nec solius naturæ viribus, sed inspiratione Spiritus sancti: d *Nemo* (inquit ipse Christus) *potest venire ad me*, hoc est ad meum obsequium, ad meam Ecclesiam, & paricipationem diuini esse, quod ego illi communicabo, *nisi pater qui misit me, traxerit illum*; *& nisi fuerit ei datum à Patre meo*, à quo, vtpote e *Patre luminum omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit*, ad filios tenebrarum in lucis filios conuertendos, & immittendos in viscera *mulieris amictæ sole*, qui fons est luminis, mittitque cœlestium suarum illustrationum radios in existentes in tenebris infidelitatis extra Ecclesiam, vt in eam inducantur. Postquam verò ingressi sunt illuminat eos clarioribus magisque accensis radijs, gradatim progrediendo, donec eos omninò perficiat. Non enim existimandum est, sanctam hanc matrem nouem tantum menses, aut certum annorum numerum filios suos in vtero & viscеribus suis gestare. Nam tota potiùs vita secum eos gestat; nisi se ipsi proripiant, & exeant. Quamdiu autem intra illam manent, viuunt, crescunt, alunturque cœlestis eius mensæ cibis: ibi pugnant; ibi vincunt, eduntque opera tali matre digna: donec in die mortis (vt S. Ambrosius ait) eos parit, mittitque ad cœlum, occurrente illis cœlesti Patre, vt excipiat ac in gloriæ suæ throno collocet.

b *Apoc.* 22. 2

b *Apoc.* 12. 5.

Lib. de In carnat. c. 10

c *Ioan.* 1. 13.

d *Ioan.* 6. 44. 66.

Iaco. 1. 17

In Apoc. 12 *vide Riberam.*

§. 1. *Ingressus per fidem in Ecclesiam.*

VIDEAMVS nunc qua ratione ingressus primus, & spiritualis ipsa conceptio in sanctæ huius matris visceribus fiat. præmittimus autem Infantes ingredi: & incipere esse veros filios Ecclesiæ per solum Baptismum, vt suo loco videbimus: qui tamen rationis iam vsum habent, necesse est, Confessionem addant Catholicæ FIDEI. quæ, quamuis sine charitate non sufficiat illos iustificare, efficit tamen veros Chrianos; siquidem illa (vt ait Apostolus) est a *sperandarum substantia rerum*, siue fundamentum, primaque sementis ac principium iustificationis: ideoque ad gratiam, charitatem, cæterasque cœlestes virtutes consequendas, necessaria: vt quæ ex natura sua ad coniunctionem cum illis omnibus propendeat. Ac propterea Sanctus Chrysostomus matrem eam appellat omnium bonorum, salutisque animarum nostrarum medicamentum: & Sanctus Prosper, bonæ voluntatis, sanctarumque operationum genitricem: Sanctus verò Cyrillus addit, quod sit animæ oculus, cuius munus est illuminare, ac deducere conscientiam, & illustrare intelligentiam. Et ipsæ Scripturæ sacræ clamant, quòd b *Iustus ex fide viuat*. ex ea enim prouenit illis prima vita, & omnia viua opera, quæ faciunt, fidei innituntur. Si sperent, si orent, ieiunent, aut eleemosynam faciant; si confiteantur; aut communicent, aut iniurias condonent: omnia hęc innitunrur FIDEI: quæ horum operum bonitatem manifestat; eaq; aut præcipit, aut consulit ad placendũ Deo, animasq; suas saluandas. Nihil. n. est aliud FIDES, nisi supernaturale quoddam lumen, quod fidelium mentibus DEVS infundit; vt per illud mysteria omnia & veritates, quas Ecclesię suę reuelauit, firmissimè credant; eò quòd ipsemet ea reuelauerit, qui prima est & suprema veritas; adeoque bonus & sapiens, vt nec decipire, nec decipi possit.

Est autem ex se fides, opus adeò heroicum ac difficile, vt S. Bernardus inter diuinæ omnipotentiæ miracula numeret, quod fidem diuinam cum humano intellectu coniunxerit. Cùm enim ille consueuerit à lumine suo naturali duci, & à suis ratiocinationibus, quas conficit ex ijs, quæ sensibus percipit, DEVS illum eleuat, vt certissimè credat plurima, quæ suis ratiocinationibus assequi non potest. Quædam quidem ob tantam eorum sublimitatem, vt humani intellectus lumen effugiant: qualia sunt multa mysteria diuinitatis ac Trinitatis DEI: Quædam verò, eò quòd humano iudicio adeò abiecta sint, vt ab eius granditate & præstantia longè distare videantur: qualia sunt multa mysteria humanitatis nostri seruatoris: vnde satis apparet c *fidem*, vt ait Apostolus, *esse donum Dei*, cuius vocatio specialis necessaria est, ad hæc omnia credenda: illustrando scilicet intellectum humanum radio aliquo cœlestis lucis, quo se illis subijciat ac dedat. quemad-

a *Hebr.* 11.1.

Homil. 31. *in Ioan.*

Lib. 1. *de Vocat. gent.* c. 8 *Catec.* 5

b *Heb.* 2. 4

b *Rom.* 1. 17

b *ad Gal.* 3 11.

Serm. 1. *in Vigil. Nat.*

Ephes. 2. 8.

modum

modum ait S. Lucas: d *Deum aperuisse cor mulieris nomine Lydiæ, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* si enim diuina inspiratio cor non aperiat, semper illud erit occlusum ad verba Dei recipienda, eiusq; veritatibus assentiendum. Non est tamen solus Deus, qui cor ipsum aperit, sed etiam homo ipse cum Dei auxilio, libere consentiens iis, quæ inspirat Deus; & sese inclinans ad credendum, quod Ecclesia per suos ministros illi proponit.

d *Act.* 16.14

NEQVE in his adeò caliginosè procedit, vt non habeat magnas forteſq; rationes & causas ad ea credenda ex duplici capite. primùm: quia euidentibus rationibus probat mysteria fidei prudenter posse ac meritò debere credi: quemadmodum insinuauit Dauid, dicens: e *Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis.* quasi diceret, plurimæ sunt rationes, quæ ostendant, illa esse credibilia. Deindè, quia etiam probat, reliquas omnes sectas nostræ fidei contrarias, euidenter esse incredibiles, eò quòd multa falsa contineant, aut praua, contra ipsam rationem naturalem, aut contra Scripturas sacras, si illas admittunt. Nam eo ipso, quòd illas admittant ratio ipsa naturalis satis ostendit, non debere aliquid contra illas doceri. Accedit, quòd Spiritus S. lumine ipso fidei, suisque inspirationibus piam quandam ad mysteria diuina impartiatur affectionem, quæ illa reddat valde amabilia; ac proinde valde credibilia. Quare, de quocunque Christiano credente sicut debet, dicere liceret, quod Christus D. N. dixit S. Petro: f *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*: aptè scilicet nomen Bar-Iona tibi competit, quod (teste S. Hieronymo) columbæ aut gratiæ filium significat: Spiritus enim sanctus non propter tua merita, sed gratis illustrem hanc fidei confessionem tibi est impartitus: vt eius & columbæ, hoc est Ecclesiæ ipsius sis filius, Quod si pergas esse Simon, quod interpretatur obediens, acceptans & reipsa exequens quod hęc te fides docet: inferni potestas non valebit te ab hac firma petra, Petri scilicet confessione, in qua domus mea est fundata, deiicere.

c *Psal.* 92.5.

f *Mat.* 56.17 *Ibid.*

§. 11. *Quatuor Sectæ fidei Catholicæ contrariæ.*

VT autem clariùs appareat, qua ratione vocatio diuina sensim introducat fidem Catholicam; efficaces afferens rationes, quibus inferni potestates impugnet, præmittendum est, fidem Catholicam habere nunc in mundo quatuor sectas sibi inimicas. *Prima* est secta Gentilium, qnæ verum Deum negans, falsos admittit Deos. *Secunda* Iudæorum negantium Christum D. N. verum esse Messiam in antiqua lege promissum. *Tertia* hæreticorum confitentium quidem Christum verum; negantium verò aliquas veritates, quas ipse reuelauit. His accedit *Quarta* Saracenorum siue Maurorum, quæ continet pessimam omniũ mixturam collocans omnem suam fiduciam in falso quodam Prophetha, nõ minus rectæ rationis inimi-

S. *Tho.* 2. 2. q. 10 a. 5. & 6.

1.

co, quàm cupiditatis ac sensualitatis suæ amico. Quamobrē falsam religionem, quæ aliàs nomine generali appellatur infidelitas, licèt conferre a *Beastiæ* cuidā, *quasi pardo, quam vidit Daniel ascendentē de mari, habentem alas quatuor quasi auis, & quatuor capita: cui data est magna potestas* in terra: Hoc enim inferni monstrum non nisi bestiæ nomine dignum est, siquidem non ratione ducitur, sed bestias in suis moribus imitatur, præcipuè verò pardum ob crudelissima eius in filios veræ Ecclesiæ viscera : qui non cessat eos persequi, vt quatuor sua capita cōseruet, quæ sūt quatuor prædictæ sectę: quibus quatuor alas auis coniungit, falsas scil. apprehensiones & cogitationes errantes, quibus oēs illæ innituntur. Ex quo fit, vt per totum corpus innumeras habeat peccatorum maculas, sicut ipse pardus, adeò profundè infixas, vt dixerit Ieremias: b *si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum.* Et quemadmodū inter Æthiopes nō censetur nigredo turpis esse aut fœda, nec inter pardos pellis maculata: ita hi miseri non existimant peccata quæcunque falsa illorum religio permittit: nam tanquam cæci & à proprio iudicio decepti, eam iudicant esse veram.

a Daniel. 7.6.

b Ierem. 13.23.

2.

QVID autem significat, quòd hæc c *bestia ascendat de mari*? nisi quòd execrabiles huiusmodi Sectæ originē suā ducant ab hominibus superbis, carnalibus, cupidis, ac furiosis: de quibus Isaias: d *impii quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: sed procellis ac tempestatibus perpetuò agitatur, cuius proprietates his pulchris similitudinib⁹ S. Iudas Thadæus depingit: *hi sunt*, inquit, e *nubes sine aqua, quæ à ventis* in varias partes *circumferuntur*: quia arrogant sibi sanctitatē & scientiā, cùm vera sapientia careant, qui f *fluctuantes, omni vento doctrinæ circumferuntur*, quæ ipsorū votis arrideat. *Arbores autūnales, infructuosæ, bis mortuæ, & eradicatæ*: quia verborū tantùm folia habētes, nullū bonorum operum fructū afferunt; nec vitā fidei habent, nec charitatis: quas illis abstulit Sathanas. Sunt etiam *fluctus feri maris*; semper enim amari sunt, inquieti, inflati, ac furiosi, eructantes spumas errorum, ambitionum, carnisque voluptatum: quorum finis erit æterna confusio. Sunt denique *sidera errantia*. ita scilicet instabiles, vt non possint, qui in hoc mundi pelago nauigant, ab illis dirigi, nisi velint naufragium omninò facere, & in profundum inferni descendere: non peruenientes ad terram, firmumq; paradisi portum. Et nihilominùs non defuerunt, qui illos in huius mundi nauigatione tanquam firmam & polarem stellam, vitæque suæ duces acceperint: eò quòd iustis suis iudiciis DEVS magnam *huic bestiæ potestatem dederit*; permittens ei, vt pardi velocitate, quatuorque suis alis per maximam mundi partem volet, innumerosque homines decipiat.

c Dan. 7.3.

d Isai. 57. 20.

e Epist. Canoni. 12.

f Ephe. 4. 14.

QVORVM extrema miseria est, quòd etsi multi eorum quærerent cer-

3

tam

tam securamq; salutis suæ veritatem: quam cùm facile inuenire possent, et tam præsentem non agnoscunt: quòd inflato, superboque animo eam quærunt. Quamobrem comprehendent illos tremendæ illę Dei minæ per Prophetam Amos prolatæ: g *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbũ Domini. Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientẽ: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. In die illa deficient Virgines pulchræ, & adolescentes in siti. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: viuit* Deus *tuus Dan: & viuit via Bersabee, & cadent, & non resurgent vltrà.* Quibus verbis magis proprijs, & ad rem explicari potuit infœlix status Iudæorum, & Hæreticorum; tàm antiquorum, quàm modernorum? qui esuriunt & sitiunt veritates, quas Deus reuelauit? & cùm habeant Scripturas diuinas, in quibus eas inuenire poterant, non tamen inueniunt: eò quòd non humili & subiecto animo eas quærant: sed adorent idolum Dan, quod iudicium significat: eò quòd proprio suo iudicio falso, superbo & cæco; non diuino, vero, certo, ac securo innitantur, quemadmodum Ecclesiæ nostræ Catholicæ est reuelatum. Tunc, (ait Sanctus Hieronymus) Dominus mittet famem in terrã super eos, qui terrena sapiunt; & famem non panis, sitimque non aquæ, sed audiendi verbum Domini: quando propter peccata eorum doctrina deficit vera; & à mari vsque ad mare, id est, à falsis, & amarissimis fluctibus, vsque ad amarum mare perueniũt: non occurrentes fluminibus, nõ dulcissimis & varijs fontibus veræ & Catholicæ doctrinæ, & ab Aquilone, qui est ventus durissimus, vsque ad Orientem peruenire cupientes, ab hæresi scilicet ad veritatis lucem, quam reperire non poterunt: quia non recto pergunt itinere, sed deuijs circumeunt callibus; viamque regiam non tenentes fidei, quam Deus Ecclesiæ suæ reuelauit, curuis ducuntur anfractibus. Quamabrem deficient animæ virginales, quas incorruptas Apostolus nominat; deficient inquam Virgines: quia vebum Domini non inuenient. deficientibus autem virginibus, & adolescentes deficient, qui prius vicerant mundum, & quicquid in eo erat calcauerant. Ex quo, inquit, intelligimus, quando doctrina veraq; fides non fuerit, perire pudicitiam, castitatem mori, omnes obire virtutes: quia non comedunt verbum Domini, quod qui comederit, eius cibo saginatur, & audiet per Salomonem, iustus comedens saturat animam suã; animæ autẽ impiorum semper esurient. Hæc S. Hierony. quæ reipsa in Septentrionalibus partibus experimur, quæ fidem Catholicam deserentes ab Ecclesia se separarunt profanantes diuinarum Scripturarum mensã, suis falsis interpretationibus. Quo nomine, teste S. Thoma, sũt reliquis infidelibus deteriores, quorum miseria & calamitas adeò excreuit, vt flebile

3.

g Amos 8.

In Amo. 8.

h *Psal.*73.9 bile illud Hebræorum canticum dicere de eis liceat: h *signa nostra non vidimus, iam non est Propheta: & nos non cognoscet amplius.* nostra enim signa, veræ scilicet Ecclesiæ Christi, veræque religionis & Christianitatis, quæ apud nos esse solebant, iam euanuerunt. Non sunt exercitia virtutum, non opera Charitatis, non libri pij, non imagines, nec Sanctorum reliquiæ, nec ornamenta sacra: non sunt Religiosi, non Prophetæ aut veri Magistri, qui veritatem ita purè, quemadmodum antiqui solebant, prædicét; videtur Deus nescire nos, & tanquam extraneos tractare, permittens deesse nobis portionem & alimentum panis, quem nobis largiri solebat.

4. QVOD si de his infelicibus propria desunt signa veræ fidei, & Ecclesiæ
i *Apoc.*13.17 Christi: quæ alia signa habebunt, aut i *characterem*, nisi Dæmonis, eiusque Antichristi? opera scilicet affectusque prædictos, ex quibus tamen omnibus diuina vocatio admirabiles deducit rationes, quas illustrationibus suis manifestat hominibus, vt execrandas adeò sectas fugiant. si enim arbor, ex fructibus cognoscitur; & hi adeò sunt mali: quàm erit mala arbor, quæ illos producit: quomodo possunt esse Dei congregationes illæ, habentes Pardorum viscera adeò crudelia; & varietates, maculasque adeò detestandas? quomodo è cœlo venire possunt Sectæ legesque tot erroribus & peccatis plenæ? siquidem inde non nisi veritates, virtutesq; descendunt? quod si ex mari turbato ascendunt: quomodo possunt fructus esse Christi, Regis pacifici; aut ab Spiritu sancto procedere, qui mitis est sicut columba? quòd si multa habent capita sibi contraria, quomodo possunt esse à Deo: qui vnicus tantum est, nec potest sibi ipsi esse contrarius? nec vna veritas aut virtus potest alteri esse contraria? Quòd si continuò mutantur, nullam soliditatem & firmitatem habentes: quomodo erunt reuelatæ à prima veritate, quæ infallibilis & immutabilis est?

5. O QVAM hinc apparet, solam Ecclesiam nostram & fidem, quam illa profitetur, esse veram! siquidem non habet viscera illa Pardorum, sed mansuetæ columbæ absque felle amaritudinis; non habet spiritum vltionis, sed humilitatis & mansuetudinis; non est monstrum multorum capitum: quia vnicum tantum agnoscit: ideoque k *vna est columba*, quemadmodum eius Sponsus est vnicus; nec residet iuxta aquas salsas salsi maris,
k *Cant.*6.8 sed l *residet iuxta fluenta plenissima*, dulcium & Chrystallianarum aquarum,
l *Can.* 5. 12 quæ sunt Scripturæ diuinæ, in quas purosac simplices *oculos suos* defigit, & eisdem seipsam *lauat tanquam lacte*, non terreno sed cœlesti, fluente ex pectore sponsi eius diuini: cuius doctrina clara est, dulcis, pura, ac nitida. Sed quid dicam de sublimibus ac generosis eius cogitationibus, quas Dauid m *pennas columbæ deargentatas* appellat? non argento falso, aut cum stanno mixto; sed præstantissimo & purificatissimo: de quo idem Dauid dixit: n *elo-*
m *Psal.* 67. 14.
n *Psal.* 11.7

quia

quia Domini eloquia esse casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, ita vt nullam omninò falsitatem aut malitiam admittat. Hæ autem pennæ nascuntur Ecclesiæ dormienti, hoc est requiescenti, *inter medios Cleros*, siue inter duas sortes, quæ teste Sancto Augustino, duo testamenta significant, Antiquum & Nouum; meditans enim vtriusque veritates, ex conformitate, qua sibi correspondent, nouum lumen haurit, quo solidatur ampliùs, securiorque fit in ijs, quæ Deus de suis mysterijs reuelauit. Sed quid hæc columba hisce suis pennis facit? non sine causa ait idem Sanctus: etiamsi columba sit adeò mansueta, pectus tamen roburque habet ad nidum suum, oua, & pullos defendendos; rostro alisque eum feriendo, & vulnerando, qui accedit, vt auferat. Nam & ipsa Ecclesia absq; suæ mansuetudinis detrimento, sanctum habet Zelum, vt fidem suam, & religionem; & ea quę ad eam spectant, defendat ab hostibus inuadentibus. Sed quibus quæso armis aut hostes offendit, aut sese ab eis defendit? num corporeis? his ait S. Thomas nunquam Ecclesia vtitur, nisi aliquando aduersus infideles, qui per tyrannidem impediunt prædicationem Euangelij; aut contra hæreticos, qui à gremio in quo fuerant educati, impudenter se subducunt. Sed eius præcipua arma sunt sicut columbæ, rostro scilicet pennisque deargentatis suorum verborum, & rationum efficacium, quas deducit partim ex ipsa naturali ratione, & ijs, quæ in mundo euenerunt; partim ex Scripturis diuinis, eodem spiritu Dei, quo scriptæ fuerunt, intellectis: quarum rationum aliquas in proximo capite afferemus.

S. August.

Ibidem. tract. 7 in epist. S. Ioan. ad finem.

2. q. 10. a. 8.

CAPVT IX.

PRAECIPVI FIDEI CATHOLICAE fructus, ex quibus eius veritas deprehenditur.

Ecclesiæ Sanctæ Doctores, tanquam diuinæ vocationis instrumenta, multas rationes adducere solent, ad sanctæ nostræ Fidei veritatem & excellentiam comprobandam. In quem finem adducunt *miracula*, quæ ad id comprobandum tum plurima edita sunt, tum quotidie fiunt; *prophetias* rerum futurarum, quæ rectè euenerunt, quotidieque eueniunt; quemadmodum fuerunt prædictæ: *conformitatem* vtriusque Testamenti Noui & Antiqui, in quibus magno concentu veritas respondet vmbræ; & figura rei, quam repræsentat; sublimem diuinæ Sapientiæ ideam ac *dispositionem* cir-

Motiua fidei.

C.7.§.4. ca ipsius Ecclesiæ fabricam in decem signis, quæ ad eam cognoscendam suprà retulimus. Sed has rationes prudens prætereo, remittens lectorem ad alios libros, in quibus ex instituto & fusiùs illæ traduntur. Meum enim institutum hic non tàm est rationibus infideles conuincere, quàm agere de vocationibus, quæ pertinent ad fideles: vt aliquam illis consolationem afferam, animumque ad fidele obsequium addam eius Domini, qui ipsos ad fœlicem hunc statum vocauit. In quem finem breuiter afferam admirandos arboris fidei Catholicæ fructus, quibus facilè potest illa cognosci: vt eam pro dignitate æstimantes, in ea confirmemur, excitemurque, & spiritum resumamus, ad exequenda quæ nobis commendat.

§. 1. *Fructus Fidei.*

Mutatio mira peccatoris. 1. PRÆCIPVVS fidei ac religionis Christianæ fructus est, quod tantam puritatem & sanctitatem in mundo seminauerit, vt sufficiens sit, infallibilis eius veritatis testimonium. Nam primum, ipsa fecit, facitque indies stupendam adeò in hominum cordibus mutationem; vt certum reddant testimonium, quòd ea sit a *mutatio dexteræ excelsi*: qui solâ suâ omnipotentiâ eam efficere potuit. Dic enim mihi, quid voluerit Isaias significare, cùm prædixit fore, vt in diebus Messiæ, b *habitet lupus cum agno: & pardus cum hædo accubet: Vitulus & leo, & ouis simul morentur, & puer paruulus minet eos. Vitulus & vrsus pascantur: simul requiescant catuli eorum, & leo quasi bos comedat paleas*? Si hanc mutationem, vt in ipsa litteræ cortice sonat, vidisses, dixisses procul dubiò DEVM esse eius auctorem: alterius enim, quàm ipsius potentiam, id efficere non potuisse. Agnosce itaque non minùs esso prodigiosam spiritualis hominis mutationem, quos hæc animalia significant: in qua apertè manifestatur ipsius Dei potentia, religionisque Christianæ excellentia: quæ mutat cicuratque corda, quæ sua natura ad crudelitatem *pardorum* inclinant, & ad *luporum* voracitatem, ad astutiam *vrsorum*, *leonumque* superbiam: efficitque, vt sese demittant, facilesque præbeant in agendo cum vilioribus & abiectioribus huius mundi; induentes conditionem mansuetarum ouium & agnorum; & qui delicatioribus cibis assueuerant consuetudinem illam mutant, & crassissimis sunt contenti; qui consueuerant alijs imperare, subijciunt sese, & paruo pastori se dedunt, à quo Christi nomine gubernentur. O mutatio verè dexteræ excelsi! certum signum, certusque character veritatis & sanctitatis fidei ac religionis, in qua illa fit. Hæc (ait Cassianus) prodigia sunt, ad quorum considerationem inuitat nos Dauid, dicens: c *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super*

a *Psa.* 76. 11.

b *Isai.* 11. 6. & c. 65. 25.

Coll. 12. c. 12.

c *Psal.* 45. 9.

terram:

terram : quæ in primæua Ecclesia maximè eluxerunt: sed & quotidie eadem efficit Deus N. in Religiosis statibus, in momento commutando corda superba in humilia; delicata in pœnitentia; furiosa in tolerantia, & patientia.

2. *Lib. de vtilitate credendi c. 7.*

Confirmat hoc, & eleganter declarat Sanctus Augustinus, dicens: fidem Christianam mutasse hominum mores in sex rebus adeò præclaris, vt humanas vires excedant, solisque diuinis obtineri possint: fides enim veram solius vnius Dei *adorationem* cultumque plantauit, repellens idololatriam in maxima mundi parte; eadem *continentiam* siue temperantiam induxit, vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ; & non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia, quod faciunt Anachoretæ; & *castitatem* adeò puram, vt etiam Matrimonia & quascunque alias carnis voluptates reijciat, quod faciunt Virginum exercitus: *patientiam* adeò inuictam, vt nec timeat cruces, necignes, quemadmodum resplenduit in Martyribus; *liberalitatem* adeò magnificam & profusam, vt patrimonia pauperibus distribuat, quod faciunt Religiosi; ac denique induxit totius huius mundi *aspernationem* adeò liberam & generosam, vt vsque ad desiderium mortis intendatur, vt peruenire possit ad fruendum Deo; quod faciunt contemplatiui. pauci quidem, inquit, hæc faciunt, sed faciunt tamen aliqui, quod sufficiens est testimonium, vt omnes audiant, credant, approbentque Christianæ fidei excellentiam? ex qua talis mutatio procedit, quæ non potest ab alio esse, quam à Deo: ac proinde ab eodem prouenit fides, per quam illa mutatio fit.

Sex morum mutationes

Qvid verò dicemus de reformatione, quam eadem fides viua efficit in omnibus statibus? Hæc, ait idem Sanctus Augustinus, peccatores sanat, ignorantes illuminat, curat ægrotos, docet fideles, pœnitentes reparat, Iustos reddit feruentiores, coronat Martyres, conseruat Virgines, coniugatos castificat, reformat Ecclesiasticos, Sacerdotes consecrat, præparat regna cœlestia, æternamque hæreditatem in Angelorum societate communicat. Per hanc Reges fœliciter regnant, Legislatores sanctas condunt leges, iustè Iudices iudicant, cæterique minnistri cum puritate sua obeunt munia, militibus cæterisque hominibus salutares præscribit regulas, & consilia; præbens eisdem ad ea explenda auxilium. Cuius rei testes sunt clarissimi Sancti, quos in singulis statibus produxit. Nam Fides est sicut d *granum Sinapis*, specie quidem *paruum*, sed magnum efficacia; cuius *rami* in vniuersum orbem se extenderunt: *aueſque Cœli veniunt & habitant in eis*. in singulis enim statibus inuenire est homines cœlestes, atque diuinos, qui Angelorum instar à terrenis sese eleuant, suamque vitam in Contemplatione fundant

3. *Serm. 10. de verb. Apost.*

Reformatio omnium statuum.

d *Matt. 13 b.*

nysteriorum, quæ fides reuelat; & in operibus ac virtutibus exequendis, quas illa commendat.

4 SED quid si tu ipse veritatis huius testis esse possis; cum magna procul dubio tua consolatione id profitereris, si manus operi admoueres ad exequendum, quæ præcipit ipsa fides. Sic enim ipse Dominus dixit quibusdam eam calumniantibus; e *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere: cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Id nobis teste Sancto Chrysostomo, insinuans: quod qui statuit ac decreuit implere quicquid DEVS mandat, ab eo tandem illustrabitur, vt magnam habeat certitudinem veritatum, quas ipse reuelauit: Quod si alicuius eorum, quæ DEVS in te effecit, habes experimentum: ex eo conijcere licebit veritatem reliquorum, quæ dixit. Conijce oculos in octo illas heroicas virtutes, quas ipse CHRISTVS Dominus Noster f *beatitudines* appellauit, promittens illis ingentia præmia: & deprehendes, aliquam experientiam eius, quod illa præmia in se continent, effeciſſe ipsa promissa credibilia, ac reddidisse ipsas virtutes iucundas & amabiles; & sic confirmasse fidem, ex qua omnes nascuntur. Nec gratis in prima & vltima beatitudine, vtpotè difficilioribus & acrioribus, præmium ponitur de præsenti: cùm in reliquis promittatur in futurum, vt intelligas, solere Christum Dominum Nostrum talem initio oblectationem præbere; vt facilè inducat ad credendum, quod promittit. postea quoque eandem auget oblectationem, vt firmius credatur, ac possideatur.

3. NVNQVID g *abbreuiata est manus Domini*, vt eius auxilio non possint, qui nunc sunt, idem præstare, quod maiores & Antiqui? eandemque certitudinem fidei habere, quam illi habuerunt? Si h *Abraham* (vt Apostolus perpēdit) *fide exiuit* ex Vr siue igne Chaldæorum, *nesciens quò iret: filiumque suum vnigenitum* offerre voluit, *arbitratus quia & à mortuis suscitare potens est* Deus, vt suas promissiones impleret: etiam nunc multi fide exeunt ex igne cupiditatum, qui ardet in mundo; filiumque suum primogenitū proprium scilicet iudicium sacrificant: abnegando illud, vt credant, quod dicit Deus: sperantes se visuros, quod ille promittit. Et si *Moyses fide reliquit AEgyptum non veritus animositatem Regis, inuisibilem tanquam videns sustinens, maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorum, improperium Christi*: plurimi nunc relinquunt hunc mundum, non veriti furorem Principis eius Sathanæ: quia oculis fidei respiciunt inuisibilem DEVM maiori certitudine, quàm si corporis oculis eundem cernerent: pluris æstimantes, participes esse crucis CHRISTI, quàm omnes terræ thesauros possidere. *Vide*, antiqui Sancti *vicerunt Regna, adepti sunt promissiones, obturauerunt ora leonum, extin-*

xerunt

c *Ioan.* 7.17

Matt. 5. 3.

g *Isai.* 59. 1.
h *Hebr.* 11. 11. 17.

xerunt impetum ignis, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, aliaque prodigiosa opera perfecerunt : Eadem verò præstiterunt multi sancti in Nouo Testamento, & alia multò maiora. i *Fide* enim (quemadmodum ipse Saluator promiserat) *Dæmonia* ex corporibus *eiiciebant, variis linguis loquebantur, serpentes tollebant, & cum mortiferum quid biberent, eis non nocebat, super ægrotos imponebãt manus, & benè habebant*; & si opus erat, k *dicebant monti transi hinc illuc & transibat*: & *iacta te in mare, & fiebat*, nihil enim est impossibile, sed m *omnia possibilia sunt credenti* : & hucusque) ait S. Bernardus) multi hæc prodigia faciunt, si non semper, vt in cortice sonant; saltem sicut significant in spiritu. Nec propterea minus prodigiosa censentur: siquidem absque vlla comparatione hæc sunt meliora, nostrasque vires superant, ac testimonia sunt certissimæ fidei, quæ illorum est causa : *dæmones* enim sunt leones; *cupiditates*, flammæ; *persecutiones*, bella; *peccata*, serpentes; *diabolicæ suggestiones*, venenum mortiferum; & ipsæ *passiones*, sunt infirmitates. Omnia autem hæc vincit n *fides, quæ per charitãtem operatur*. Estque sufficiens testimonium, quod sit DEVS, qui talia per illam facit.

i *Marc.* 16. 17.

k *Matth.* 7. 10. c. 21 21.

m *Mar.* 9. 3. *Serm.* 1. *de Ascens.*

n *Gala.* 5. 6.

IMO & ipsamet fides sufficiens sibi dat testimonium. quis enim diuinitatis sublimitatẽ, & humanitatis vilitatẽ sapientibus hominibus, potentibus, prudentibus, ac diuitibus, persuadere potuisset? & vt virtutes tam arduas ac difficiles adeò firmiter amplecterentur; vt non dubitarent vitam ipsam, in earum defensione amittere, omniaque terrena conculcare ; vt easdem sequerentur? Mundus est hodie plenus Cherubinis & Seraphinis, illis similibus, quos vidit Isaias, qui etsi doctissimi, & maximi in mundo sint, alis tamen suis o *velant faciem & pedes Dei*: venerantes cùm summissione maxima quod altissimum & infimum est in mysterijs, quæ ipsi non assequuntur; clara voce confitentes, illa esse verissima : imò ex hoc ipso plurimum in fide confirmantur. Ad naturam enim Dei (si verus DEVS est) spectat, vt nulla creatura possit eam totam, & quicquid illa potest, eiusque prouidentiam, & opera penetrare & comprehendere : Adeò, vt eo ipso quod aliquis ea comprehenderet, iam non esset Deus, quia finitus esset, & aliquo termino circumscriptus.

6.

o *Isa.* 6. 2.

CONFER denique perfectos Ecclesiæ viros, quibus DEVS eius dilationem commisit, cum Auctoribus siue Promotoribus Sectarum ei aduersarum, quorum mores supra retulimus : & ipsi sufficiens dabunt testimonium veritatis fidei, quam ipsi tenent ac docent. Hi enim Apostolici viri, contrà quàm Hæretici sunt nubes aqua cœlestis sapientiæ plenæ, ad irrorandos peccatores terræ; sunt arbores non bis mortuæ, sed bis viuæ, duplici vita heroicæ fidei & accensæ charitatis; nec sunt cõtenti folijs verborum, sed fructus proferunt Sanctorum operum; non sunt mare ferum & turba-

7. c. 8 §. 2.

tum, sed tranquillum & quasi lacteum ob scientiæ vitæque sanctitatis abunndantiam. Quod si feruent interdum, is est feruor spiritus; & si spumant, id faciunt sancta quadam indignatione aduersus ipsa peccata. Ac denique non sunt sidera errantia, sed firmiter fixa; permanentes semper in lumine suo: & sunt tanquam polus ad aliorum directionem, ob insigne vitæ ac doctrinæ exemplum. p *Qui enim docti sunt* (dixit Angelus Daneli) *fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos: quasi stellæ in perpetuas æternitates*: Ex quibus constituitur q *corona stellarum duodecim*; quam habet Ecclesia in capite suo, ob continuas victorias quas per eos continuè obtinet.

p *Dan.* 12.3

q *Apoc.* 12.2

§. 2 *Qua ratione fides prædictos fructus producat.*

NE quis tamen decipiatur, existimans, solam fidem, quæ in intellectu est, hos fructus producere: operæ pretium erit rationem indagare, qua id faciat. Præmittendum est autem: a *quoniam Dei perfecta sunt opera*; & cum aliquid incipit, cupit illud omnem sibi debitam perfectionem habere: ideò vocatio, qua fidem Catholicam nobis inspirat, eò tendit, vt eam non solam, sed cum cæteris etiam virtutibus cordi nostro inserat; & nominatim illam, de qua Apostolus, quod b *fides per charitatem operetur*; c *Christumque habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicatis & fundatis.* Potuisset quidem Apostolus commutatis verbis dicere, Christum habitare in cordibus nostris per Charitatem in fide radicatis & fundatis; quia vtraque hæc virtus est spiritualis ædificij fundamentum, & radix: vnde spiritus fructus procedunt, altera alteram adiuuante, vt illi producantur; siquidem fides non sufficeret sine charitate; nec posset charitas esse absque fide. Quemadmodum intellectus & voluntas sunt radix & origo operum, quæ sunt hominum propria. Intellectus enim dirigit voluntatem in ijs, quæ velle debet: voluntas verò mouet, ipsumque intellectum ad id applicat, quod cognoscere oportet. Sic inquam fides quæ Iustorum intellectum perficit, Charitatem dirigit in ijs, quæ debet diligere; Charitas verò quæ perficit voluntatem, fidem ipsam excitat ad ea, quæ sunt credenda: & vtraque simul tanquam duæ sorores coniunctæ admirandos proferunt fructus in omni genere virtutum, insignesque victorias consequuntur, ad gloriam Domini, qui dixit; d *ascendam in palmam & apprehendam fructus eius*: quæ autem hæc est palma, in quam ascendent qui CHRISTVM sequuntur, nisi fides cum Charitate coniuncta? per quam, vt ait Sanctus Ioannes, e *mundum vincunt & victoriam consequuntur.* vtriquè autem competit palmarum proprietas, de quibus Plinius, quod sit inter illas mas & fœmina; quas vt fructus proferant, oportet adeò prope se

a *Deu.* 32.4

b *Gala.* 5. 6

c *Ephe.* 3.17

Fides charitate formata.

d *Cant.* 7.8.

e *S. Ioa.* 5.4. *Lib.* 14 *c.* 4. *Pierius lib.* 5. *verbo Nuptiæ.*

inui-

inuicem esse plantatas, vt vtrinque radices se inuicem complectantur. Ita ergo necesse est, fidem & charitatem sese mutuò complecti, esseque coniunctas ad fructum proferendum. Apostolus autem hos fructus, fidei tribuit, quatenus illa prima est, quæ docet quid sit faciendum, & ad illud inclinat, semperque inter reliquas virtutes quasi clamitat, easque in proprijs actionibus comitatur: fides enim per Charitatem diligit, obedit per obedientiam, per patientiam tolerat, demittit se per humilitatem, aggreditur per fortitudinem; & quod habet, largitur per liberalitatem. Et hoc est quod dicitur f *Iustum ex fide viuere*. Illa enim ipsum dirigit in omnibus, quæ facit, accedēte simul Charitate, vt plenam perfectionem obtineat. Quare, si proficere in diuino Spiritu cupis, necesse est in vtramque hanc palmam fidem & Charitatem oculos conijcere, easque in anima tua ita connectere, vt fructus dulces ex eis colligere valeas. siquidem non sine causa in templo, quod vidit Ezechiel, multæ erant Cherubinorum figuræ cum duplici g *facie, altera hominis, altera leonis: faciem hominis iuxta palmam ex hac parte. & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte*: ad significandū, quòd oporteat, iussu duplicē suam faciem siue potētiam, intellectum & voluntatem cum duplici palma, fide & Charitate, coniungere, eas inter se & secum ipse vniendo: vt viuū fiat Ecclesiæ membrum, fructusque æterna vita dignos proferat. Ex his palmis tres præcipuos fructus colliges, tres sc. externas Fidei protestationes, & cōfessiones. Prima fit *verbo*: de qua Apostolus: h *Fide creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*. vt fides, quæ in corde latet, magna libertate manifestetur lingua, quando id est necessarium ad gloriā Dei, eiusq; Ecclesiæ, aut ad salutem animarum nostrarū, aut ad proximorum vtilitatem. Quamuis enim hęc verba non fructus esse videantur, sed folia: sunt tamē folia fructuosa, quemadmodū i *folia ligni vitæ*, quæ conducunt *ad sanitatem gentium*, & ad pugnandum contra dæmones. Nam quemadmodum palmarum folia (vt ait quidam) figuram habent gladij, ita verba fidei, gladij sunt spiritus ad pugnandum, & victoriam de nostris hostibus reportandā. Quā ob causam suadent SS. Patres, frequenter proferre symbolū Apostolorum, & reliqua Ecclesiæ symbola, attentiùs perpendentes mysteria & verba quę in illis cōtinentur; propterea.n. repetit illa Ecclesia quotidiè in horis Canonicis, & frequenter in sacro Missæ. S. Ambrosius suadet recitari symbolū quotidiè mane, & quando in aliquo timore, aut periculo nos videmus constitutos. S. August. & Hieronymus hortantur, vt repetamus, antequam incumbamus, & antequam ad externas occupationes prodamus: & vt cordis nostri tabulis infigamus. Et propterea fortasse SS. Apostoli non illud nobis scriptum reliquerunt, sed per traditionem, & verbo; vt nos docerent, oportere illud sculptum in anima & in ore gestare, tanquam nostræ religionis signum;

f *Hab. 2. 4. Rom. 1. 17.*

g *Ezec 41. 18.*

Tres fidei fructus.

h *Rō. 10. 10.*

Professio fidei.

i *Apoc. 21 2. Hugo Card. in Psal. 19 V de Virgā in c. 7. Apoc Sectio. 9.*

Lib. 3. de Virgin S. Aug. lib. 1 de symbolo ad Catech. c. 1. S. Hier. epist 61 ad Pammach.

& su-

& supra ipsum cor ponere, tanquam scutum contra omnes hostium tentationes, iuxta Apostoli adhortationem dicentis: vt k *in omnibus sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et ideò consueuimus in periculis mortis illud proferre symbolum, vt ea euadamus. Denique confessio hæc adeò debet esse animæ nostræ insculpta, vt parati simus vitam ipsam, quemadmodum Martyres, perdere potiùs, quàm in aliqua eius confessionis parte deficere. Quod quia arduum est, instituit Christus D. N. confirmationis Sacramentum: quo speciale ad id auxilium nobis præberet, vt suo loco videbimus.

k *Eph.* 6. 16.

2. *Oratio.*

Hvic fidei confessioni altera est coniungenda, quæ Orationem comitatur: Nam eo ipso, quòd oramus, aut aliquid à Deo petimus, confitemur fidem eius Diuinitatis, Sapientiam, Omnipotentiam, ac Bonitatem Domini, à quo petimus: & eadē viua Fide illud impetramus. Oratio enim eius quę efficacitas, ad obtinendū q̄ petimus, est fructus fidei præstantissimus: quē admodū perpendit S. Augustinus his verbis: *Si Fides deficit, Oratio perit. Quis enim orat, quod non credit?* vnde & B. Apostolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait: l *Omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Et, vt ostenderet, Fidem fontem esse orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccatur, adiunxit atque ait: *Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ergò, vt oremus, crēdamus: Hæc S. Augustinus. Quare omnia Encomia & magnalia, quæ sancti tribuunt orationi; & quæcumque gloriosa ac prodigiosa illa obtinet, omnia sunt fidei ac fiduciæ fructus, ita vt etiam ipsa Charitas, qua fides operatur, & à qua perfectam suam vitam accipit, hoc nomine censenda sit fructus eius: quemadmodum idem Augustinus insinuat, cùm ait; hæc fides est m *regnum Dei*, quod *intra nos est*: hanc rapiunt violenti credentes, & impetrantes spiritum Charitatis, quæ est n *plenitudo legis.* Violentiâ enim (ait) fidei, Spiritus S. impetratur: cuius o *Charitas diffusa est in cordibus nostris.* Sed quid non obtineat fides, cùm Christus D. N. petenti sanitatem filio suo, habenti surdum & mutum spiritum dixerit: p *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti?* Omnia, (inquit S. Hieronymus) quæ ad animæ sanitatem spectant, fructus sunt & effectus fidei petentis illa in oratione, & nomine Saluatoris. & hanc ob causam idem ipse Saluator miracula sua sæpè tribuebat Fidei ea petentium, dicens eis: q *Fides tua te saluum fecit*, ab ea enim tanquam à radice fructus iste processit.

Serm. 36. de Verb. Domini.

l *Rom.* 10. 13.

Lib. de Fide & oper. c. 21.

m *Luc.* 17. 21.

n *Rom.* 13. 10.

o *Rom* 5. 5.

p *Marc* 9. 22.

Ibid.

q *Luc.* 18. 42. *&c.* 7. 50.

3. *Bona opera.*

DENIQVE alia est Fidei confessio, quæ externa propria Christianismi opera comitatur, quæ humanam rationem superant, qualia sunt, peccata confiteri, communicare, iniurias tolerare, & eas inferentibus dimittere, & similia: his enim profitemur fidem, quæ nos ad ea præstanda permouet. & vniuersim, quemadmodū peccatores r *factis negant DEVM*, ita Iusti factis

r *Tit.* 1. 16.

suis

suis eundem confitentur: mala euitantes, bona verò propter eius amorem perficientes. Ac propterea S. Thomas fidei effectus reducit ad duos, timorem scilicet Dei, & cordis puritatem. Ille enim & ad timorē, & ad reuerentiam diuinæ Maiestatis nos inducit; & absterret ab offensione eius bonitatis, ne in eius Iustitiæ manus incidamus. Eadem quoque fides (vt sanctus Petrus dixit) *s purificat corda*, reiiciendo ab eis affectiones terrenas, quibus maculantur; eleuando verò illa ad rerum cœlestium amorem, quo purificantur & nobilitantur. Et hic modus fidei profitendæ est maximè necessarius; quo virtus huius arboris non solum ex foliis, sed multò ampliùs ex huiusmodi fructibus deprehenditur: sine quibus (vt ait sanctus Iacobus) t *Fides mortua est in semetipsa*: quemadmodum verè est mortua in illis Christianis, qui ob lethale aliquot peccatum, gratiæ & charitatis vitam amiserunt. Ex quo prouenit necessitas vocationis ad hanc vitam reparandam, de qua in sequentibus capitibus agetur.

2. 2. q. 7. a. 1. & 2.

s Act. 15. 9.

t Iaco. 2. 17.

CAPVT X.

DE VOCATIONE AD OBTINENDVM ET REparandum statum gratiæ peccatores iustificantis, & ad mirandis quæ in se continet commodis.

CVM præclara omnia, quæ de Ecclesia Fideque Catholica sunt dicta, eò tendant, vt Christiani, Iusti sint ac Dei amici: nulla est glorioſior, maioriſque momenti Vocatio, illa, quæ immediatè eos permouet, ad hanc gratiam, & cum Deo amicitiam procreandam. Et quoniam eius præstantia nulla alia via commodius intelligi potest, quàm si præclarissima bona, quæ in se continet, aperiantur: aduertendum est, quod (quemadmodum S. Augustinus dixit) quamuis creare cœlum & terram opus fuerit grande; maius tamen sit, ex peccatore facere Iustum. Nam creationi nulla creatura resistit; Vocationi autem ad iustificationem potest resistere peccator, cuius voluntatem solus Deus mutare potest; & efficere, vt non resistat, sed acquiescat: & tunc (vt ait S. Thomas) eleuat illum ad bonum quoddam supernaturale, quod sine vlla comparatione superat quicquid est cœlum & terra. Ex quo vterque hic Sanctus Doctor inferunt: quamuis gloria, quæ Iustis in cœlo redditur, sit maius bonum, quàm gratia, quæ peccatoribus datur in terra; hæc tamen hanc præ illa præstantiam habet, quòd in ea mirificè splendeat diuina misericordia, &

Tract. 12. in Ioannem.

2. 2 q. 113. a. 9

immensa eius Charitas, qua suos diligit inimicos, benefacit ingratis, offerens gratiam Vocationis & Iustificationis iis, qui eius erant indigni

QVIS autem referre poterit bonorum immensitatem, quæ in hac gratia continentur? a *per quæ* (vt S. Petrus ait) *efficimur diuinæ consortes naturæ*, & b *sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis Dei*, & Christi regnum, *maximaq; & pretiosa eius promissa* obtinemus. Quod si scire velis, quàm illa sint pretiosa, perpende bene hæc tria, in quibus reliqua continentur: quorum præstantiam & excellentiam DEVS solus comprehendit, eiusque solo lumine potest manifestari.

2. Pet. 1. 4

1. Pet 2. 9.

§. 1. *Dignitas* FILIORVM DEI.

PRIMA dignitas & excellentia, quam nobis confert gratia DEI, est excellentissima illa adoptio, de qua admirans S. Ioannes ait: a *videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt* FILII *Dei nominemur & simus*! O Apostole Sancte, qui tanquam Aquila ad Patris æterni sinum ascendisti, & b *super pectus eius in Cœna recubuisti*: aperi nobis dignitatis huius magnitudinem, quemadmodum eam ibi agnouisti: nisi enim tuos oculos habeamus; non poterimus videre quod iubes, vt videamus. Quamuis tua verba hanc magnitudinem & excellentiam valdè nobis illustrêt, cùm eam CHARITATIS nomine, quod proprium est nomen DEI, appellasti: tu enim ipse dixisti, quod c *DEVS sit CHARITAS*. Quid autem hoc sibi vult, nisi cum nomine FILIORVM, simul venire infinitam Patris Charitatem, ad habitandum cum eis, & communicandum creatæ Charitatis donum, ad similitudnem increatæ eius charitatis, cum stupendis ab ea prouenientibus effectibus? hæc enim dignitas FILIORVM DEI non est nomen tantùm, & titulus; sed res ipsa cum omnibus excellentijs ac priuilegijs, quibus gloriosa adeò nomen est dignum: vt verè ac realiter excellentias participent diuinæ naturæ, gratias que, virtutes, ac dona, quæ talis Patris filijs iurè conueniunt: idque viua adeò similitudine, vt Christus ipse Dominus Nicodemo dixerit: d *quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu spiritus est*. quasi dixerit, quemadmodum, quod per carnalem generationem ex homine nascitur, homo est; ita, quod per spiritualem generationem à DEO nascitur est DEVS: non æqualitate naturæ, sed stupenda viuaque similitudine, qua talem vitæ rationem accipit, vt diuina potius appareat, quàm humana; magisq; vita spiritus, quàm carnis. Ad ipsius enim Dei honorem, & excellentiam pertinet, vt filios generaturus illos faciat perfectissimos, patriq; suo simillimos, quo ad potest creatura sui creatoris similitudinem habere.

a 1. Ioan. 3. 1.

b Ioan. 13. 23. & c. 21. 20.

c 1. Ioan. 4. 16.

d Ioan 3. 6

QVOD si excellentias nosse velis, quæ eam dignitatem comitantur: audi orum summam, quam CHRISTVS D. N. in parabola filij prodigi

aperuit

aperuit. Qui cœlesti lumine illustratus, tantam dignitatis filij opinionem concepit, vt indignum se iudicauerit etiam eius nomine, dicens: *e non sum dignus vocari filius tuus*; sed satis magnum in me conferes beneficium, si *me feceris tanquam vnum de mercenariis tuis*. Nam qui naturę bona adeò prodigè consumpsit, nō meretur præstantissima gratię dona recipere. Sed multò amplius Pater ipse aperuit suam de hac dignitate opinionem, & æstimationem: qui tantam ostendit lætitiam & exultationem, cùm eam filio communicauit. Quamuis enim f *DEVS lætetur* (vt ait Dauid *in* omnibus *operibus suis*; multò tamen ampliùs, quando illa sunt excellentia: quale hoc est, cùm filius aliquis recens ei nascitur; aut aliquem ipse resuscitat. Quemadmodum Reges & Principes, cùm filius ipsis nascitur, magna dant signa lætitiæ, instituendis conuiuijs, adhibendis Musicis, alijsque aulicis oblectationibus; vt aulæ toti & regno ipsi magnum ex eo proueniat solatium: hoc enim etiam in cœlo fieri asseruit ipsemet noster Saluator, dicens: g *dico vobis, quod gaudium erit in cœlo coram Angelis DEI super vno peccatore pœnitentiam agente*: cò quod natus sit Deo recens filius, aut, qui mortuus erat, reuixit. Quid autem mirum, si Angeli lætentur cùm videant ipsummet Omnipotentem Deum infinitæ suæ quasi Maiestatis oblitum festinanter ad talem filium accurrere, & *cadere super collum eius*, eoque se ipsum demittere vt eum osculetur: hoc signo ostendens, quantum illum amet, & quod sibi Charitatis vnitione coniungat, magnam sentiens voluptatem, quod illum in filium suscipiat. Accurrit Deus (ait Sanctus Ambrosius) ob desiderium iustificandi peccatorem, quem vocat: nè quis redire volentem impediat, & quasi quodam patrij amoris affectu, supra collum cadit, vt iacentem erigat; & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad cœlum. Brachia extendit, vt recipiat errabundum; strictè complectitur, nè iterùm elabatur; os ori coniungit. vt splendor gratiaque faciei Dei, faciei hominis imprimatur: qua maneat homo totus splendidus. Quid autem de stola pretioso-que amictu dicemus, qui datur, vt ita se ornet, quemadmodum decet adeò nobilis parentis filium: siquidem potentes parentes honori sibi tribuunt, filios suos optimis vestibus ornatos incedere. h *cito*, inquit, *proferte stolam primam, & induite illum; & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius*. Stola prima vestis est pretiosissima primæ gratiæ, quæ propria est filiorum Dei, & operit illorum nuditatem, manetque anima pulcherrima & gratiosissima. Prima est eò quòd sit cæteris præstantior, per quam discernitur à filijs Dæmonis; accipitque inuestituram filiorum Dei viui cuius opera sunt semper perfecta. ideoque cum hac prima stola dat etiam secundam, & tertiam, & reliquas supernaturalium

e *Luc.15.19. 21.*

f *Psa.103.34*

g *Luc. 15.7. 10.*

Lib.7. in Lucam c. 15 in 3. Tom.

h *Lu.15.22*

virtutum vestes, quæ cum illa coniunctæ esse solent: quò eius filius ita splẽdide sit vestitus & ornatus, vt nihil illi desit. Ne verò huiusmodi virtutes sint otiosæ, datur in manu eius annulus, in quo est signaculum: quod (vt ait Beda) est ipsa virtus Fidei, certumque pignus, quod sit daturus omnia auxilia necessaria ad bona opera, ad quæ virtutes inclinant, exercenda. Nec tamen mysterio vacat, quòd annulus non in designatum digitum inseratur, sed datur in manum: significat enim, quemadmodum qui annulum in manu habet, potest illum modò in vnum digitum, modò in alterum pro libitu inserere: ita cœleste auxilium non dari ad vnam solùm facultatem, siue potẽtiam; aut ad solum aliquod opus: sed ad omnia quæ Iustus præstare voluerit. Datur intellectui, vt fide credat, prudentia gubernet, & sapientia contempletur; Datur Voluntati, vt Charitate diligat, Spe confidat, obedientia pareat, Iustitia reddat quod debet. Quare nunquam ex parte DEI deerit auxilium, quoties Iustus illo vti voluerit. Datur etiam calceamentum pedibus, ne defœdentur aut lædantur, si nudi incedant: recipit enim in se, dirigere ac moderari affectus, qui impellunt ad terrena; tribuens ad id virtutes, quarum munus est frœnare passiones.

In 15 c. Luc. c. 5. Rom. 6. S. Amb. sup.

4.

Quæ verò vtilitas erit, si filius vestibus satis ornatus incedat, nisi ordinaria etiam habeat alimenta? Quis verò hæc illi dabit nisi Pater, ad quem spectat & victum & amictum filio tribuere? i *Adducite*, inquit, *vitulum saginatũ, & occidite; & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Vitulum saginatũ dicunt SS. Patres esse corpus Iesu Christi Redemptoris nostri in ara crucis immolatum; quod & nunc in ara sacra immolatur, vt sit ordinarius filiorum DEI cibus, licet panis accidentibus velatus. Propterea enim appellatur panis filiorum, à cœlesti nostro Patre filiis suis concessus, vt alantur, pinguescant, & roborentur. Sed quoniam DEVS D. N. non est semper suis sacramentis alligatus: saginatus etiam vitulus significat cœlestium deliciarum abundantiam, quam illis tribuit filius, qui eius amore omnibus sensuum voluptatibus renuntiant.

i *Luc.* 15. 23

S. Amb. sup. S. Chrysost. Hom. de Patre & duobus filiis Tomo . S. Augustin. 2. de qq. Euang. ex Matth. q. 33.

5.

Nec minùs deprehenditur quanti magnus iste Pater filios suos faciat, cùm hæc omnia iubet fieri per seruos suos. Pauperes enim, homines q; cõmunes, cùm fari sunt, ipsimet sese induunt, mensam sternunt, & escas apponunt: Principes a. ac nobiles, seruos habent, qui hæc officia præstent: quãis etiam vulgares valetudinarii, & valdè debiles hoc subsidio indigeant. Hunc ergò in modum cœlestis noster Pater videns hinc extremam hominũ ebilitatem, quos vult in filios accipere; inde verò volens, nobilitatẽ, quam lis tribuit, innotescere: statuit præcipuos aulæ suæ seruos, Angelos scil. custodes, Ecclesiæq; Sacerdotes in his omnibus illis ministrare: per eos enim olã, annulũ, calceamenta, & vitulũ iubet offerri. Ne verò moras in suo mi-

nisterio

nisterio trahant, ipsemet Princeps illos vrget, dicens: *cito proferte stolã, & induite illum*: ne fortè frigeat; & nec ad momentũ quidem nudus maneat, quẽ ego in filium accipio. Huiusmodi enim animæ vestes, non exuuntur quotidie, & induuntur quemadmodum corporis: sed semper indutæ esse debent, sub pœna amittendi filiorum dignitatem: quamuis meritò quotidie essent renouandæ ac perficiendæ donec gloriæ vestis accedat.

Hæc vltima est filiorum Dei excellentia, quos Pater sub sua paterna prouidentia accipit, vt alat, gubernet, & in statu colloceț: donec ad æternam fælicitatem perueniant. Nam, vt ait Apostolus: k *si sumus filii, etiam hæredes* erimus: & non cuiuscunque hæredes sed *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*: qui frater noster est natu maior, & Patris cœlestis primogenitus: qui nos hæreditatis sue participes facit, communicans nobis immensa gloriæ suæ bona. 6.

k Rom 8. 17.

Omnibvs his excellentijs finem imponit extrema eius vilitas, cui illæ tribuuntur: dantur enim homini prodigo, qui l *deuorauit substantiam suam cum meretricibus*; factusque est dæmonis mancipiũ, porcorum custos; imò ipsis porcis despectior: quia cùm cuperet *implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, nemo* tamen *illi dabat*. O altitudo Charitatis Dei, quã te clarè manifestas, dum viles adeò abiectosque homines recipis in filios! ô Pater misericordiarum! quas tibi reddemus gratias propter plurimas, quæ in hac sola continentur: qua filios iræ: filios facis gratiæ tuæ! & filios Dæmonis, filios Dei! visque Pater esse eorum, qui Patrem habebant Sathanam; & pretiosis adeò vestibus eos exornas, qui vix laceris induebantur; & saginatis huiusmodi vitulis eis indulges, qui porcorum escas comedere cupiebant: ac denique ad cœlestem hæreditatem eos admittis, qui iam erãt ad inferna condemnati. Agnosce ô Christiane, tuæ vocationis sublimitatem: qua te (vt ait Apostolus) m *vocauit DEVS in societatem filii eius IESV Christi D. N.* ita vt societatem cum ipso habeas in nomine filij, vt possis Deum ipsum vocare Patrem; & in participatione diuitiarum gratiæ; & hæreditatis gloriæ. Quod si culpa tua insigni hac dignitate cares, da quicquid habes vt illam obtineas: & si iam habes, etiam da omnia, vt eam conserues: nec te amplius ad serui spiritũ & conditionẽ abijcias, qui, vt sis filius, es vocatus.

l Luc. 15. 30.

Abyssus misericordiæ Dei.

m 1. Cor. 1. 9.

§. 11. *Spiritualis* Desponsatio.

Sed vlteriùs adhuc pergit Vocationis & Iustificationis peccatorum sublimitas & præstantia: ad aliam enim eos extollit dignitatem adeò excelsam; vt lingua vel in ea proferenda, & cor in cogitanda contrahatur. Quis enim assequi id posset, quòd anima eousque ascendat, vt ipsiusmet Dei Sponsa efficiatur; easque diuitias & ornamenta obtineat, quæ tanti Regis Sponsam decent? ipse tamen ait: a *Sponsabo te mihi in sempiternum*: &

a Ose. 2. 19. *Tres excellentia desponsationis*

1. *Perpetuitatis.*

2. *Sanctitatis*

3. *Fidelitatis.*

spōsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus & spōsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus. Ter ait, *sponsabo te mihi*: vt significet tres diuinæ huius desponsationis excellentias. *Primam*, PERPETVITATIS, quod ADDEVM attinet: qui nunquam repellit animam, quam semel in Sponsam accepit: nisi ipsa ab hac desponsatione deficiat: *Secunda* est excellentia SANCTITATIS: non enim carnis sed spiritus desponsatio est: quæ *iustitiæ* innititur, & ipsam sponsam iustificans, sanctam reddit ac puram: & *in iudicio* sententiam pro ea dicit contra hostes, à quibus tyrannicè captiua tenebatur: *Et in misericordia & miserationibus* eandem replet omni genere bonorum, quæ à sola misericordia & charitate, eam in sponsam accipientis, proueniunt. *Tertia* excellentia est FIDELITATIS: quia desponsatio ipsa innititur viuæ fidei magnalium, & misericordiarum eius sponsi; certæque spei, quòd ille sit quicquid promisit impleturus. Ex quo talis oritur familiaritas & consuetudo, inter vtrumque talia amoris dona: vt ipsa experientia intelligat, videat, ac sentiat: me esse Dominum, qui ardenter adeò meas diligam Sponsas: & sic velim ac possim eas exornare, atque ditare.

QVOD si ipsum adeò suauem ac beneuolum modum cognoscere velis, quo diuina vocatio hanc perficiat desponsationem: audi, quid idem Dominus ciuitati Ierusalem in huius desponsationis figura dixerit, postquam plurimas, quas ex se ipsa habebat, miserias, & sanguinem peccatorum, in quibus cum periculo pereundi iacebat, retulisset: Nam non satis sibi esse existimans Sponsus, eam ex tanto periculo educere, dixit ei: b *transiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam: & iuraui tibi; & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi.* Perpende, mi frater, dulcium illorum verborum arcanum, *ecce tempus tuum, tempus amantium.* quasi diceret: vidi peruenisse iam tempus tuum, quod est tempus iucunditatis se mutuo amantium. O tempus felicissimum, in quo DEVS aspicit te, vt vocet: & accedit ad te, vt iustificet! tempus propterea verè tuum, decretum, & à misericordia diuina statutum in remedium tuarum miseriarum; in leuamen tuorum laborum: & in quo infinitis bonis sis replenda. *Omnia* (inquit Ecclesiastes) *tempus habent. tempus belli, & tempus pacis; tempus dilectionis, & tempus odii; tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Totum illud tempus, quo anima tua lethali aliquo peccato infecta iacet, est *tempus belli*: pugnat enim cum ipso Deo, & sua conscientia: Idemque est *tempus odii*: quia eius creator illam odit, & omnes operatios iniquitatis. Est denique *tempus longè fieri ab amplexibus*: quia indigna est studio & fauore sponsi, quo iusti fruuntur: quando autem audit anima vocationem diuinam; & gratiam Iusti-

b Ezec. 16. 8.

c Eccles. 3. 1. § 8.

ficatio-

ficationis acceptat; tempora mutantur, & incipit tempus *pacis*, tempus *dilectionis, & amplexuum*: init enim Devs pacem cum illa; amat tanquam filiam, & tanquam Sponsam dulciter ac iucundè amplectitur. Hoc *tempus est amantium*: Vterque enim amans, Devs & Anima, mutui amoris sibi signa præbent: Illa enim à Deo præuenta, illum incipit ex toto corde diligere; dolens de sua vita malè transacta: Devs verò nouo amoris genere diligere eam incipit, in sponsam eam accipiens: ideòque ait, aduenit tempus à mea prouidentia statutum, quo darem tibi Sponsum, qui te amaret, fauoreque prosequeretur. *Expandi amictum meum super te*, sub mea scilicet protectione te accipiens, meque in tuũ amantem, protectorem, verumq; Sponsum offerens. Et vt certa sis ac secura, quòd te nunquam deseram, nisi tu prior me deseras, *iurauit tibi* per memet ipsum; & *ingressus sum pactũ tecum*, quo tu te obligasti ad legem meam custodiendam, voluntatem meam implendam, & fidelitatem mihi in rebus omnibus seruandam, nullumque amorẽ mihi contrarium admittendum: & ego me obstrinxi ad prospiciendum tuis commodis, & fideliter explendum quod promisi: & sic *facta es mihi*, manesque mea, vera ac legitima sponsa, fide viua mihi coniuncta; factaque per Charitatem vnus spiritus cum meo. O Rex gloriæ, quid aggrederis? attende, quam accipias in sponsam, ne à tua nobilitate degeneres. Cur vis Æthiopissæ huic turpi & obscœnæ coniungi, quæ Sathanæ fuit mancipium? cuius Parentes proditores, & ipsa quoque proditrix est? Attende Domine, ne murmurent homines contra te, quemadmodum d *loquebantur contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam*, cui similem tu accipis. O ignis amoris æterni, qui nunquam cessas flammas emittere, vt quantum nos diligas manifestes! ò anima mea, si excelsum hoc beneficium agnosceres, quo te Deus insanam accipit! eius quidem es, quia te creauit; & eius es, quia te redemit: sed nunc eius es, quia te accipit in Filiam, Sororem, & sponsam. Agnosce ergò hanc dignitatem, ad quam te vocat: amplectere illam, gratamque te ei ostende, nec vnquam ab ea degeneres.

d *Num.* 12.1.

2.

Sed quis referre poterit bonorũ præstantiã, quæ cœlestis hic Sponsus animæ tradit, vt digna sit eius Sponsa? Audi, quæ ipsemet Dominus sub iucũdissimis similitudinibus refert. *Lauite* (inquit) *aqua* pœnitẽtię & lacrymarũ; *& emundaui sanguinem tuum ex te*, tua scilicet peccata; *vnxi te oleo* lætitiæ ac deuotionis; & *vestiui te discoloribus*, varijs scilicet virtutibus; & *calceaui te Iãthino* cœlestiũ affectuũ; & *cinxi te byſſo* castitati; & *indui te subtilibus*, intelligẽtia spiritualium ac subtilium rerũ; & *dedi armillas* fortitudinis in manibus tuis, & *torquem circa collũ tuum*, dem illam scilicet subiectionem legi meæ; & *circulos* obedientiæ *auribus tuis*, & *coronam decoris* & perseuerantiæ *in capite tuo*; & ornata es spiritualibus diuitijs donisque Spiritus Sancti,

comedisti

comedisti similam pretioſi mei corporis, & *mel* conſolationu diuinarum: ac de omnibus ad tuas delicias, quieteméque tuam ſpectantibus tibi proſpexi: &, *& decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum*, egregiã dignitatem accepiſti: Regis enim ſponſam, Reginam eſſe neceſſe eſt; regnumque eius etiam eſſe debet: ſiquidem inter Sponſos non fit donorum partitio: & quod eſt alterius ad alterum quoque ſpectat. e *Regnum* meum, quod *eſt iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu S.* intra te poſui, vt mecum regnes; meis fruẽs bonis, quæ tua eſſe volo. Gratias tibi Rex cœli liberaliſſime, ob dona viliſſimæ huic terræ creaturæ collata, fælices, qui cœleſtem tuam audiunt vocationem, per quam eos ad ſublimem adeò dignitatem exaltas?

e *Rom.* 14. 17.

§. 3. *Dignitas* DEVM *ſecum habendi.*

NEC DVM tamen ſiſtit immenſa magni noſtri Dei ac Domini Charitas; ſed, præter dona prædicta Sponſæ ſuæ collata, donum aliud ſupra omne donum addit, ſeipſum ſcilicet. dat enim illi, vt dicebamus, verè ac realiter ipſum fontem viuum charitatis, perſonam ſcilicet Spiritus S. iuxta illud Apoſtoli: f *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*; qui cum Patre & Filio venit ad animã, & g *manſionem apud eam facit*. adeò enim dulcis ac beneuolus Sponſus nõ vult à ſua Sponſa abeſſe; ſed ſemper illi aſſiſtere, eam gubernando, & in ſuis omnibus actionibus adiuuando. Et quemadmodum DEVS animam accipit in ſuã, ita anima Deum accipit in ſuũ: quia h *ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt*, hæreditas, & totum eius bonum: poteſtque cum Dauid dicere: i *exaltabo te DEVS meus Rex*, DEVS eſt meus, & eſt Rex meus. Quod ſi DEVS eſt tuus, (ait Sanct. Cyprianus) quid ampliùs vis? ſi ille poſſeſſio tua eſt, quid quæris ampliùs? nam ſi DEVS eſt tuus, tuum eſt quicquid ille habet: & ipſe tibi dicet: k *omnia mea tua ſunt*: virtutes meæ ſunt tuæ; dona mea, diuitiæ meæ, & cœli mei, tui ſunt: in me enim ſolo habes omnia in tuum commodum. Quo itaque altiùs poteſt animæ tuæ dignitas & excellentia aſcẽdere, quàm vt ſit domus Dei viui, habitatio Patris æterni, & Filij eius vnigenæ, templum viuum Spiritus ſancti, & Sponſi cœleſtis thalamus: cum quo arctam amicitiam & continuatam conſuetudinem habere poſsis, triplici nomine & titulo prædictis filiationis, deſponſationis, & quòd illum habeas tecum? Hoc (ait S. Chryſoſt.) ſignificare annulũ filio prodigo datum: qui eſt ſignũ deſponſationis, arrhæ nuptiarum, pignusque amiciſsimæ conſuetudinis. Quod totum facit Spiritus S. dulci ſuijpſius præſentia; tribuens ſeptem ſua dona, quibus magna conuiuia Filijs ſuis & ſponſis exhibet. Nam quemadmodum l *ſeptem filii Iob cum tribus ſuis ſororibus faciebant conuiuia per domos, vnuſquiſque in die ſuo*: ita (ait S. Gregorius) ſeptem Spiritus S. dona cum tri-

iuxtà illud Apoſtoli. f *Rom.* 5. *Ioan.* 14. 17. g 23.

h *Deu.* 10. 9. i *Pſa.* 144. 1. & 117. 28. *Serm. de Aſcenſ. Domini.* k *Luc.* 15. 31.

Homil. de Patre & duobus filiis tom. 2.

l *Iob.* 1. 4.

bus

bus Theologicis virtutibus eorū sororibus, quotidie exhibent iustis splendida conuiuia, vno dono inuitante reliqua; & vna virtute, cæteras: omnibus exultantibus, & eum, in quo manent, & qui feruenter ipsis vtitur exhilarantibus. vno die conuiuium instruit SAPIENTIA, reficiens spiritum cognitione certa & iucunda rerum æternarum; eumque inclinans & impellens, vt magna voluptate Præcepta diuina exequatur: Alio die conuiuium exhibet donum PIETATIS, excitans teneros valdè affectus, dulcesque lacrymas deuotionis erga Deum, & commiserationis ad proximos: Et in eundem modum præparant sua conuiuia Charitas, Obedientia, Patientia, cæteræque virtutes, singulæ in die suo, cæteras ad suas actiones suauiter exercendas deducendo. Sed quis vnicuique certum diem designat? quis virtutes aduocat, vt hæc instruant conuiuia? Hoc ipsemet Spiritus sanctus diuina sua inspiratione facit: ad ipsum enim spectat, dulces huiusmodi affectus excitare, ad animas Sponsas suas recreandas: vt in domo eius m *gaudium & lætitia inueniatur; gratiarum actio, & vox laudis* sonet in ea. Hoc ipsum multò magis efficere solet, cùm intrat in animum recens iustificatam, quemadmodum solet solenniùs excipi Princeps in ciuitate, cùm eius possessionem primùm ingreditur accepturus. Hoc est supremum donum, quo Sapientia diuina inuitat, vocatque peccatores ad pœnitentiam, dicens: n *Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meū.* O Christianæ vocationis sublimitas! ô diuinæ sapientiæ liberalitas quem spiritum hunc esse existimas, qui tibi adeò liberaliter offertur! hic est spiritus, qui mundum creauit, o *qui ornauit cœlos*, viuificauit aquas, & p *renouauit faciem terræ*; suaque præsentia q *repleuit orbem terrarum*. Hic spiritus est, qui procedit à Patre & Filio, veritatis Magister, qui r *suggerit omnia, quæcunque Christus dixerit*; & s *vnctio*, quæ amanter *docet de omnibus*; est spiritus æternæ sapientiæ, de quo ipsamet loquitur: quod sit t *sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonū, humanus, benignus, stabilis, certus, securus*, qui cū sit *vnicus*, est tamen *multiplex* in effectibus, *omnem habens virtutem, & qui capiat omnes spiritus*, hic est spiritus, qui mortuos viuificat, solatur tristes, excitat desides, docet u *orare & postulare gemitibus inenarrabilibus*, corda commutat affectibus stupendis: vt enim ait S. Gregorius: ab omni corde, quod replet, torporem frigoris excutit: & omne cor quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum facit. Implet namque Citharædum puerum, & Psalmistam facit: ingreditur in pastorem, & efficit Prophetam; ingreditur in puerum, & iudicem senum facit; intrat in piscatorem, & facit prædicatorem; ingreditur in publicanum; & facit Euangelistam; implet persecutorem Christi, & gentium Doctorem facit! ô qualis est artifex iste spiritus! nullà ad dis-

m *Isai.* 51. 3.

n *Prou.* 1, 23.

r *Iob.* 26 13.
s *Psal.* 103.
t *Sapi.* 1. 7.
Ioan. 14. 26.
Ioan. 2. 7.
Sapi. 7 22.

u *Rom.* 8. 26.
Homil. 30. *in Euang.*

cendum

» cendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ac tetigerit
» mentem docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanam animum
» subitò vt illustrat, immutat; abnegat hoc repentè, quod erat; exhibet repen-
» tè quod non erat.

x Ioan. 7. 37.

DENIQVE ad hunc spiritum suscipiendum inuitat Christus Dominus Noster omnes peccatores, sitientes & indigentes aqua viua gratiæ ipsius, & eius fonte, dicés: x *si quis sitit, veniat ad me, & bibat. de ventre eius fluent flumina aquæ viuæ.* Quæ sunt hæc flumina ex anima proditura? & quis fons, ex quo illa intra animam oriuntur? quod si aliunde influent, quia illa ex se talia flumina non habet, vndè venient, nisi è cœlo per ipsius Domini vocationem, inuitantis nos ad bibendum ex tali aqua? y *qui biberit* (inquit) *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hic fons (vt explicat S. Ambrosius) est Spiritus Sanctus, qui influit continuè conseruatque viuã gratiæ aquam; & inclinat, ad producenda opera, vitæ æternæ meritoria: vt aqua, quæ descendit è cœlo ascendat in cœlũ, & origini coniungatur, ex qua profluxit. quod si iustus sibi ipsi non desit, nunquam deficiet hic fluxus ex parte Spiritus S. qui in ipso habitat. Vt aũt appareat, quàm sit hic fluxus copiosus, eum vocauit CHRISTVS Dominus *flumina aquæ viuæ*: insinuans (vt S. Gregorius aduertit) tot esse eius torrentes, quot sunt virtutes gratiæ, ac dona, quæ communicat: quorum aquæ animam lauant, & à suis immunditijs purificant; extinguunt bonorum desideriorum sitim; cupiditatum ardorem temperant; eamque fœcundam reddunt, vt Sanctorum operum fructum semper proferat. Hæc summatim de tribus præstantissimis bonis, quæ vocatio diuina peccatoribus offert, quod si oculos haberes, vt eius præstantiam agnosceres: fœlicem te iudicares, si illam amplectereris.

y Ioan. 4. 13.

Lib. 1 de Spirit. S. c. 20.

Lib. 15. Moral. c. 10.

CAPVT XI.

TRIA PECCATORVM GENERA CONVERTIT mirabiliter Vocatio diuina, reparans vitam charitatis, aut etiam spem veniæ, & ipsam fidem quando amittitur.

I.

QVEMADMODVM Spiritualis gratiæ vita præcipuè consistit in tribus h Teologicis virtutibus, FIDE SPE & CHARITATE, quæ sunt quasi tres huius vitæ gradus: ita sunt in mundo tres gradus siue genera peccatorum mortuorum ob earum absentiam. Alij enim Fidem & Spem habent, sed Charitas deest: de quibus Christus D. in Apocalypsi dixit: a *quod nomen habeant, quod viuant, & mortui sunt*: b FIDES enim, vt S. Iacobus ait, *si non habeat opera, mortua est in semetipsa*: quamuis in

Apoc. 3. 1.

b *Iacob. 2. 17.*

reliquis

reliquis nomen habeant, & verè Christiani sint. Ac propterea licet illos cadaueri comparare, habenti quidem adhuc neruos, & carnem ac pellem, & ipsam hominis figuram cum reliquis partibus, quas, dum viueret, habebat: quibus tamen omnibus nihil efficere potest ob animæ absentiam, quæ eius actionum principium & causa erat: sic inquam, qui Charitatem non habent, etiamsi Fidem & Spem habeant, non possunt opera viua & æternæ vitæ meritoria facere.

Charitas anima.

2.

Alii sunt peccatores adhuc miseriores, qui non solùm Charitatem: sed Spei quoq; virtutem amiserunt, solam Fidem retinentes. Nam (vt ait Sanctus Thomas) etiamsi quis non neget, quòd fides de peccatorum remissione docet, potest incidere in culpam desperationis; si diffidat, se consecuturum veniam, & misericordiam, quæ alijs peccatoribus conceditur. Et hi comparantur in diuina Scriptura (vt paulò pòst videbimus) cadaueri, diu iacenti in sepulchro: cuius totam carnem & neruos terra deuorauit, relictis tantummodò ossibus deformibus, & ab inuicem separatis. Nam huiusmodi peccatores ob multitudinem peccatorum, omnem cordis mollitiem amiserunt, & Spei neruos; iudicantes de se iam actum esse, ac desperatum.

2 2 q. 20. a. 2.

Ezech. 32. Spes carni.

3.

Alii sunt peccatores multò adhuc deteriores, qui etiam Fidem amiserunt, sine qua supernaturalis virtus Spei & Charitatis haberi non potest. Quamobrem Sanctus Thadæus Apostolus illos vocat c *arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, & eradicatas.* Primi enim peccatores, sunt tanquam arbores autumnales, quæ fructus suos amiserunt; sed supereſt illis spes alios producendi: Secundi, sunt tanquam arbores bis mortuæ, eò quòd duplicem vitam, Spei & Charitatis amiserunt, sed radices tamen in Ecclesiæ terra habent, fidem adhuc retinentes, quæ radix est vitæ spiritualis: Tertij, tamen, qui etiam fidei iacturam fecerunt; arbores sunt eradicatæ, omninò Christo mortui, & ab Ecclesia separati. Ideoque conferri hi possunt cum illis mortuis, quorum ossa exsiccata omninò sunt, comminuta, & vel in puluerem conuersa, vel igni combusta in cineres sunt redacta. In huius rei figuram & testimonium iussit DEVS, Ezechielem, d *pinguissimum pecus assumere, & carnes eius* ab ossibus separatas *in olla ponere*; *ossium verò struem sub illa componere*, & comburere: vt sic olla ferueret, & omnia consumerentur. hoc facto innuens, ciuitatem Ierusalem ad extremum iniquitatis peruenisse; iactura omnium virtutum ita facta, vt nec vestigium earum remaneret: quamobrem eam vltimis supplicijs afficiendam, pro merito & grauitate peccatorum. Et hæc vltima est miseria, quam tria hæc peccatorum genera participant. Quemadmodum enim homo potest quidem se ipsum occidere, sed non resuscitare: & nisi Dei omnipotentia, vitæ illum reddat, æternùm manebit mor-

c *In Epist. Canon. 12.*

Fides ossibus comparatur.

d *Ezech. 24. 4*

tuus: Ita quamuis potuit peccator animam suam occidere, & spiritualem eius vitam modis prædictis destruere; non poterit tamen solis proprijs viribus illam resuscitare, aut vitam eius amissam reparare: nisi ejusdem Dei potentia subsidium ferat, quæ speciali eum vocatione præueniat, excitet, vrgeatque ad pœnitentiam. Quemadmodum CHRISTVS Dominus Noster defunctos resuscitauit, quorum fit mentio in Euangelio, vocans eos; & ita cum eis loquens, atque si viui sint: e *puellæ* enim, & f *adolescenti* dixit *surge*; g Lazaro verò dixit: *veni foras* cuius verbi virtute omnes illi vitam recuperarunt: Dei enim proprium, ait Apostolus, esse h *vocare ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*: & cum mortuis colloqui, atque si viuerent: nisi enim ipse loquitur, nunquam ad vitam redibunt: quam efficaci ipsius vocatione recipiunt. Quemadmodum autem tres sunt illi mortui, ita tres efficaces vocationes illis correspondent, quibus reparatur vita Charitatis, aut etiam Spei, aut Fidei, si illam amiserunt. Nemo enim potest ad vitam æternam ingredi, nisi per harum trium virtutum portas, quæ (vt S. Gregorius ait) tribus portis templi, quod vidit Exechiel, significantur, vna i *porta erat* ad *Orientem*, & ea est porta Fidei; altera ad *Septentrionem*, quæ est Spei; tertia ad *meridiem*, quæ est Charitatis: diuina autem vocatio introducit vnumquemque peccatorem per portam, in qua est principium vitæ eius, sicut in sequentibus declrabitur.

c *Marc.* 5. 14.
f *Luc.* 7. 14
g *Ioan.* 11. 43.
h *Rom* 4. 7.
Tres virtutes Theologicæ.
Iomil. 19.
i *Ezech.* 40. 6.

§. 1 *Diuina vocatio reparat vitam Charitatis.*

PECCATOREM ob vitam amissam Charitatis mortuum solet DEVS diuina sua vocatione resuscitare, vtens operâ Fidei & Spei, quæ adhuc viuunt. Illæ enim demortui causam apud Deum agunt: Fides credendo quicquid ad eius resurrectionem est necessarium; Spes verò confidendo, se Orationibus, gemitibus ac reliquis medijs ad id aptis vitam obtenturam: necesse tamen est, diuinam inspirationem has virtutes ad actus suos exercendos excitare. Hoc totum eleganter depictum apparet in Lazari resurrectione, qui cum duabus suis Sororibus Martha & Maria in Bethania habitabat: a *diligebat autem* (ait Sanctus Ioannes) IESVS *Martaham & Sororem eius Mariam, & Lazarum.* Absente autem ipso Christo ægrotauit ac mortuus est Lazarus. de qua re vtraque Soror suum Magistrum monuit: qui, vt remedium afferret, redijt in Bethaniam: cui prima occurrit Martha, quam, circa fidem resurrectionis fratris sui non nihil hærentem, instruxit; &, quid credere oporteret, docuit; dicens: c *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.* moxque vocari iussit sororem Mariã. quæ, *cum venisset, cecidit ad pedes eius*: at IESVS, vt vidit eam plorantem, commiseratione motus, verbo illo: *Lazare veni foras*, viuentem fratrem ex sepulchro deduxit. Quis non videat ex-

a *Ioan.* 11. 5.

pressum hic, quod in conscientia Iusti geritur, per *Bethaniam* significata, quam vocem donum obedientiæ interpretantur, eò quòd ad obediẽdum, Deique voluntatem explendam in omnibus, quæ ipse statuerit, prompta & parata esse debeat: ad quod præstandum omnes suas operas fideliter ac germane conferunt tres virtutes Theologicæ. FIDES enim obedit, credendo quòd DEVS reuelat; SPES, sperando quod promittit; CHARITAS, implendo quod ille præcipit. Omnes autem sunt Saluatori nostro dilectæ, eò quòd sint filiæ DEI, à sancta eius inspiratione in anima generatæ: cui in Bethaniam venienti fidelia & iucunda exhibent obsequia. Solet tamen ipse, quoad sensibilem deuotionem & fauorem, interdum se subducere, & permittere, vt illa domus aliqua tentatione pulsetur: & tunc aliquando euenit, vt Charitas & amor DEI, cui tanquam germano fratri reliquarum virtutum familia innititur, langueat, ac tepescat, & in multas leuiores culpas labatur. Quòd si in aliquam lethalem incidat, etiam moritur. Cuius calamitatis non obliuiscuntur Fides & Spes sorores, quæ superstites fratris sui calamitatem propriam reputant: plurimùm enim illis decedit, cùm talem socium amittunt. Ideoque ad Christum Seruatorem recurrunt, vt remedium obtineant: quamuis ille commiseratione motus, eò quòd solas illas videat ac mœstas, suis inspirationibus eas præuenit, & iterum redit in Bethaniam, vt fratrem illis mortuum resuscitet. Primùm autem de suo aduentu monet *Fidem*, quam significat Martha soror natu maxima: quæ ob extinctam sororem Charitatem nonnihil est obscurata; eamque exacuens, ad credendum sicut oportet, exstimulat; Fidei enim viuacitas est Iustificationis initium, vt scilicet credat Martha, quòd ibi Christus dixit: *ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet.* quasi apertè diceret: firmiter tibi credendum est, me esse principium vnicum resurrectionis, & vitæ peccatorum: qui per meam omnipotentiam, quà sum DEVS, & per merita mea, quà sum homo, poterunt resurgere. Nam licèt mortui, sint iam sepulti: hac fide disponi possunt ad vitam Charitatis, quam sua culpa amiserant, recipiendam. Sed quoniam sola fides non satis peccatorem disponit inspirat idem Dominus, vt Spem sororem suam, quam Maria significat, aduocet: quæ fide certissima procidit ad pedes Christi, fratris sui, amoris diuini mortem deflens, & confidens DEI Omnipotentiæ, & misericordiæ Domini, quòd possit, velitque vitam ei restituere. Et quoniam hæ lacrymæ non sunt ancillarum, quæ pœnæ alicuius timore funduntur, aut alicuius proprij commodi intuitu; sed lacrymæ sunt verarum sororum, quæ ex affectu amicitiæ oriuntur: emolliunt cor ipsius Christi, vt earum fratri vitam restituat: ad eum modum, quot mater alterius cuiusdam pueri extincti *apprehendit pedes Elisæi*, dixitque: se eum non dimissuram, nisi accederet,

Allegoria Bethaniæ.

Marthæ Fides.

Mariæ Spes.

b 4. *Reg.* 4. 27.

& filium suum ad vitam reuocaret. Et quamuis Elisæus mittere velle *Giezi puerum suum cum baculo suo, vt eum poneret super faciem pueri*: noluit illa ipsum Elisæum dimittere, nisi ipsemet veniret: existimans nec puerum Elisæi, nec eius baculum sufficere ad id, quod quærebat, obtinendum. Ita inquam, Fides, & Spes, concepto ex diuina inspiratione magno feruore, procidunt ad pedes Saluatoris, & fortiter comprimunt, miseriæ suę remedium sperantes. Non contentæ affectibus timoris pœnarum inferni, aut aliorum peccati suppliciorum: eò quòd soli hi affectus non sufficiant ad vitam extincto reddendam: ideoque suspirant & contendunt, vt amoris affectus consequantur. hi enim DEVM ipsum secum adducunt, mortuoque cõiungunt: ex qua coniunctione extinctus fit rediuiuus. Id quod mirificè depictum apparet in facto ipsius Elisæi ad puerum illius mulieris ad vitam reuocandũ: ingressus enim in locum, vbi puer erat, incubuit super eum: *posuitq; os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum* in formam crucis. Ex quo euenit, vt *calefacta fuerit caro pueri, & ille surgens deambulauit in domo. & iterum incubuit super puerum: & oscitauit puer septies aperuitque oculos*, vita perfectaque sanitate recepta, hic inquam, (vt ait S. Bernardus) clarè nobis depingitur modus & ratio, qua noster Saluator dat vitam peccatoribus: accedit enim ad nos per efficacem suam vocationem, qua nos aspiciens, & misericordiæ suæ oculos nostris coniungens; eos ita illustrat, vt nostram miseriam agnoscamus, os suum nostro coniungens, & ad cor nostrum loquens, pacis osculum & reconciliationis offert; inspiratque, vt nostrum os ad veniam de nostris peccatis confidenter petendam aperiamus: manus suas nostris coniungit, efficaci suæ inspirationis tactu nos tangẽs, vt imbecilles nostræ manus fortitudinẽ & spiritũ accipiant, ad efficienda opera ad nostram iustificationem necessaria. His Seruatoris nostri tactibus incipit, qui mortuus erat, aliquem vitæ calorem sentire; Fidesque & Spes feruentia desideria firmaque vitæ emendationis proposita concipere. Sed quoniam moram aliquam in executione trahunt, deambulat Propheta, ipse scilicet Saluator huc illuc in domo defuncti: ad significandum, quàm sollicita conscientiæ examinatione opus sit, ad peccatorum confessionem faciendam, & eorum occasiones vitandas, radicesque euellendas: de qua re fusius in tertio tractatu agetur. Et mox reuertitur idem Dominus ad eandem oculorum, oris, & manuum suarum cum peccatoris oculis, ore, ac manibus coniunctionem; augens inspirationes & illustrationes suas, vt perfectam peccatorum suorum contritionem habeat, viuamque Christi Domini crucifixi imaginem recipiat. cuius virtute septies oscitat, sicut qui ex profundo somno excitatur; & ita spiritum vitæ recipit, hoc est gratiæ & Charitatis cum septem Spiritus S. do-

Ser. 16. in Cant. Elisæi figura.

nis:

nis:& tunc ingenti gaudio coniunguntur tres virtutes Theologicæ, quæ ad tempus fuerant separatæ. Et quemadmodum, Lazaro resuscitato, fuit Martha in fide, & Maria in spe sua confirmata: ita, quando Dei amor in Iusto ad vitam redit, fides renouatur, & spes roboratur; omnesque tres in sua Bethania exhibent Saluatori solemnem *cœnam* & conuiuium in gratiarum actionem, ob accepta ab eo, beneficia & singulæ honori sibi ducunt; vt, quæ propria habent, ipsius obsequio consecrent: omnes verò paratas seipsas offerunt ad obediendum in omnibus, quæcumque iubebit. c *Ioan.* 12. 2.

§. 2. *Vocatio spei virtutem reparat.*

PERGAMVS ad secundum genus peccatorum, qui non solùm ob Charitatem amissam sunt mortui, sed etiam spem eam recipiendi abiecerunt: hac ratione portam sibi occludentes ad veniam impetrandam; eò quòd non solùm quatuor dies sepulti manserint, sicut Lazarus; sed multis etiam annis, donec ipsa ossa planè aruerint, & ab inuicem sint soluta, quales illi Israelitæ erant, qui in captiuitate constituti spem abijcientes ad sua redeundi, dicebant: a *aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra*: conclamatum est de vita nostra. Quis enim mortuum resuscitet, cuius carnes sunt omninò consumptæ, & ossium fabrica tota destructa? & quis vitiorum torrentem detinebit, si desit spes ea impediendi: præcipuè cùm, quemadmodum ægrotis, de quorum vita est desperatum, permittitur, vt quicquid illis arridet, faciant, & accipiant: ita hi, (vt ait Apostolus) b *desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Nam, cum spes frænum sit vitiorum, calcar verò virtutum: spe abiecta, pereunt omnes virtutes; & agmine facto irruunt omnia vitia. Quamobrē, ait S. Isidorus, culpam quidē esse mortem spiritus; at desperare, idem esse, atque in infernum descendere. a *Ezec.* 37. 11. b *Eph.* 4. 19 *S. Thom.* 2. 2. q. 20. a. 3 *Lib.* 2. *de sum. bon. c.* 14. *Culpa Mors Desperatio Infernus.*

SED quoniam Dei misericordia desperantes istos in hac vita non deserit: audi supernam Vocationem, qua illos vocat & suscitat, eadem similitudine vsus, in qua illi suam fundant diffidentiam. Constituens enim DEVS c *Ezechielem Prophetam in medio campi, qui erat plenus ossibus vehementer siccis, dixit ad eū: Fili hominis, putasne viuent ossa ista? & dixit Domine Deus tu nosti. & dixit Dominus: Vaticinare de ossibus istis: dices eis: ossa arida, audite verbū Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciā super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & viuetis; & scietis, quia ego Dominus.* Et cùm iuxta verbum Domini Ezechiel Prophetaret, *factus est sonitus, & commotio: & accesserunt ossa ad ossa: vnumquodque ad iuncturam suum; & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt: extenta est in eis cutis desuper: sed spiritum non habebant. & dixit Dominus ad eum: Vaticinare, & dices ad spiritum: hæc dicit Domi* c *Ezel.* 37. 1

nus Deus: à quatuor ventis veni spiritus, & insufflа super interfectos istos & reuiuiscant. Et ipso prophetante: *ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntq; super pedes suos, exercitus grandis nimis.* Quibus quæso verbis magis proprijs ac mysticis, explicari potuit miseria perditissimorum hominum, diuinæque vocationis vis & efficacitas ad eos reparandos: Et quid aliud sunt hi peccatores, quàm aridorum humani corporis ossium ab inuicem disiunctorum congeries: quia neque gratiæ vitam, neque charitatis coniunctionem, aut neruos ad eam reparandam habent. Et quid miser hic mundus, nisi campus d *sepulchorum aforis dealbatorum, intus vero plenorum ossibus mortuorum*? quæ omnia *sicca sunt vehementer*, & nullam virtutem habentia: terra enim affectionum eorum comedit neruos, carnem, & cutem; destruens soliditatem, molliciem, & figuram hominum: eò quòd se ipsos bestijs similes reddiderunt: Hi sunt miseri illi, qui dicunt e *periit spes nostra*: quia non est remedium ad vitam recuperandam. At magnus noster DEVS aliunde ostendit ac proponit huius resurrectionis difficultatem, dicens Propheta: putasne viuent ossa ista? non quero an viuere possint, quia meæ omnipotentiæ nihil est impossibile, quod ego facere velim: solum te interrogo *an viuent*? quamuis enim, e *Voluntatis meæ non sit mors impii, sed vt conuertatur à viis suis, & viuat*: quando tamen ad tantam miseriam ille peruenit dubitari potest, an ille viuere velit, & ad vitam recipiendam se disponere? sed hoc ipsum, quod peccatoribus adeò siccis, & induratis est difficile, DEO est facillimum, per gratiam efficacis suæ vocationis, per istos prædicatores illis propositæ, & inculcatæ: quibus ipse mandat, vt ipsius nomine clament ac dicant: ossa arida, audite verbum Domini, nec spem abijcite, vitam recuperandi, si vocem eius auditis, qui vos ad illam inuitat, eamque vobis offert. Attendite quod ille sit omnipotens, ad dandum quicquid vobis deest; gratisque illud offert, si acquiescitis vt recipiatis: & ipsius gratia vos adiuuabit, vt assentiamini. Quo enim imbecillitas & miseria vestra est maior, eò eminebit magis omnipotentia & misericordia eius in ea reparanda. O altitudo diuinæ charitatis! O cœlestis inspirationis efficacitas! vix DEI verbum ex ore Prophetæ prodierat, cùm *factus fuit sonitus & commotio* venti vehementis, & *accesserunt ossa ad ossa*, (quæ seiuncta aliàs erant) *& vnumquodque ad iunctu ram suam, neruis* colligauit, *& carnibus cooperuit, & extenta est in eis cutis desuper* vt sic apta essent ad spiritum vitæ recipiendum. Quis autem hic est ventus, nisi Spiritus S. inspiratio, quæ venti instar vehementis omnes animæ facultates, quæ per creaturas sparsæ vagabantur, permouet, vt se intus ad cor recipiant, suisque tantis miserijs consulant? Hæc est quæ aperit sepulchra, vt peccatores se ipsos ingrediantur, ad suam miseriam agnoscendam, quam posteà in confessione per os eijciant, dicens illis f *redite prævaricа-*

d *Matt.* 23 27.

e *Ezec.* 7. 1.

e *Ezec.* 18. 2.

f *Esai.* 46. 8.

rientes ad cor; ingredimini sepulchra, quæ vobiscum circumfertis; aspicite vitiorum vestrorum turpitudinem; scandalorum, quæ aliis præbetis fœtorem; affectionum vestrarum dissolutionem; cognitionum dissipationem; spirituum ariditatem; voluntatum denique duritiem & obstinationē. Date locum fiduciæ: quia maior est Dei misericordia, quàm vestra miseria. Attendite quid vobis suggerat Fides in corde vestro: & quandoquidem illa vobis veniam offert: ne diffidite, vos eam consecuturos. His & similibus considerationibus, quæ lux cœlestis suppeditat, incipit ædificium pœnitētiæ, componendo neruos, carnem, & cutem. *Nerui* sunt affectus spei; in quibus omnis fortitudo nostra cōsistit; *caro* est cordis mollities, quod reiecta duritie lapidis, sensu & lacrymis ob suas culpas emollitur; *Cutis* est efficax vitæ nouæ propositum, quod præteritæ turpitudinem tegit, gratiæque pulchritudinem renouat. Nam quemadmodum g *Dominus Deus* in mundi exordio *formauit*, deditque Adamo corpus in tota integritate & figura hominis; & statim *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, hoc est animam, qua corpus vitam recepit: Ita statim atque peccatorem, fiduciæ ac doloris actibus prædictis disposuit, ei communicat Spiritum vitæ, hoc est gratiam, & ipsum Spiritum S. cuius præsentia, qui antea in terra iacebat, surgit, & *stat in suis pedibus*; & tanquam viuens mouere se incipit, & in via diuinorum mandatorum ambulare: & impletur quod dixit Dauid: h *auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata*: audito enim verbo illo Sacerdotis: *Ego te absoluo*, & interno illo Dei dicentis i *remittuntur tibi peccatatua*: ossa, quæ humiliata & sicca iacebant, gaudent, & exultant, ac florere incipiunt, & opera sancta eructare: idque tanta admiratione, cùm suam vident mutationem, vt k *omnia ossa dicant*: *Domine quis similis est tibi?* quis alius præter te, solo vnico verbo potuisset dispersa adeò ossa coniungere, eàque neruis adeò fortiter colligare, molli adeò carne vestire; & efficere, vt floreant, & fructus adeò pulchros producant? Hæc admiranda sunt, quæ efficit l *dextera excelsi* voce suæ inspirationis, m *quæ vox est virtutis & magnificentiæ*, quæ præparat animas, & spiritum è cœlo deducit ad eas viuificandas. Nec sine mysterio est, quod à *quatuor ventis*, siue mundi partibus Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie spiritum aduocet. significat enim (quemadmodum Glossa ibi interpretatur) communicari spiritum per Iesu Christi D. N. merita, & per diuinorum eius mysteriorum considerationem; nominatim quatuor insigniorum; Orientis, natiuitatis eius in portico Bethlehemitica; Occidentis, Passionis & mortis eius in monte Caluario; Septentrionis, descensus eius ad inferos, ad eos inde educendos, qui captiui tenebantur; & Meridiei, ascensionis eius super omnes cœlos. His quatuor columnis inniti debet tua fiducia. Quamuis enim videaris

Nerui, Caro, Cutis peccatoris.

g *Gen.* 2. 7
4. *Esdr.* 3. 5.

h *Ps.* 50. 10.

i *Luc.* 7. 43.

k *Ps.* 34. 10.

l *Psal.* 76. 11
m *Ps.* 67. 34.

4. *Plaga mundi.*

tibi esse os siccum non desperabis de remedio, si consideres, DEVM tua causa factum infantem tenerum; talem mortem passum; ad infernum, vt illum spoliaret, descendisse; ac demum ascendisse, vt cœli tibi portas aperiret.

§. 3. *Diuina Vocatio Fidem reparat.*

VLTERIVS adhuc progreditur diuinæ Vocationis efficacitas erga tertium genus peccatorum, qui etiam, Fidem amiserunt: ideoque tanquam cadauer manent, in puluerem & cinerem conuersum. & hi sunt Hæretici, alijque similes: de quibus illud S. Iob dicere possumus: a *lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. si senuerit in terra radix eius, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est: Homo vero, cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* & quomodo talis ad vitam reuerti poterit? Quod si lethali culpa sit mortuus, & omnibus virtutibus spoliatus, & omninò cõsumptus: quomodo is poterit resurgere, & amissam vitam recuperare? Sed hoc ipsum, quod est adeò ab humana facultate remotum: diuinæ est facillimum. Nam quemadmodum nos fides docet, in die nouissimo, Archangeli vocem & tubam in virtute DEI resuscitaturam omnes mortuos, etiam in pulueres cõuersos: ex quibus ossa, carnem, & cutem educet, corpusque formabit, in quod rursus anima redeat: sic DEI Vocationem, quæ instar vocis ac tubæ sonitus sonat, terretque peccatores: potentem esse, ac sufficere, ad illos resuscitandos; & ex puluere, in quem sunt conuersi, educendos: largiendo illis denuò Fidem, Spem & Charitatem.

a *Iob.* 14. 7.

HÆC sublimis illa vocatio est: qua DEI maiestas, vt ait Isaias, suos mortuos vocat, vt resurgant, dicens: b *expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis, ros tuus.* atque si mysticè dixerit: ô miseri peccatores, qui ad profundum omnium miseriarum peruenistis! nolite de remedio vestri desperare, nec de vobis actum esse existimare. Mihi enim æquè facilè est in puluéres iam conuersum resuscitare, atque dormientem excitare. Excitamini itaque, & ad vitam nouam resurgite, vt infinitam meam misericordiam laudetis; immẽsam charitatem magnificetis; ac glorificetis omnipotentiam. Si estis sicci, effundam super vos gratiæ meæ rorem: qui siccam arborem reuirescere faciet, vt crescat proferatque fructus benedictionis: sicut in principio. si in tenebris estis errorum, ros meus est ros lucis; qui vos lumine Fidei, & Spiritus S. splendoribus illustrabit: vestras q; deceptiones dissipabit. Quare excitamini, resurgite, tantumque vestrum benefactorem laudate: vestra enim conuersio, est mea lætitia, & vestra resurrectio, mea gloria: cuius, causa non est c *voluntatis meæ mors impii: sed vt conuertatur à viis suis, & viuat.*

b *Isa.* 26 19

c *Eze.* 18. 23.

CAPVT

CAPVT XII.

EXTERNA MEDIA, PER QVAE PECcatorum Vocatio & Conuersio dirigitur: nominatim per Conciones pios libros, & Exempla bona.

ARCANORVM, quæ diuina Sapientia sibi soli reseruauit vnum & quidem admodum insigne est, de vijs medijsque externis, quæ ipse ad peccatores vocandos & conuertendos adhibet: ita vt nullus aut hominum, aut Angelorum possit ea assequi, quemadmodum ipse Dominus Sancto Iob insinuauit: a *Indica mihi, si nosti: per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram?* quod idem est (vt S. Gregorius interpretatur) atque si dixisset: nostine tu media, quibus ego vtor ad communicandam cœlestium mearum illustrationum lucem, & accensarum inspirationum æstum & ardorem, quibus obtenebratos intellectus illumino, & congelata corda accendo? Hoc solus ego nosse possum: quia à sola mea voluntate depẽdet. quia, vbi volo, inspiro; & per eas vias & media, quæ ipse eligo. Hæc media, etsi multa sint, ad octo tamen præcipuè reduci possunt. Ad *Conciones* scilicet, *Libros* pios, *Exempla* bona, *Prosperitates, Aduersitates, Orationes*, Sanctorum *Intercessiones*, & *Misericordiæ* opera: de quibus hoc ipso ordine disseremus. Quibus omnibus est præmittendum, eorundem mediorum directionem & efficacitatem, originem suam inde deducere, quod DEVS beneuolis suis oculis peccatores aspiciat: de quibus b *oculis* ait Sanctus Ioannes, quòd sint *tanquam flamma ignis.*

DEVM ergò aspicit, radios ex eis mittit lucis & amoris quibus corda illustrat & accendit. Quamuis autem præcipuè suos oculos in Iustos conijciat: eosdem tamen etiam ad aliquos peccatores conuertit. nisi enim benignis oculis peccatores respiceret, nulli essent iusti. Aspiciens ergò eos ex c *solio* cœlesti, adeò potens est, vt dixerit Salomon illum *dissipare omne malum intuitu suo*; omne verò bonum afferre. Quid enim miseræ Ierusalem ciuitati euenisset, cùm esset in extrema miseria, de qua supra diximus, constituta: nisi Dominus benignis hisce oculis illam aspexisset: d *transiens, inquit, per te vidi te*,: quasi diceret: semper quidem te aspicio: quia nec mei oculi vnquã claudutur; nec res creatæ possunt mihi occultari: sed tũc *vidi* & aspexi *te* oculis cõmiserationis, & ideò statui, te ex tot miserijs eripere. Ijs oculis vidit pius e *Samaritanus* eũ, *qui incidera in latrones*; ad

a Iob. 38. 24. Lib. 29. Moral. c. 12.

3 *Media externa.*

b Apoc. 1. & c. 19. 2. *Oculi Dei.*

c Pro. 26. 8.

Cap. 10. §. 2

d Ezech 16. 8

e Luc 10. 33.

quem *approbians*, cùm in promptu haberet vittas, vinum & oleum, *vulnera* eius *vino* lauit, *oleo* vnxit, vittis verò *alligauit*. His remediis insinuans terrenam oculorum suorum constitutionem: ex qua procedit vinum Zeli, oleum misericordiæ, & vittæ charitatis.

Sed quid dicam de ipsius Saluatoris oculis, cùm in hoc mũdo perambulabat? priusquam hanc miseriam repararet, dicitur de illo, quod singulari quodam modo respiceret, quod indicium erat principiumque remedij. f VIDIT *hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me;* f *Matt 9.9* *& cum* g VIDISSET *hominem infirmum ad probaticam piscinam, dixit ei: vis sanus fieri?* & illum restituit sanitati. *præteriens* etiam singulari attentione, g *Ioan.5 6.* h VIDIT *hominem cæcum à natiuitate, fecitque lutum ex sputo, & liniuit oculos eius*, vt videret. Et quid Petro euenisset, nisi, post trinam negationẽ, i *conuersus Dominus eum* RESPEXISSET? incidisset procul dubiò, in desperationem sicut Iudas; nisi diuina misericordia benignissimis oculis eum respiciens subuenisset. Dorsum quasi verterat Christus Petro, dum ab eo negaretur, quatenus eius negationes non probabat: sed vix ille negauerat, quando *conuersus Dominus*, benignis suis oculis illum RESPEXIT: ex quibus tales lucis, diuinique amoris flammæ prodierunt, vt durum Petri cor emolliuerint, & ex eiusdem oculis duos lacrymarum copiosissimarum & amarum fontes eduxit, quibus culparum suarum maculas abluit. O aspectum benignissimum! ô intuitum efficacissimum! cantat primùm Gallus, nec tamen excitatur Petrus; cantat secundò, nec suum periculum aduertit; Ter Magistrum suum negauit, nec eius monitionis recordatur. Sed mox atque ipse Dominus illum respexit, excitatur, attendit, exitque ex occasione periculi, suumque peccatum amarè flet. quemadmodum enim visio fit in instanti: ita k *facilè est* (ait Ecclesiasticus) *in oculis* DEI SVBITO *honestare pauperem*; ac remedium afferri peccatori, quem ipse aspicit efficiendo, vt galli ipsum excitantis voci attendat.

i *Luc. 22 61.*

k *Eccl.11 23*

§. 1. *Vocatio Diuina ex Concionum auditione.*

INCIPIAMVS itaque primum externum vocationis medium, quod galli huius cantus significat, qui (teste S. Gregorio) est vox concianatoris Euangelici: de quo Deus dixit Sancto Iob: a *quis dedit gallo intelligentiã?* eumque docuit, quoties in media nocte sit cantandum ad excitandos dormientes? b *Dominus* enim solus (ait Dauid) *dat verbum Euangelizantibus, virtute multa: vociq; suæ vocem virtutis*; vt Concionatores vocent, excitentque eos, qui in suis peccatis iacent & stertunt. Quamuis autem interdum eos vocet verbis improborum Ministrorum; aperiatque eis oculos, quemadmodum c *aperuit oculos Balaam*, loquẽte illi *Angelo per os asinæ, cui Balaam*

Lib 30. Moral. c.13.
a *Iob.38. 36*
b *Psalm.67 12. 35.*
c *Num.22. 31.*

insidē-

insidebat: vt plurimum tamen id efficit per eos Prædicatores, qui suæ prædicationi vitam exemplarem, feruentemque orationem adiungunt: quorum d *verbum* (vt ait Apostolus) *non est verbum hominis, sed verè verbum Dei*, & e *Spiritus sancti virtus* per eorum linguam loquentis: ac proindè, (vt ipse Dominus ait per Ieremiam) f *verba Dei sunt quasi ignis, & quasi malleus cõterens petram*: emolliunt enim indurata corda; talibusque ictibus & internis sensibus ita cælant ac dolant, vt gratiæ diuinæ imaginem, virtutesque recipiant. Quod manifestè apparuit in die ipso Pentecostes: cùm essent g *in Ierusalem viri ex omni natione, quæ sub cælo est*: qui audientes S. Petri concionem, compuncti sunt corde, igne in eorum cordibus accenso. Quamuis enim plurimi, qui S. Petrum audiebant, interfuissent Christi Domini Passioni, fuissentque petris duriores: (siquidem h *illæ scissæ sunt*; ipsi verò nihil propterea fuerunt mutati) tunc tamen malleo concionis Petri contriti & commutati sunt, seseque Petri cõsilio subiecerunt. Eodem verò spectat, quòd quemadmodum i *factus repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*, quo Spiritus S. illo die venit; *multitudo habitantium in Ierusalem* adeò contremuit, ac *mente confusa* est, vt illos coëgerit ad locum ire, in quo Apostoli erant, quorum prædicatione plurimi fuerunt conuersi: ita vox & Spiritus S. inspiratio, hoc sono significata, facit, peccatores repentè tremere; impellitque ad audiendas conciones se conferre, vbi laqueos ipse dispositos, ac paratos, ad ipsos capiendos habet. Quemadmodum etiam k *mulierem Samaritanam* sua inspiratione permouit, vt ad fontem veniret haurire aquam, vbi illam ipse Saluator expectabat: qui iucundis suis verbis eam ex malo suo statu eduxit: & aliàs ipsis Concionatoribus inspirat, vt ad talem locum tales que personas se conferant, ad concionandum: quorum verbis tanquam instrumentis velit ipse vti, ad eas reuocãdas: præmittens eos tanquam suos prodromos, qui hospitiũ secuturo ipsi præparent, iuxtà illud Dauidis: l *iter facite ei, qui ascendit super occasum*: Tunc (ait S. Gregorius) Dominus ascendit super occasum, cùm ingredi cupit in animam, in tenebris ignorantiæ & culpæ iacentem. ad quod, iter aperiunt verba Concionatorum, quæ per Auditorum aures ingredientia, in virtute ipsius Domini, corda disponunt, vt Spiritus S. hospitio in eis excipiatur.

Tria impedimenta Concionũ.

HINC Sathanæ rabies exorta, ad hoc iter occludendum, tria magna adhibet impedimenta, ne hoc medium executioni mandetur. Interdum enim dat operam, ne ipsi Concionatores (quemadmodum ait Ieremias) m *loquantur sermonem Dei verè*; sed verba sua, quæ nõ sunt ignis, sed ventus; non malleus conterens petram & corda, sed verè *somnia* sua, ac deliria: quæ illos inanes vacuosque relinquunt. Nonnunquã verò conatur, Auditores auertere à Concionatoribus zelosis, & vt (quemadmodum ait Apostolus)

d *1. Thes. 2. 13.*
c *Cor. 24. 13.*
f *Ierem. 23 29.*
g *Act. 2. 5. 3. 7*
S. Petri concio.
h *Matt. 27. 51.*
i *Act. 2. 2. 6.*
k *Ioan. 4. 7.*
l *Psal. 67. 5*
Homil. 27 in Euang.
m *Ier. 23. 28.*

n *ad sua desideria coaceruent sibi Magistros prurientes auribus*: non inculcantes
n 2 Cor. 4.3. solidas *veritates*, à quibus *auditum* suũ *auertunt*: sed iocis & *fabulis*, ipsos re-
creantes, quas ipsi libentiùs audiunt: Aut, si hoc non potest obtinere, efficit
o Psal 57.5 (quemadmodum ait Dauid (vt o *sicut aspides surdæ obturent aures suas*, ne ver-
bis Dei attendant: aut tantum ex curiositate, & , ad tempus fallendum, ea
audiant, ita vt de illis dixisse videatur Isaias: p *excæca cor populi huius; &*
p Isai. 6.10 *aures eius aggraua; & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis*
audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur. Id quod solet esse reprobatio-
nis signum: q *quienim ex Deo non est, horret verba Dei audire*; & subtrahit se,
q Ioan. 8. 47. ne illa audiat. Quemadmodum infælices Hebræi, qui se intra ipsum
templum absconderunt, vt sua Idola colerent; occludentes ipsum aditum
pariete exstructo, ne quis ingrederetur, & eos videret. Sed quãuis tanta di-
r Ezech. 8 8. ligentia parietem exstruxerunt, remansit tamen r *foramen* vnum *in pariete*,
iussitque DEVS Prophetam Ezechielem *fodere parietem, & ingredi, vt abo-*
minationes pessimas, quas illi intus faciebant, videret. quia nunquam DEVS dese-
rit omninò in hac vita huiusmodi peccatores: potiùs Concionatoribus &
Confessarijs inspirat, vt eos etiam in suis angulis latentes quærant, eorum-
Lib. 26. Moral. c. 5. que scelera in lucem proferant, vt reparent: fodientes, vt ait S. Gregorius,
per syndæresis siuè conscientiæ foramen; quod, etsi reliqua occludantur,
semper patet: ideoq; semper supereſt ratio aliqua eos videndi, alloquendi,
ac de malo quod faciunt, ac periculo in quo versantur, monendi, & inui-
tandi ad miserrimam specum, & obscuriratem, in qua hærent, deserendam.
Sed quoniam eorum duritiem magna est, horrẽdos ictus oportet adhibere,
minarum, efficacium rationum, ac reprehẽsionum; ad eos emolliendos, &
conscientiarum foramina dilatanda: persuadendo illis, vt aperire ea velint,
ac manifestare; gratumque habeant, ea cognosci, vt curationem recipiant.
Nec abijciant animum ipsi Concionatores: nam, quemadmodũ per Isaiam
s Isai. 11.8. promittit Dominus, verbo Dei poterunt s *manum suam mittere per foramen*
aspidis, & cauernam reguli: & inde eos extrahere, conuertendo peccatores,
per hæc animalia significatos.

§. 2. *Sacrorum piorumq; librorum lectio.*

SED quoniam non semper est commoditas audiendi conciones, consti-
tuit prouidentia diuina secundum medium ad conuertendos peccato-
res, Sacros scilicet lioros: in quibus scripta sunt verba, quæ DEVS ipse
per os filij sui IESV Christi D. N. aut per suos Prophetas, Apostolos, aut
Euãgelistas est locutus; libros item spirituales & pios à viris Sanctis & Spi-
ritus Magistris conscriptos, qui oẽs instar sunt concionatorũ, verba & sen-
tentias, quas continent, proferentiũ; quas ipse DEVS Sanctis suis inspiratio-
nibus ad cor loquitur. Nam teste S. Augustino: cùm oramus, cum Deo lo-

qui-

quimur: sed cùm legimus, DEVS loquitur nobiscum. Nominatim verò diuina Scriptura (vt ait S. Gregorius) est tanquam Epistola quædam à Deo nobis missa; qua, quid in obsequium suũ à nobis fieri velit, significat. Imò dicere licet: totam ipsam Scripturam sacram esse tanquam septem Epistolas à Christo D. N. in Apocalypsi missas, septẽ Asiæ Episcopis & Ecclesijs, quæ septem hominum genera in Ecclesia existentium repræsentant. Quibus significat illis, quid facere eos oporteat ad salutem cõsequendam. *Dubitantes* in fide monet, vt firmi sint, ac constantes; eos, qui *charitatem amiserunt*, vt pœnitentiam agant; & eam reparent; *tepidos*, vt feruescant; *desperantes* siue diffidentes, vt confidant; *tentatos*, vt resistant; eos, qui *persecutionem patiuntur*, vt eas tolerent; *Iustos*, vt crescant, ac perficiantur; *perfectos* verò, vt & ipsi perseuerent, & alios ad id permouere studeant. Et eam ob causam vitia reprehendit, & virtutes extollit; supplicia peccatoribus minatur, & ingentia præmia iustis promittit: omnibus verò certa promittit auxilia. quæ omnia varijs exemplis & euentibus confirmat, multasque rationes atque motiua adducit efficacissima.

In Psal. 65.

Libr. 4. Epistol. 40.

7. Genera hominum.

EXAMINA igitur, ad quodnam horum septem generum tua conscientia pertineat; & ad Sacrorũ librorum lectionem cum animi demissione accede: ibi enim inuenies Dei Epistolã, qua ille tecum de tuo remedio loquitur. Et propterea idem S. Gregorius ait verbum Dei esse sicut manna, a *habens in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem*: eò quòd ad legentiũ, vel audientiũ necessitates sese accõmodet, cuiuscunq; illi sint conscientiæ. *Nutantibus* enim fortitudinem largitur; *peccatoribus* pœnitentiã; feruorẽ *tepidis*; *pusillanimibus* fiduciam, *tentatis* fortitudinẽ; *persecutionem patientibus* tolerantiam; *Iustis* perfectionẽ, *perfectis* verò perseuerantiam. Quod si in peccato aliquo sis, ac desideras illud deponere, librum accipias: DEVS per illũ te vocabit; & ita illustrabit, vt omninò conuertaris. Quemadmodũ euenit S. Augustino: cuius conuersio tandẽ perfecta fuit ab vna voce dicente ipsi: ACCIPE & LEGE. accipiens verò ipse S. Pauli Epistolas legit illa Apostoli verba: b *non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum nostrum I. C. & carnis curam ne feceritis in desideriis.* quæ cùm legisset; ita radius quidam lucis cor eius penetrauit, vt totũ mutaret: quemadmodũ etiam euenit S. Antonio, audienti legi quẽdam locum Euangelij: cuius verba tanquam sibi soli dicta, accepit. Quod si per te ipsum, quod leges, intelligere nõ possis: prospiciet DEVS de aliquo interprete, qui tibi subueniat. quemadmodum euenit Quæstori c *Candacis Reginæ Æthiopum*: qui dum curru veheretur, legebat Isaiam Prophetam, nec intelligebat: *sed Spiritus S. dixit Philippo*, vt accedens ad eum, sententiam Isaiæ, quam ille legebat, declararet. ex qua declaratione ille conuersus & *baptizatus* est.

Lib. 6. Mor. c. 9.

a *Sap. 16. 20.*

Lib. 8. Confess. c. 12.

b *Rom. 13. 13.*

c *Act. 8. 26. 25.*

SED

Ducis spirit Tract. 1. c. 2 Vitæ Sanctorum. Libr. 8. Confess. c. 8.

SED quoniam de spirituali hac lectione fusius in alio loco egimus, finem hic faciam, si tantùm addidero, quod libri pij tunc nominatim sint diuinæ vocationis media, cùm referunt vitas Sanctorum: quorum exempla solent esse valdè efficacia, ad conuertendos peccatores, & stupendam vitæ illorum mutationem: quemadmodum Magni Antonij vita à S. Athanasio scripta effecit. ex cuius lectione occasionem sumpsit S. Augustinus ad præclaram illam sententiam proferendam; *surgunt indocti & cœlum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine.* simile initium habuit stupenda B. Patris nostri Ignatij conuersio, cuius cor DEVS mirabiliter commutauit, cum Sanctorum vitas legeret, quemadmodum etiam alij sunt mutati, eius vitam legentes

§. 3. *Exempla bona & cum Iustis consuetudo.*

EX hoc Sacrorum librorum medio pergere possumus ad tertium diuinæ vocationis medium, ad conuertendos peccatores: feruentia scilicet Iustorum ac piorum, cum quibus illi versantur, exempla. Illorum enim opera, etiamsi linguam non habeant, sunt tamen Prædicatores, Lectiones viuæ, certaque ac firma instar prodigiorum testimonia, confirmantia ea quę Fides docet; cordaque vehementer permouentia eorum, qui illa cernunt: vt sequantur & imitentur eos, qui talia faciunt. Quid enim existimas bonum latronem in cruce pendentem excitasse; & vt conuerteretur, permouisse, nisi excellentem illam & exemplarem Christi D. Sanctitatem, cum quo simul erat crucifixus? videns enim heroicam eius patientiam, & charitatem: credidit, illum esse verum Deum, quemadmodum ipse dicebat: & hac fide permotus dixit: a *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Et in primæua, Ecclesia exemplares Christianorum vitæ, qui (vt ait Apostolus) b *in medio nationis praua & peruersa lucebant sicut luminaria in mundo,* in tantam gentes admirationem rapiebant, vt illas permutarent, & ad sequendas pertraherent. Quam ob causam idem Apostolus suadebat c *mulieri Christianæ habēti virum infidelem & consentientem habitare cum illa* absque detrimento religionis; *ne illum dimitteret: vndè enim scis* (inquit) *mulier, si virum saluum facies* tantùm enim valet vita & conuersatio Sancta, vt *sanctificari possit vir infidelis per mulierem fidelem.* Quemadmodum S. Cæcilia suum Sponsum Valerianum conuertit, & S. Monica inuictâ suâ patientiâ, ita mariti infidelis feritatem permutauit, vt Christianus fieret. & eandem ob causam suadet Apostolus marito fideli, ne dimittat infidelem vxorem; sed speret in Deo, quod sit eam per bonam suam vitam conuersurus. quemadmodum S. Chrysanthus S. Dariam vxorem suam conuertit. Et fortè ad conuersionem RVTH nostræ non parum adiuuit mariti religio,

Latro Christi exemplo conuersus.

a *Luc. 22. 42*

b *Phil. 2. 15.*

c *1. Cor. 7. 13*

cui

cui illa nupserat. Et vniuersim (quemadmodum S. Basilius perpendit) nullum Rhetoricæ Orationis genus excogitari potest efficacius, ad voracem aliquem & luxuriosum conuertendum, quàm si viro alicui temperato, & casto familiaritate coniũgatur. is enim casta sua vita ac moderata credibiles reddit rationes, quibus castitas & temperantia suadetur: ostenduntque ad oculum, non esse impossibile, virtutem consequi, quam ille tanta facilitate ac suauitate exercet. Idem suadet Sanctus Ambrosius, nam iuxtà Spiritus Sancti regulam, d *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit*; &, qui cum castis versatur, erit castus; qui cum humilibus, humilis, & qui cum iustis, tandem euadet iustus: Deo per id medium eum adiuuante

Reg. 37. ex fusis

Exempla demonstrãt.

d *Lib. 2. offici. 20.* d *Prou. 13. 20.*

HINC licet animaduertere varia diuinæ prouidentiæ consilia ac dispositiones in coniungendis & associandis bonis cum malis, ad hos conuertendos; suosque prædestinatos, qui sunt per orbem sparsi in gregem vnum deducendos. Nonnunquam enim ita disponit, vt aliqui infideles ex occasione aliqua ad regionem Catholicorum veniant: ex quorum consuetudine, bonoque exemplo conuertantur. Quemadmodum Dux ille e *Achior, vinctus deductus in Bethuliam*, f *videns* postea *virtutem quam fecit* DEVS *Israel* per castam Iudith, *credidit Deo; & circũcidens carnem præputii sui, appositus est ad populum Israel: & similiter* g *Naaman princeps militiæ Regis Syriæ*, veniẽs in Samariam, vt à lepra corporis per ELYSÆUM Prophetam curaretur, eadem operâ & animæ lepra curatus est. Et nostris his diebus primus in Iapone Christianus factus fuit eâ occasione, quòd hominem occidisset, & fugiens iustitiam illius regionis, illum ad supplicium quærentem, incidit in B. P. Franciscum Xauerium nostræ Societatis, ex cuius consuetudine, vitaque exemplori ad Christum conuersus, suæ Nationis conuersioni dedit initium.

Mali inter bonos

e *Iudit. 6. 7.* f *Cap. 14. 6.*

g *4. Reg. 5. 15.*

INTERDVM verò econtrà diuina prouidentia decreuit, per fidelium incommoda infideles conuertere, & per aliquam bonorum calamitatem improbos reuocare. ideoque permittit fideles captiuari ab infidelibus, aut in exilium ad eos mitti, aut aliqua violenta occasione apud eos peregrinari: quibus DEVS tanquam instrumentis vtitur ad illorum conuersionem. Et hunc præcipuè scopum & finem intendit D. N. in peregrinatione Elimelech Noëmi, & filiorum in regionem Moab: vt sic RVTH conuerteretur quæ allecta suaui suæ socrus consuetudine, & rationibus, quibus illa vsa fuerat ad ostendendam præstantiam legis, quam ipsa profitebatur, affecta & inclinata fuit, ad eam, suâ desertâ, amplectendam. Et eadem fuit causa, cur inter reliquos populi Israel, qui captiui ducebantur, etiam essent insignes aliqui ac Sancti viri, & Prophetæ, quorum operâ multi gentiles, veri Dei cognitionem & cultum amplectebantur. Id quod

Boni inter malos.

Lib.27.Moral.c.8. Et S.Thom. 1 p.q.113.a. 8. h Daniel. 10.13.

euenit (vt ait Sanctus Gregorius) cum h *Princeps* Angelus custos *regni Persarum* impediebat liberationem populi Hebræi, tunc illic captiui; ob spiritualia commoda, quæ Persis ex illa captiuitate obueniebant: cùm alter Angelus eam liberationem vrgeret. Et in primæua Ecclesia permisit DEVS, discipulos suos, virosque alios Sanctos in exilium mitti ad gentes barbaras; aut præ timore persecutionum, ipsosmet fugere in remotissimas regiones, vt ibi essent ipsius instrumenta, ad conuersionem peccatorum. Et vt clariùs appareat, nullam rem adeò esse paruam, quæ huiusmodi Dei dispotionibus non subseruiat: i *puella paruula, quam latrunculi de Syria egressi captiuam duxerant de terra Israel, quæ erat in obsequio vxoris Naaman,* illa inquam puella initium dedit conuersioni Domini sui; cùm prodigia referret, quæ Propheta Elisæus faciebat in Samaria, & prouincia Hiberniæ, teste Eusebio, conuersa est ex occasione pauperculæ captiuæ: eò quòd barbarus ille populus eius vitæ sanctitatem, & miracula, quæ DEVS per illam faciebat, admiraretur.

4.Reg.5.2.

Lib.10.hist. c.5.

SED quoniam de hoc ipso medio fusiùs agetur inferiùs, finem hic faciam, hoc addens: vt, qui conuersionem & vitæ mutationem alicuius peccatoris desiderat, suadeat illi, *Concionibus* interesse feruentium Concionatorum; *libros pios* legere, , & sese pijs & *Iustis viris* coniungere. Nam quemadmodum hæc tria media expugnarunt, ac vicerunt Sancti Augustini cor; ita efficient, vt cuiusque alterius cor sese dedat, si eisdem fuerit vsus.

CAPVT XIII.

DEVS DOMINVS NOSTER PECCATORES tum prosperitatibus ac beneficijs, tum aduersitatibus & supplicijs vocat.

QVAMVIS occulta valdè nobis sint externa diuinæ vocationis media, nulla tamen minus nobis innotescunt, quàm huius vitæ prospera & aduersa. Quotidiè enim videmus, occultis Dei iudicijs, aduersitates in causa esse, cur multi in peccata labantur; & prosperitates esse media, cur alij conuertantur: cùm in alijs contrà prosperitates occasionem præbeant, cur diuinæ vocationi resistatur, aduersitates verò, cur eadem audiatur, &, qui huiusmodi pulsu tangitur, conuertatur. ac proindè in aliquibus censentur aduersitates esse in pœnam à Deo; prosperitates verò in beneuolentiam &

fauo-

fauorem;in alijs contrà,aduersitates sunt fauores;prosperitates verò pœnæ & supplicia. Ex quo etiam apparet, occultissimas esse vias, per quas Dominus Noster varios huiusmodi euentus disponit: adeò vt etiam de huiusmodi vijs intelligi possit Dei interrogatio, qua à S. Iob quæsiuit: a *indica mihi, si nosti, per quam viam spargatur lux* prosperitatum, quas ego hominibus mitto; & qua *diuidatur æstus* aduersitatum, quibus ego illos premo? hoc enim sapientiæ meæ soli relinquitur; meaque occultâ prouidentiâ contrarias has sortes inter bonos & malos distribuo: nunc vt Iustitiæ; nunc vt Misericordiæ dem locum. vt qui in meis operibus iustus sim & misericors: quamuis præcipuus meus scopus non ad damnationem, sed in salutem hominum tendat: nec aduersitates, aut prosperitates mitto, vt ipsi peccent, ac damnentur; sed vt mihi seruientes salui fiant. Ex libero itaque illorum arbitrio solo malus harum rerum vsus oritur, & illorum perditio: à mea verò gratia præcipuè prouenit bonus earundem vsus, vt finem, ad quem eas dirigo, consequantur. a *Iob.* 38. 24.

§. 1. *Vocatio per beneficia.*

PRIMVM quoniam DEVS Dominus Noster eò magis propendet, vt via potiùs amoris quàm timoris, ad suum nos obsequium deducat: ideò quòd in ipso est, per prosperitates & beneficia, quæ cor alliciunt; quàm per aduersitates & pœnas, quæ illud terrent, vocare nos, & ad se attrahere mallet: quemadmodum ipsemet per Oseam Prophetam clarè satis ostendit, dicens: a *quando puer erat Israel dilexi eum, & ex Ægypto vocaui* hunc *Filium meum*: in nomine meo *vocauerunt eos* Moyses & Aaron, sed mox *abierunt à facie eorum*: *Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant. Et ego quasi nutricius Ephraim portabam eum in brachijs meis, & nescijt quod curarem eum* à vitijs suis. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis Charitatis*: *& ero eis quasi exaltans*: & auferens *iugum*, quod habebant *super maxillas suas*: *& declinatio*; ac meipsum dimittam, vt porrigam, quo *vescetur*. quibus dulcioribus verbis potuit peccatoris vocatio explicari: quem DEVS Dominus Noster tanquam Filium tractare cupit? quamuis ipse, vtpotè rudis & ignarus, id non agnoscens, verum Deum adorare prætermittat: suisque factis creaturas, quas amore nimio prosequitur, tanquam idola colat? est tamen cœlestis huius Patris adeò immensa charitas, vt non cesset beneficia in eum plura conferre, vt à peccatis eripiat. O vtinam oculos, & aures animæ tuæ aperires, vt quæ DEVS erga te facit, videres; &, quæ per tot beneficia loquitur, audires! intendit enim magnus hic DEVS, te à tyrannide Pharaonis, hoc est Dæmonis, & à captiuitate Aegypti, hoc est peccati eripere; ideò tũ suis inspirationibus, tũ per Moysen & Aaron Prælatos scilicet, Ecclesiæque prædicatores te Vocat. Et quamuis a *Osee.* 11. 1.

potuisset flagellis,& aduersitatum baculis trahere;non vult semper eâ seueritate vti, eò quòd tenerè te diligat : ac propterea *in funiculis Adam, & in vinculis charitatis* trahere vult : funiculis scilicet & vinculis, quibus trahi solent, ligari,& conuinci homines, qui rationi dant locum; & filij parentibus dilectissimi: fauoribus scilicet ac beneficijs, reuocans tibi in memoriam plurima, quæ hactenus in te contulit,& nunc confert; ac in posterum conferre desiderat: nisi ipse tibi deesse velis. Funiculi Adam, beneficia sunt naturæ, quibus frueris; Cœli, qui te illuminant; Ignis, qui calefacit; Aër, quo respiras; Aqua, quam bibis; ac cibus; quem sumis. Similiter honor, facultates, sanitas, sensus, & potentiæ, quibus es præditus : & ipsamet vita vincula sunt; quæ DEVS conijcit in collum tuum : non vt te præfocet, sed vt mortem fugiens, veram vitam consequaris. Vincula sunt Charitatis, superna beneficia generalia & particularia, quibus te ditat. Vinculum siue catena vna est, ipsius filij Dei incarnatio. Natiuitas, vita eius tota, Passio ac Mors: quæ catena tot constat annulis, quot sunt peregrinationes, quas peregit; sermones, quos prædicauit; miracula, quæ fecit; persecutiones, infamiæ, & cruciatus, quos sustinuit vsque ad mortem in cruce : b *qua exaltatus fuit à terra*, quemadmodum ipse dixit, *vt omnes homines* dulci hac & iucunda catena ligatos, *ad se ipsum traheret*. Vincula quoque sunt Charitatis, Sacramenta, Sacrificia, Scripturæ Sacræ, & reliqua auxilia, quæ in tuũ subsidium & remedium in Ecclesia sua reposita habet; & specialia, quæ ipsemet tibi præbet, inspirationes, quibus te præuenit; spirituales consolationes, quas tibi impartitur; orationes tuæ, quas exaudit; pericula de quibus te eruit: ne in infernum, quem iustè promeritus fueras, descenderes. Cur ergò non libenter videas, te huiusmodi funiculis trahi, & vinculis talibus vinctum deduci? cùm verè tendant ad tuam veram libertatem? Nunquam enim magis es liber, quàm cùm hac ratione vinctus & constrictus teneris. Addit verò Isaias: quemadmodum agricola c *iugum* remouit à bobus, triturando defatigatis, & postea manu sua pabulum illis porrigit : ita DEVS grauissimum Dæmonis iugum, quo portando valdè es defatigatus, auferet : culpas scilicet, & meritas pœnas; illas remittendo, has moderando. Iugum verò onusq; legis suæ ita subleuando, vt suauiter possis illud portare. ad quod melius præstandũ: *declinauit*, inquit, *vt vesceretur*. Ipsemet demittit se, vt tibi det, quod comedas; non panem manibus Angelorũ confectũ, sicut Manna; sed panẽ Spiritûs S. virtute formatũ proprium scil. suũ corpus, abijcit enim seipsũ DEVS, vt fiat cibus hominis. Et præterea à proprijs manibus mensam tibi sternit spiritualibus animæ cibis refertã: imò & ijs, quibus ipsũ corpus indiget. Ab ipsius enim prouidentia venit tibi, quicquid corpus aut animã nutrit: & ad omnia te inuitat, cùm dicit : d *Venite ad me omnes, qui laboratis,*

Funiculi. Adam.

Vincula Charitatis.

b *Ioan.12. 32.*

c *Isaiæ.12 4*

d *Matth.11. 28.*

& onerati estis: & ego reficiam vos. Cur ergo non sequaris tam benè tibi facientem? ostendis, inquit, S. Augustinus oui gramen, & puero nuces: & sic trahis illos post te: cùm ergò Deus quotidie tibi ostendat cibos ac delicias, quas tibi offert: cur non eum sequaris, eiusque vocationi obedias. *Tract. 26. in Ioan.*

2. *Beneficijs generosi ducuntur.*

Hoc vocationis genere solet Deus D. N. duo præcipuè genera peccatorum vocare. Primum est generosæ ac nobilis conditionis: cuius causa, facilius tanquam filij, ducuntur amore, quàm timore, vt serui. Huius generis esse solent, qui fuerunt aliquando perfecti; sed ex passione aliqua, aut infirmitate lapsi sunt in grauia aliqua peccata: quemadmodum videre licet, in admiranda Dauidis Regis vocatione, quando lapsus fuit in adulterium & homicidium, cum totius regni ipsius scandalo, tantaque proprij detrimenti obliuione; vt decem ferè menses à lapsu suo transierint, nihil ipso de remedio cogitante. Sed non est oblitus infinitus animarum amator, de remedio illi prospicere: vbi enim amor viget, non habet locum obliuio. Quem vt à profundo somno excitaret, misit Nathan Prophetam, vt ei diceret: [c] *Hæc dicit Dominus Deus Israel: ego vnxi te in Regem super Israel, & eruite de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo; dedique tibi domum Israel & Iuda: & si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora.* Enumerabo scilicet alia maiora, tam quæ hactenus contuli, quàm quæ conferre cogitabam. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* O amorem Dei interminum! ô ignem diuinum nunquam dicentem: *sufficit!* Quid enim hoc totum sibi voluit, nisi ingrato illi Regi significari: si propterea me dereliquisti, quod mea in te collata beneficia exigua esse iudicares: conuertere ad me, & ego tibi conferam maiora. Quodnam ergò adeò durum cor esse poterit, quod his rationibus, ac promissis non emolliatur? & quis adeò ferus homo, qui non sinat se beneuolis adeò catenis ligari? benè cognouit & assecutus est Dauid harum rationum pondus, ac vim ex cœlesti luce, quam à Domino vocante accepit siquidem vix ea audiuerat, cùm, magno suorum peccatorum dolore, verbum illud non minori interno animi sensu, quàm breuitate, tantaque efficacitate atque interno sensu protulit: [d] *peccaui Domino.* imò [e] *illi soli peccaui.* Nam licèt Vriam occidendo, in ipsum peccaui; & in Bersabeæ eius coniugem, cui abstuli honorem; & in populum vniuersum cui malum exemplum præbui. omnes tamen hæ iniuriæ sunt quasi non essent, cum ea collatæ, quam benefactori meo infinito intuli, à quo infinita beneficia accepi; & nunc, cùm illius ego essem immemor, recordatus est mei: & cùm ego horrenda supplicia essem promeritus, noua mihi offert beneficia, nouosque fauores. Fuit hæc Dauidis pœnitudo adeò perfecta, eò quòd orta esset ab igne amoris, qui ex sermone diuinorum beneficiorum accensus erat; vt è

[c] 1. *Reg.* 12. 7.

[d] 2. *Reg.* 12. 93.

[e] *Psal.* 50. 6.

vestigio, peccatorum suorum veniam obtinuerit: tibique proponitur tanquam exemplar, vt si errantem secutus es, sequaris pœnitentem, & emendatum: aures tuas ad audienda beneficia accommodans, quæ Deus ei confert, qui post lapsum pœnitentia ducitur, conuertitur, ac ie emendat.

3. *Pauperes beneficijs trahuntur.*

ALIVD est genus peccatorum, qui impingunt ex occasione paupertatis, & aduersitatis: quas vt euadant, grauia scelera admittunt. Est verò tanta Dei nostri misericordia, vt molliori eos manu tractet; necessitatibus eorũ subueniendo, eoque beneficio, ad malum peccati statum dimittendum, alliciendo. Quod mirificè nobis ob oculos ponit euentus ille, quem liber RVTH nobis refert. Quemadmodum enim fames, quæ in Iudæa præualuerat, in causa fuit, cur Elimelech cum vxore & filijs ex Bethlehem exiret, & in regionem Moab migraret, vbi alimentorum erat abundantia: postea verò marito & filijs orbata Noemi, surrexit, vt ex Moab in patriam rediret: f *audiuerat enim quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas*: ita innumeri homines famem, paupertatem, & alias temporales necessitates fugientes, à Iustorum congregatione recedunt: imò nonnunquam à congregatione fidelium, ipsa scilicet Ecclesia; transeuntque ad partes peccatorum, aut etiam infidelium; quorum sequuntur peruersos mores, vt miseris eorum bonis vti possint. Quibus tamen non obstantes, solet Dominus noster populum suum misericordiæ oculis aspicere; tantamque escarum copiam eis offerre, vt etiam peccatores, illis fruantur: proijciens in eos beneficiorum flammas, qui pœnarum ac suppliciorum flammas erant promeriti: & remouens paupertatis offendiculum, quæ fuerat ipsis causa ruinæ; excitat, & impellit ad pœnitentiam, ac desiderium redeundi; eique seruiendi, qui tot in eos confert beneficia, ita vt videatur D. N. exequi velle Salomonis consilium, dicentis: g *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius*: quæ tui amore illum vrant, & ex hoste reddant amicum: facientes, vt iniuriæ tibi illatæ eum pœniteat. Qui sunt autem Dei inimici, nisi peccatores? & quæ prunæ ardentes, nisi beneficia eis amanter collata? quando igitur Deus hosce suos inimicos in paupertate, aut alia aduersitate constitutos videt, accurrit, vt eam aduersitatem moderetur, vel omninò remoueat: & huiusmodi beneficiorum prunis eos accendens, prouocat ad pœnitentiam in cilicio & cinere amplectendam, culpæque inimicitiam deponendam,

f *Ruth.* 1, 6.

g *Pro.* 25. 21 *Rom.* 12. 20.

§. 2. *Multi in prosperitate constituti Deo resistunt.*

CVm verissima sint, quæ diximus : adeò tamen est deprauata hominis naturæ propensio post peccatum; vt ex ipsismet bonis soleat elicere mala; & ex beneficijs diuinis quæ sunt alias per se ipsa aptissima media, ad infinito benefactori obsequendum, occasionem accipiat, eumdem offendẽdi. Nam bonorum temporalium abundantia & prosperitas, qua Deus hominem inuitat ad pœnitentiam, efficit in peccato magis pertinacem: obstruit enim eius aures, ne inspirationem diuinam admittat; claudit oculos, ne proprium periculum videat; indurat voluntatem, ne diuinis impulsibus emolleſcat; compedes adhibet pedibus, & manicas manibus, ne in via virtutis progredi possit, Dominum ad ea vocantem sequendo. Denique cupiditate sua inordinata ita illum inebriat, vt æternorum bonorum oblitus, temporalibus ac perituris solum attendat. Quemadmodum ad viuum depicta res est in tribus illis ad cœnam magnam inuitatis, & sese excusantibus. *Primus* enim *dixit*: a *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Alter dixit: Iuga boum emi quinque & eo probare illa. Et alius dixit. vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Quamuis enim res illæ omnes erant licitę, amor tamen ad eas adeò fuit inordinatus, vt diuinæ Vocationi inuitanti earum causa restiterint. Quod si ad conuiuium illud ituris necessarium fuisset, villam relinquere, boues vendere, & vxorem omninò deserere; non fuisset culpabilis adeò & inciuilis excusatio ac resistentia : sed cùm non cogerentur illis renunciare: horrenda fuit impudentia, certumque signum, quòd à proprio amore captiui tenerentur: qui se à tanto conuiuio excusarunt, vt paulò diutiùs immorarentur in lustranda villa, probandis bobus, & familiariter cum vxore agendo: conculcantes, quæ erant alias obligatoria, propter minus rectum vsum licitorum. Quemadmodum enim homines non alieno tantùm vino inebriantur, sed etiam proprio; si nimium bibant: Ita non solum negligunt obligationes, quibus Deo sunt obstricti, ob rerum prohibitarum cupiditatem; sed etiam ob paruum vsum rerum ex se alioqui bonarum. Quod si tantum malum affert minus rectus hic vsus, quantum affert b *superbia vitæ*, inanes desiderans honores ? & *concupiscentia oculorum*, alienas desiderans diuitias ? & *concupiscentia carnis* appetens prohibitas voluptates ? ô execrandas concupiscentias : quæ homines cœlestibus bonis exuitis, aduersus Devm rebelles, sibique ipsis crudeles facitis ! ô quã fuisset rectum, quod Devs N. D. huiusmodi cupidos rebus illis professis spoliaret, quibus ne ad conuiuium accederent, impediebãtur: vt ablata prosperitate, quæ vinctos illos detinebat, & in aduersitate cõstituti, lubẽtes accederent, &, quod ptæcipiebatur, exequerentur. Sed iustis suis iudicijs Devs non eam seueritatem, sed multò terribiliorem aliam, etsi ipsis minus

Prosperitas nouerca virtutis.

a Luc. 14. 18.

Med. 56. 3. Par.

Etiam licitis abuti possumus.

b 1. I 9. 2. 16

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nus notã, adhibere voluit, dicens: c *neminem illorum, qui vocati erant gustaturum ipsius cœnam.* quasi permittens, illos temporalibus prosperitatibus frui, quas spiritualibus prærulerunt, cum iactura bonorum æternorum: quod non ipsius DEI in eos studium, sed odium; non misericordia, sed ira censenda est: quamuis mundanorũ hominũ iudicio misericordia existimetur: qui pluris faciunt, corporis miseria, quæ temporalis est, carere; quàm animæ, quæ erit æterna: quamuis & corporis postea erit æterna. Hæc illa est supremi Iudicis, tremenda sententia, dicentis: d *misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* non optanda, sed tremenda hæc est misericordia, quæ potiùs est terribilis ira: tunc enim (ait S. Bernardus) magis irascitur DEVS, cùm non irascitur, aut iram suam nobiscum dissimulat: Misericordiam hanc ego nolo; super omnem iram, miseratio ista, sepiens mihi viam Iustitiæ. Satiùs profectò mihi, iuxta Prophetæ consilium, e *apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereamus de via iusta.* Volo, irascaris mihi, Pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio; sed cùm sentio, te iratum, tũc maximè confido propitium: etenim f *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* sic enim Dauid. g *Deus,* inquit, *tu propitius fuisti eis, & vltiscens in omnes adinuentiones eorum.* Moysen enim loquitur, & Aron, atque Samuelem: & illam vltionem, appellat propitiationem, eò quòd eorum DEVS non perpercerit excessibus. Ostende, DEVS meus, quòd me tanquam pater ames, corripiens me ob culpas meas, vt ab eis me liberes. Ne auferas zelum tuum à me, ne simul etiam auferas amorem, & è tua domo me dimittas. terret me vehementer tremendum illud verbum, quod adulteræ Ierusalem es locutus: *auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* O iram terribilem, iram sine misericordia! quæ ira cum hac potest comparari? quæ ira hac terribilior esse potest? maxima infelicitas alicuius mulieris habentis maritum nobilem, diuitem, ac potentem censetur, ea qua dato illi libello repudij è domo à marito eijcitur, deponente omnem illius curam in posterum, tanquam eius rei, quæ ad illum ampliùs non spectat. Quando enim illam domi habebat, gerebat eius curam, zelabat honestatẽ, excessus reprehendebat, de omnibus necessarijs ei prospiciebat: quia vt suam habebat: sed, facto diuortio, omnem hanc curam deponit, necaliter eam, quàm alienam aspicit & extraneam. Hoc eodem modo habet se DEVS erga animas, cùm illæ pudorem amittunt in suis sceleribus, habentque frontem meretricis. Agit, inquit S. Hieronymus, cum eis tanquam cum reprobis, & ægrotis illis, de quorum sanitate est conclamatum: permittens eos viuere iuxta sui palati appetitum, & sequi suas

con-

c *Luc. 14. 24.* *Non punire maxima pœna est.*

d *Isa. 26. 10.*

Serm. 42. in Cant.

e *Psal. 2. 11.*

f *Hab. 3. 2.*

g *Psal. 98. 8.*

in 16. c. Ezc.

concupiscentias sine fræno. Et quemadmodum dicitur in libro Machabęorum: *i patienter eos expectat, vt eos, cum iudicii dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat*, acerbioribus multò supplicijs: hac enim conniuẽtia auctæ sunt eorum culpæ. Electas verò animas, quæ tanquam eius sponsæ in æternis eius palatijs sunt mansuræ, attentiori cura zeloq; tractat; ideoq; cùm videt temporales prosperitates eas in suis peccatis detinere, misericorditer castigans, eas, vt remedium adhibeat, aufert. i 1. Mach. 6 14.

§. 3. *Vocatio per aduersa.*

EX his quæ dicta sunt apparere incipit diuinæ prouidentiæ consilium ac dispositio in vocandis & excitandis pulsu aduersitatum eis, qui prosperitatum occasione aures suas obdurabant. Qua dispositione vsus est quondam erga ipsam ciuitatem Ierusalem, figuram videlicet animarũ, quæ cum vitijs suis arctum fœdus inierunt. quæ Ierusalem, vt ait Propheta Oseas dicebat: a *vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* quasi diceret: volo seruire idolis gentium, qui mihi fauent; meque magna prosperitate, bonorumque temporaliũ abundantia ditant. & Dominus ad eam; *ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, vt semitas tuas*, etiam tritissimas, *non inuenias. & sequeris amatores tuos, & non apprehendes eos; & quæres eos, & non inuenies. & tunc dices* apud te ipsam: *vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc. Et quia nescisti, quod ego tibi dedissẽ frumentũ, & vinũ, & oleum, & argentum, & aurum*, quæ obtulisti *Baal. Idcirco conuertar, & sumam frumentum meum, & vinum, & liberabo lanam meam, & linum meum. quæ operiebant ignominiam tuam.* Hæc idea est diuinę gubernationis, ita misericordia plenæ, vt tamen nihil Iustitia desideret. Hæc enim ad Deum clamat, vt te bonis spoliet; quæ, vt illi seruires, est largitus: si eis illum offendas, eius verò inimico obsequaris. & ipsamet bona ad suum clamant creatorem, ob illatam sibi iniuriam: dum eorum vsum in alium finem detorques, quàm fuerint tibi data: iniuriam enim auro infers & argento, quando ex eis idolum facis, quem tua adoret auaritia; offendis panem & vinum, cum eisdem idolo tui ventris præstas obsequia; ignominia afficis pretiosas vestes, dignitatem, & honoratum officium, cùm eis inanem gloriam, tãquam Deum colis: ac denique quamcumque creaturam afficis iniuria, quando pluris eam facis, & plus diligis, quàm ipsum creatorẽ. Quare, quemadmodum proba & honesta ancilla, cuius herus ea vult abuti, ad Iudicem accedens, petit ab eius potestate liberari, eiusque petitioni datur locus: ita istæ creaturæ clamant suo modo ad Iustitiam diuinam, petuntq; liberari a violentia & iniuria, quam illis infers. quarum clamor exauditur, ferturque iu- 1 Osea. 2. 5. Iustitia quærela.

stissima in te sententia, vt illis spolieris. maxime cùm hæc bona, quæ tua appellas, non tua sint verè, sed DEI, qui hac conditione tibi ad vsum dedit, vt cum eis illi seruias: quemadmodum Rex aulicis suis portionem, decreatasque vestes largitur; quibus in ipsius honorem vtantur. Cùm igitur tu non stes pacto & conditioni, qua tibi horum bonorum vsus conceditur: Iustitia exigit, vt eisdem spolieris. Propterea enim dicit: *sumam frumentum meum, vinum, & oleum. & liberabo lanam meam, & linum meum*, auferens tibi hæc bona, quæ eius cùm sint, sub tua potestate, quia malè illis veteris, tyrannidē patiuntur. Sed hæc pœna ita est opus Iustitiæ, vt in ingentē misericordiam dirigatur: estque flamma procedens ex oculis DEI non iratis, sed beneuolis, & commiseratione plenis: quia non aufert hæc bona ex odio, sed ex amore. etsi enim auferat temporalia, id facit, vt tribuat æterna; exuit te lanam & linū suum, vt gratia & charitate sua te induat; aufert à te vinum corporis, vt pretiosum det vinum sui amoris; sepit te omni ex parte spinis & laboribus, vt eripiat à tormentis æternis. hoc est enim quod per suum Prophetam dicit: *sepiam viam tuam spinis* tribulationum, & *sepiam eam maceria* obiectis impedimētis, ne fias voti compos in rebus huius mundi, quas desiderabas: & efficiam, vt, quando tibi esset oportunum, semitas tuas non inuenias, quas peruias tibi fore existimabas, vt ad scopos & fines tuos peruenires. Si volueris prauas tuas propensiones sequi, delitiasq; diuitias, & vanos honores obtinere, omnia à te fugient: nec modū inuenies tua desideria operē explēdi. omnia eueniēt cōtra id q̄ cupiebas. vt aduertens, quā malè tibi succedat per viā eunti vitiorū, in te ipsū reuertaris; & qui stultus eras, pœna fias Sapiens, ineasque rectius consiliū, dicens: *reuertar ad virū meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis, quàm nunc*; ad DEVM videlicet primū sponsum animæ tuæ, cui fuit desponsata in Baptismo per Fidem & Charitatem: in cuius societate & cohabitatione vita mihi & fuit, & erit quietior, quàm nunc sit. O felices, aduersitates, quæ æternam afferunt quietem! ô dulces spinas, quæ ex corde spinas euellunt peccatorum! ô beatam maceriam, quę malorū desideriorū arcet executionem! ô benevolā diuinæ prouidentiæ dispositionem, quę ad nostrarū animarum salutē dirigitur, & veluti contrarijs cuniculis prauas nostras dispositiones, quæ ad nostrā condemnationē tendebant, impediunt. Confiteor mi DEVS, te Patrē esse benignissimū, cùm talibus me laboribus affligis, cùm pungis huiusmodi spinis, tali maceria sepis, talia consilia ac dispositiones inis, quibus meæ euanescant: permittens, me in b *filii prodigi* calamitatem incidere, vt ipsa me in tuam *Domum redire* cogat, à qua rerum temporalium abundantia abduxit.

Misericordiæ remedium.

S. Hieron. in Ose. 2. b Luc. 15. 17.

Ex dictis colligitur, tribulationes & aduersitates esse vocationis diuinæ instrumenta, ad conuertendos peccatores: efficiunt enim vt internæ

DEI

Dei inspirationi, & externæ ministrorum eius prædicationi obaudiant; hisce aduersis impetrando, quòd rationes blandæ non potuerunt persuadere. c *Vexatio* enim *sola*, ait Isaias, *intellectũ dabit auditui*: vt quod auditum est, libenter executioni mandetur. Sic etiã d *Absalon, cum bis vocari curaret Ioab, obsecrans, vt ad se veniret; ille vero venire noluisset, iussit Absalõ seruos suos succendere igni agrum Ioab.* quòd cùm fecissẽt; *venit Ioab ad Absalon*, vt de illato sibi damno conquereretur: qua occasione Absalon prolixè cùm eò locutus, quicquid ab eo volebat, obtinuit. Eodem ergò modo, cùm audire non vis suauem & amicam Dei vocationem; nec ea, quæ per suos Prædicatores tibi significat, beneuolè inuitando ad pœnitentiam: tunc iubet, suas creaturas varijs te calamitatibus affligere: Ignem, vt domos tuas incendat; grandinem, vt vineas & agros destruat; morbum, vt corpus tuum vexet; & e *egestatem, ac pauperiem, vt veniat tibi quasi vir armatus*, totamque tuam familiam occupet. vocat te Deus, & tu non vis audire. f *vocat*, vt ait Dauid, *famem super terram*, & super te, & in momento adest, vt fame laborantem te capiat. g *Implet faciem tuam ignominia, vt sanctum eius nomen quæras*; permittit enim te incidere in dedecus aliquod, infamiam, lites, & huiusmodi alias afflictiones: vt ad infinitam eius misericordiam recurras, saltem vt conqueraris de his incommodis. qua occasione quasi per capillos te trahens ad se fusius ad cor tuum loquitur; & pœnitentiam impetrat, quam optabat.

c *Isa.* 28. 19
d 2. *Reg.* 14. 29.
e *Prou.* 6. 11.
f *Ps.* 104. 16.
g *Psa.* 82 17.

§. 4. *Bona ex aduersis.*

Sed quis numerare poterit bona, quæ prouidentia diuina per huiusmodi aduersa in peccatore facit, quibus eum deducit, ad obediendum diuinis ipsius inspirationibus? huius rei quasi ad viuum imago proponitur in Propheta Iona, qui ob difficultatem, quã ipse existimabat fore in exequendo Dei mandato, *a fugiens à facie Domini* conscendit *nauem, descenditq; ad interiora eius, & dormiebat sopore graui.* In quo proponitur nobis profundus somnus peccatoris Deũ fugientis, suisque prauis affectionibus ad infamia quæque, & indigna terræ sese abijcientis. Ipso autem Iona sic dormiente, *misit Dominus ventum magnũ in mare, & facta est tẽpestas magna: & nauis periclitabatur conteri: & timuerunt nautæ. & accessit ad Ionam gubernator, dixitq; ei: quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum.* Proprium est enim Prælatorum munus, esse diuinæ Vocationis instrumẽta, excitando & impellendo peccatores dormientes; vt attendant, sentiantque tribulationes & aduersitates communes & proprias; quarũ causam agnoscant sua esse peccata. Agnouit Ionas horrendam illam tempestatem ob sua peccata esse exortam: quæ tamen, etsi hanc cognitionem ei attulit, non tamen suffecit, vt ille omninò esset iustificatus: ideoque aliam hac maiorẽ tribulationem ei euenire voluit. *tulerunt enim nautæ Ionã, & miserunt in mare.* b *præparauit vero Dominus piscem*

1. 1 *Ioan.* 1. 3

b *Ioan.* 2. 1.

Ionas pœnitens.

grandè, vt deglutiret Ionã: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus valdè anxius & afflictus; & ſic omninò aperuit oculos, & *orauit Dominum*, magnoq; feruore clamãs de tribulatione ſua, cœpit tres veræ pœnitẽtiæ actus exercere. dolens de ſuis peccatis; confitens ea Deo ſuo; magnaque fiducia veniam eorum petens; accipiens & patienti animo anguſtias illas & tribulationem in ſatisfactionem peccatorum, firmaque propoſita concipiens Creatori ſuo ſeruiendi; gratias & laudes denique pro accepris omnibus beneficijs dicens: ex quibus in virtute diuinæ gratiæ præſtitis, iuſtificatus omninò eſt per eam tribulationem, quæ ceti inſtar eum deuorauerat. Cùm autem Deus D. N. adeò ſit miſericors; ſtatim atque, quod per afflictionem quærebat, obtinuit, eam remouit, *dixitq; piſci*, & ille *euomuit Ionam*, non in ipſum mare turbatum, ſed in *aridam*; nec in quemuis portum, ſed in proximum loco, ad quem mittebatur: vt implere poſſet propoſita bona, quæ in tribulatione conceperat; & exequi quod iubebat DEVS. O magnam tribulationis vim, à prouidentia diuina in peccatoris vtilitatem directam! ô quã mutatus exiuit Ionas ex ventre piſcis ab eo, qui fuerat ingreſſus! nã ingreſſus eſt peccator, & exijt Iuſtus; ingreſſus eſt carnalis, & exijt ſpiritualis; ingreſſus eſt tepidus, pauidis ac puſillanimis: exijt verò feruens, fortis & valdè confidens: à virtute enim diuinæ gratiæ prohibitus fuit piſcis, eu ſuffocare, & vitã eius conſumere: quamuis conſumpſit culpam, commutans veteris hominis vitam in noui. Venter ille piſcis fuit Oratorij inſtar, in quo didicit benè orare; & propitiatorij, in quo veniam peccatorum obtinuit, & nauis, quæ illum à vitiorum tempeſtatibus eripuit, ad firmam & ſolidam virtutũ terrã deduxit; & in proxima collocauit occaſione, qua poſſet exequi diuina præcepta: per quam viam, felicesque greſſus ad æternam eum deduxit quietem. Poſtquam autem piſcis munere ſuo eſt perfunctus, euomuit illum extra ſe, prius enim tanquam ſibi proportionatũ cibum, vtpote peccatorẽ, tali pœna dignum retinebat. Poſtquam autem fuit iuſtificatus, tanquam cibum, ſtomacho omninò contrarium, quem non poterat ſibi aptare, illum reiecit. & ipſe Dominus, qui piſcem tribulationis iuſſerat peccatorem deuorare, vt eum ſuo igne coquens benè conderet, iubet iam Iuſtũ beneque conditum euomere. Si enim peccator vitam ſuam mutet, Deus quoque ſuã mutat ſententiam: pœnasque commutat in fauores, & tribulationes in ſolatia. O animarum redemptor, qui *c ſicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita tu fuiſti in corde terræ* à morte deuoratus, & in ſepulchro abſconditus, vt nos ab æterna morte liberares: applica efficaciter tuorũ laborum fructum nobis peccatoribus, qui multis tribulationibus circumdamur, ne opprimamur ab eis; ſed viuificemur, & reſuſcitati prodeamus ex huius ceti ventre ad nouam gratiæ vitam, quæ perduret vſque ad æternam.

c Matth. 12. 4.

SED

Sed cupies fortè nosse, quid mysterij ad nostrum institutum in eo lateat, quòd fuerit Ionas tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti? cùm enim Deus D. N. omnia disponat in pondere, numero, & mensura: non est existimandum numerum hunc Trium, qui solet aliàs plenitudinem & perfectionem significare, casu aliquo fuisse ita decretum. Fortè tamen hoc nobis significat: tribulationum mensuram, quoad pœnarum grauitatem, numerumq; dierum, semper esse ita plenam & perfectam, quemadmodum ad perfectam vocationem & conuersionem peccatoris, quē Deus per eas vocare & conuertere decreuit, est necessarium: ita vt ea mensura suam habeat proportionem cum numero, mensuraq; trium generum peccatorum, quæ cogitatione, verbo, & opere admittuntur, & per tres noctes significantur: & similiter ipsa mensura crescat, aut minuatur, vt sit conformis studio & diligentiæ, quam adhibet peccator, vt per pœnitentiam eiusque tres actus, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ per tres dies significantur, à suis peccatis exeat. Quia enim tribulatio est medicamentum ægritudinis animæ, eandem seruat rationem ac proportionem, quam morborum corporis medicamenta, qui morbi, quò sunt magis in corpore radicati, eò plus temporis requirunt, vt curentur; & quò sunt graviores, eò requirūt fortiora remedia in subiectis robustioribus; & quò plus aut minus sese natura iuuat, eò etiam plus aut minùs addi debet ex subsidio medicinæ.

Vide Ribeiram hic.

Tres dies & noctes quid denotent.

Ex quo fit, vt si tardior sis, morasque trahas in tuis peccatis relinquendis, & vita ipsa emendanda: Deus quoque tardior sit futurus in tuis aduersitatibus auertendis. quemadmodum ægrotus ille, d *qui triginta & octo annis mansit apud probaticam piscinam*, nō obtenta vnquam sanitate, eò quòd per pœnitentiam non se disponeret: donec ipse Christus Seruator noster misericorditer illum sanauit, monuitque *ne amplius peccaret; ne deterius aliquid illi contingeret.* Si autem velocior fueris ac diligentior in facienda pœnitentia: & ipse Deus erit expeditior in tua tribulatione moderanda; quēadmodum fecit cum Rege Ezechia, quia cum inaniter ob suas diuitias & victorias efferretur, e *ægrotauit vsque ad mortem*, & cum ei diceret Isaias: *dispone domui tuæ quia morieris*, ipse ad remedium lachrymarum se recipit: quibus, dum culpæ suæ maculam abluit, effecit, vt Deus sententiam suam reuocaret, & sanitatem amissam restitueret. Verbum est enim Dei infallibile, quod per Ieremiam Prophetam dixit f *si repentè loquar aduersus gentem & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei: & subito loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud.* O stupendam pœnitentiæ vim! ò admirandam di-

3. d *Ioan. 5. 14.*

e *Isai. 38. 1.*

f *Iere. 18. 7.*

uinæ vocationis per minas & aduersitates efficacitatem! quis hoc cogitaret: quòd possit pœnitentia mutare immutabilem? si tu miser peccator doleas de tuis peccatis; DEVS etiam dolebit de pœnis, quas tibi est minatus; aut fortè cœpit inferre. Si tu eò quòd sis mutabilis, malum tuum propositum mutas, audisque vocantis te vocem: DEVS quoque, licèt sit ipse immutabilis, mutabit absque sui mutatione propositum, te castigandi: quia non vult ipse illam pœnam inferre, nisi in peccato permanenti. quòd si subitò tu feceris pœnitentiam subitò etiam DEVS suam aget. tam enim erit ipse ad mutandam sententiam velox; quàm tu fueris in tua mutanda vita. iubebitque piscem, qui te vorauerat, te euomere; quia dum te intra se haberet, te verè mutauit ac meliorauit. Quod si forte post pœnitentiam, adhuc duret aduersitas, id signum erit, superesse adhuc aliquid soluendum, & purificandum de præterita culpa: aut, quòd tuâ referat, eam adhuc durare, vt à recidiua præseruet; aut humilem & subiectum contineat: quò ad maiorem Dei gratiam recipiendam disponaris; obtineasque maioris gloriæ coronam: aut denique, vt ijs satis fiat, quos tuis peccatis scãdalizasti: vt & illi ex tuis pœnis cautiores euadant. Quamobrem etiamsi DEVS Dauidem monuit; & reuocans illi in memoriam beneficia in eum collata, ad pœnitentiam prouocauit: horrendas tamen adiecit minas. Amor enim & timor; spes & motus aptissimè coniunguntur ad conuertendum peccatorem. Et quamuis Dauidem statim pœnituerit, quòd *peccasset Domino*; & propterea culpæ remissionem obtinuerit: pœna tamen & aduersitas, quæ propter culpam illi inferebatur, adhuc durauit: licèt cùm tanto virtutum & spiritualium gratiarum incremento: vt libentissimo animo, eam pœnam se sustinuisse recoleret, ex qua tot bonorum accessionem sibi factam videbat, imò etiam temporalia bona, quæ prius DEVS abstulerat, eidem restituit. Quod si ita pertinaciter in culpa tua hærere volueris, vt pulsu aduersitatis, quam DEVS mittit, excitari nolis: time, ac treme: quia diuina Iustitia non volet iram suam moderari; permittetque propterea, vt cete tribulationis te deuoret, & non euomat, sed, donec suffoceris, detineat: & miserrimè in tuo peccato moriaris, quemadmodum in proximo capite dicetur.

Pœnæ post culpam remissam fructus.
2. *Reg.* 12. 10

CAPVT

CAPVT XIV.

EXITIALEM MORTEM ESSE ALIQVORVM peccatorum pœnam, medium verò diuinæ Vocationis ad aliorum conuersionem: Deiq; iudicia in huiusmodi varijs euentus valdè esse occulta.

A Deò est infinita magni nostri Dei sapientia, adeoque prouidentia eius admirabilis: vt eiusdem ordinis medijs nouerit, possit, velitque plures fines consequi; fierique variorum euentuum compos; & (vt vulgò dicitur) eâdem operâ multa perficere. Nam vno tribulationum, aduersitatumque ictu, nunc multos rebelles peccatores occidit in pœnam grauium eorum scelerum; nunc plurima mactat peccata, vt gratiæ vitam ipsis peccatoribus largiatur: & ita nonnunquam sua dirigit consilia; vt paucos occidens, viuificet plurimos, qui aliorum supplicio territi, ad se ipsos redeunt, ac de suis peccatis dolent, & pœnitentiam agunt. Quamobrem loquens cum populo suo dixit per Amos Prophetam: a *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? nunquid auferetur laqueus de terra, antequam quid capere? si clangit tuba in ciuitate, & populus non expauescet? si erit malum*, siue pœna & afflictio, *in Ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Quasi apertè dixerit: quemadmodum laquei non casu aliquo ponuntur in terra; sed industria & consilio prudentis aucupis illos in loco & tempore, vbi opus est, collocantis, ad aues aut feras, quas capit, capiendas: ita aduersitates, & tribulationes generales, aut particulares non casu aliquo eueniunt; sed à prouidentia Dei ita disponuntur ad capiendos homines, qui auium instar, iuxtà falsam carnis libertatem, vitam suam instituere volunt; & ambitione ac superbia sua altissimè volare; & ferarum instar nolunt legis Dei iugo se subijcere; sed contra suum proximum crudeliter agunt. In qua directione & consilio adeò est Dominus noster strenuus & constans, vt donec capiat quem quærit, laqueum non auferat; sed illaqueet, vinculisque seueræ iustitiæ rebelles constringat. eos verò, qui huiusmodi aliorum supplicijs perterriti, peccatorum suorum pœnitentiam habent, misericordiæ vinculis liget: ita vt eadem omninò aduersa sint iræ laquei in quosdam, qui in eis omninò pereunt, misericordiæ verò vincula in alios, qui ex alieno malo ad proprij sui periculi cognitionem deducuntur. Et quēadmōdum dum clangit tuba in ciuitate, omnes timent, & in locum tutum se recipiunt: ita etiam cùm Deus insignes peccatores repentina morte,

a *Amos* 3.5.

Tribulatio à Deo dirigitur.

alijsque

alijsque aduersis euentibus punit, tuba quodammodo clangit in reliquos omnes; quos ita terrendo vocat, & ad pœnitentiam peragendam inuitat, si velint similem iram euadere. Ita Christus Seruator noster quibusdam referentibus ipsi, quod Pilatus quosdam Galilæos, dum sua Sacrificia offerret, decollasset, dixit: b *putatis quod si Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis, quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis:* sed vt intelligatis, *quod si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis,* quasi dixerit: Infelix horum hominum mors non propterea præcipuè illis euenit, quòd maximi essent totius Galilææ, ac Iudææ peccatores; sed quòd essent peccatores: id enim sufficit. quamobrem, si & vos peccatores estis, ex pœna alijs illata cautiores euadere studete, vobis persuadens, infelicem hanc illorum mortem, vocem esse Dei ad pœnitentiam vos vocantis, & inuitantis; ne similis pœna, qua nunc verè digni estis, vobis contingat. Accedamus itaque ac demisse, vt par est, in profundam occultorum Dei iudiciorum abyssum ingrediamur, quæ prædictis verbis insinuantur; & vtilitatis capiendæ causa attendamus: quem ordinem in his peccatoribus puniendis seruet: vt iustissimè quosdam ob sua peccata puniat; alios verò misericorditer vocet, vt ea dimittant.

b *Luc. 13.3.*

§. 1. *Iudicia Dei elucere in morte, aut vocatione variorum peccatorum.*

ADITVM in hanc abyssum, aptumque fundamentum nobis præbet Sacra RVTH historia, dum refert: *abiisse hominem de Bethlehem Iuda vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua ac duobus liberis,* eo animo vt breui aliquo tempore illic manentes, postmodum in patriam suam reuerterentur. quorum tribus aliter accidit: nam illic mortui sunt. Primus omnium obijt *Elimelech* senex, illiusque familiæ caput: nec tamen reliqui propterea in patriam redierunt. nam post annos decem mortui sunt in flore ætatis suæ vterque filius: cùm ibi Moabitidas vxores duxissent. Sed tandem NOEMI videns se viduam, & solam absque filijs & marito, afflicta actremens statuit redire in Bethleem, vnde exiuerat. Hoc totum magnis arcanis & mysterijs ad nostrum institutum aptis est plenum, vt enim ait Sanctus Gregorius: non est in Scriptura sacra inusitatum, vt vna eademque persona in factis suis hinc referat, quid peccatores faciant contra Deũ; inde verò significet, quid faciat DEVS erga peccatores. Quemadmodum Ionas, vt supra est dictum, refert peccatores, qui Deum fugientes, incidunt in mare tribulationum; sed idem tamen figura fuit Christi nostri Seruato-

Ruth. 1.

Lib. 3. Mor. c. 16. exem. pto Dauidis. Vriæ, & Bersabee.

ris,

ris, qui, vt nos à peccatis nostris eriperet, fuit in idem mare tribulationum proiectus.

INCIPIENTES itaque mysteria hæc euoluere, inueniemus, quamuis peccatores verafide carentes, vitam suã in misera sua Moab, & regionibus infortunatis, in fæcibus vitiorum suorũ ita hæreant & conquiescãt, vt per totam vitam in eis manere velint: at qui fidem habent, aut eius aliquod lumẽ, non statuunt discedere à congregatione Iustorum, & ad peccatorũ partes transire, quasi ex instituto & animi decreto eorũ conciues esse velint; sed vt *peregrinentur*, & quasi obiter transeant, hærentes scil. nonnihil in suis vitiis, vt suo palato & appetitioni morẽ gerant; sed statuentes ea ante mortẽ deserere, confidentes diuinæ misericordiæ, quod tunc per pœnitentiam ad Iustorum statum & vitam, à quibus discesserant, conuerti velint. Ad eum modum, quo multi horum temporum hæretici & politici dicere consueuerũt: Sectam suam esse ad viuendũ commodam; Catholicam verò Ecclesiam, bonam esse ad moriendum: optantes quemadmodũ impius Balaã a *mori morte Iustorũ*: sed vitã peccatorũ ducere, & frui cũ improbis in hoc sæculo, paradiso voluptatum sensuu; sed cũ iustis postea frui etiam paradiso cœlestiũ deliciarũ. sed iustis Dei iudiciis euenit eis, quod *Elimelech* & duobus eius filiis in figura euenit, vt subitò, & nõ cogitantibus mors superueniat in loco & statu, quem ad maiorẽ suæ vitæ partẽ transigendã elegerant, & b *moriantur in peccatis suis*. Hoc est enim in more, & lege ordinaria constitutum, quod qui malè viuit, malè moritur. nec dignus is est, vt ad locum securum Sanctæ Bethlehem reuertatur ad moriendũ, qui ex ea voluit exire, vt cum salutis periculo in regione Moab habitaret: sed potiùs ei competet tremẽda illa Ieremiæ sententia dicentis: c *plangite eum, qui egreditur; quia non reuertetur vltrà, nec videbit terram natiuitatis suæ*. hic benè collocantur lacrymæ: si enim à Deo discedis, & eius Ecclesia, aut è terra viuentium, vbi natus fuisti in esse gratiæ; fortè vtramq; mortem obibis, temporalem & æternam; nec reuerteris ad felicem patriam, quam contempsisti. Attende, quòd si semel figas pedem in regione vitiorum, fortè illaqueaberis, teque expones periculo & occasioni ea nunquã deserẽdi. Quemadmodum duo hi fratres, qui ingressi tanquam peregrini in regionem Moab, duxerunt in ea vxores: & sic tales egerunt radices, vt permãserint tota vita, donec eos mors occupauit, quamobrem ne existimes tibi licere, aut tutum fore, in eo statu viuere, in quo non velles mori: nec prudentis est, vel ad vnum diem in eo loco hærere, in quo nolles morte præueniri: fortè enim dies ille vltimus erit vitæ; aut initium, sine fine, & remedio in peccato perseuerandi: & volens duplicem habere paradisum, vtrumque simul amittes. Quemadmodum infelix Balaã amisit d *gladio interfectus* cum reliquis peccatoribus, quorum

1.

a *Num.* 23. 1.

b *Ioan.* 8. 21. 24.

c *Ier.* 22. 10.

d *Num.* 31. 8

NEC tamen in huiusmodi euentibus deest interdum diuina misericordiarum vitam fuerat secutus, quem Balaam si tu fueris imitatus, contra te clamat horribilis illa ac tremenda vox Christi Seruatoris in omnes imitatores Balaam: e *age pœnitentiam, si quo minus, veniem tibi cito, & pugnabo contra eos in gladio oris mei*; imperando scilicet, vt vita tibi adimatur, qui noluisti mea misericordia vti. Quæ minæ, vt tunc erunt seueriſſimæ, ita nunc sunt vox dulciſſima ac benenola Dei, te ad pœnitentiam vocantis priusquam eius iustitia te in ira & furore suo castiget: f *Ne dicas* (vt ait Sapiens) *miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira à Deo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. non tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem. subito enim veniet ira illius*. misericordia enim Dei non debet esse pallium, quo se peccatores tegant, vt in suis peccatis perseuerent; sed vt illa citò deserant.

Vindicta Dei incipit à maioribus

HINC licebit progredi ad perpendenda Dei iudicia; & qua ratione supplicia sua incipiat ab ijs peccatoribus, qui ob antiquitatem, dignitatem, aut officiū tenentur, quemadmodum *Elimelech*, esse meliores: quorum peccata scandalo sunt alijs; & secum afferunt maiorem in Deum ingratitudinem, & maius in proximum detrimentum. ac propterea pœna & supplicium, quod illis infertur, timere facit minores, estq; clamor quidam & admonitio, vt cōuertantur. si enim Iustitia diuina maioribus non parcit: nec minoribus parcet. & si altissimā & profundè radicatam arborē iubet abscindi: facilius paruam & teneram euellet. Quamobrem cùm DEVS mitteret sex viros habentes instrumēta & vasa interitus in manibus suis, vt percuterent habitantes in Ierusalem. dixit eis: g *à sanctuario meo incipite*. aut (vt LXX. verterunt) *incipite à sanctis meis*, illis videlicet, qui ratione status sui Sacerdotalis deberent esse primi in sanctitate; erant verò primi in iniquitate. Nam, vt S. Hieronym. notat digni erant hi, qui primi punirentur; eò quòd occasionē peccandi populo dedissent. & (vt S. Petrus dixit) *iudicium incipit à domo Dei*; vt vltio sumatur de ijs, qui in ea viuentes, sunt alijs scandalo: & sic reliquis incutiatur metus, & permoueantur ad pœnitentiam; cautiores effecti ex pœna illis illata, quos vt superiores, & quasi capita sua habebant: & qui culpæ initium dederūt, sint quoq; primi in subeūda pœna. Ita enim i *Dathan & Abiron*, qui populum Dei conturbauerant, puniti sunt horrēda & infelicissima morte, *aperiente scilicet terra os suum, eosq; deglutiente, vt viuentes descenderent in infernum*, & post eos *ignis interfecit ducentos quinquaginta viros*, quia à partibus ipsorum steterant. Idem eueniet Antichristo eiusque Pseudoprophetę de quibus S. Ioannes, quod k *viui missi sint in stagnum ignis ardentis sulphure, & cæteri*, qui illos fuerant secuti *occisi sint in gladio*. Nā extraordinaria Maiorum delicto extraordinarijs quoque horrendisq; mortibus punienda sunt, vt minores & inferiores coērceant.

e *Apoc* 2. 16

f *Eccl.* 5. 6.

g *Ezech.* 9. 6

h 1. *Pet.* 4. 17.

i *Num.* 16. 26.

k *Apoc.* 19. 20.

dia, quæ horum iudiciorum seueritatem in aliquibus temperet; ne, qui volent ad eam recurrere, desperent. Nam etsi moriatur *Elimelech*: at Noemi, etsi aliqua ex parte punita, non tamen moritur: sed per illatam ei pœnam ad propriam reducit patriam. Nam ex duobus in eadem peccata lapsis permittit Deus alterum mori ac perire; alterum verò eisdem pœnis tactum dirigit, vt conuertatur. Quem enim non ducant in admirationē diuersi euentus duorum priorum Regum Israel, *Saulis* ac *Dauidis*? vterque enim fuit iustus in initio; vterq; in grauia peccata lapsus; cum totius regni sui scandalo: vterq; etiā propter ea punitus: Sed contrariis omninò euentibus. Nā l *Saul* etiamsi punitus, nullū tamen ex pœna fructū accepit: sed in peccato suo obstinatè permanēs, miserrimè periit: m *Dauid* autē etiam punitus, locum inuenit pœnitentiæ; ex pœna accepta faciens remedium culpæ. Sed quid dicā de duobus aliis Regibus, qui valde magni fuerunt peccatores? Pharaone sc. ac Nabuchodonosor, vtroq; in populū Dei crudelityranno; & vtroq; punito magnis plagis, vt conuerteretur sed diuerso planè euentu. Nam n *Pharao* pertinax in suo peccato, pœna deterior factus, miserrimè aquis *maris rubri* submersus, extinctus est: o *Nabuchodonosor* autē, *postquam per septem annos cum bestiis & feris fœnū quasi bos comedens habitasset, altissimo benedixit, & viuentem in sempiternum glorificauit*, & sic *ad honorem regni decoremq; rediit*. Primus fuit imago iræ diuinæ, ad rebelles deterrēdos: posterior diuinæ misericordiæ, ad spem & fiduciam eorum, qui se Deo subijciūt, ac prosternūt. Supplex ergo Deum D. N. orap *ne* (vt ait Danid) *in furore suo te arguat, nec in ira corripiat*, absq; misericordia, q *percutiens te plaga*, quam Ieremias *inimici* appellat & *castigatione crudeli*, quæ (vt S. Hieron. adnotat) non tendit sicut plaga patris ad sanandum & condonandum; sed sicut vulnus inimici ad occidendum & condemnandum. Cùm igitur Dei plagę soleant à patrio amore inchoare, vtere eis in tuum commodum, antequam plaga inimici feriat, quæ nullum admittit remedium.

Tribulationis diuersi euentus

l 1. *Reg.* 15. 24. & 6. 3. 6.

m 2. *Reg* 12. 13.

n *Exod.* 14. 2.

o *Daniel.* 4 30. 31.

p *Psal.* 6. 2.

q *Ierem.* 30. 14.

§. 2. *Iudicia Dei in eiusdem peccati complices, quos aut vocat aut perdit.*

Sæpe non sufficiunt supplicia Maioribus illata., vt Minores emendentur, etiāsi longum tempus Deus ad pœnitendum concedat; donec magis perspectā eorū pertinaciā, eadem eos inuoluit pœnā. Decem annos expectauit Deus filios Elimelech post mortē Patris: qui cùm nō rediret in Bethlehē, mortui sunt tandē in regione Moab. vt intelligeres, quod nisi prima admonitione ex alieno damno prudentior & cautior fias: cùm minimè cogitas, illud senties in te ipso. Huiorei fidē facit Pharao cū seruis suis, quorū pertinaciam in remittendis Israelitis in captiuitate punuit Dominus, a *percutiens in una nocte omne primogenitum in terra Ægypti, à primo-*

Ruth. 1. 4.

r *Exod.* 12. 29.

genito Pharaonis vsq; d primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Quæ plaga adeò fuit Pharaoni cunctæque Ægypto grauis & horribilis, vt præ mortis metu, etiam in *ipsa nocte vocatis Moysi & Aaron Pharao dixerit: surgite & egredimini à populo meo; vrgebantq; Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: omnes moriemur*: vix autem lacrymas ex morte primogenitorum ortas exterserant, cùm omni metu, quo perculsi fuerant, depositò, eos pœnituit facti ac dimissionis: & exeuntes omnes simul, vt discedentes retinerent, acreuocarent, inciderunt in manus mortis: submersi enim fuerunt in aquis maris rubri, *ita vt nec vnus quidē superfuerit ex eis.* O mors, quàm amara est memoria tua in hominibus huius nūdi! qui videntes, te è medio tollere alios præcipuè sibi coniunctos, statim contremiscunt, diuinæque vocationi aures præbere incipiunt, editis doloris peccatorum signis: sed mox atque è conspectu & oculis ipsorum abscedis, etiam ex corde te expellunt: & eadem festinatione, qua vitæ emendationem cœperunt; pergunt in suis peccatis & vita praua. Sed licèt ipsi mortis obliuiscantur; non tamen ipsa eorum obliuiscitur: sed qua festinatione ipsi sequūtur prauas suas propēsiones & appetitiones, eâdē sequitur mors ipsorum gressus, donec repentè & minimè cogitantes assequatur; mariique ingentium laborum & afflictionum eos submergat. quæ afflictiones multò maiores grauioresque esse solent, propterea quod ex aliorum morte non sunt redditi cautiores. maiori enim supplicio dignus est, qui non fit ex alieno cautior, iuxta sententiam illius homicidæ, qui dixit: b *septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero*, qui hoc sciens, non est factus cautior, sed *virum occidit, dabitur septuagies septies.*

Tandem vltor ferit Deus.

b *Gen. 4. 24*

SED quod nam mysterium in eo latet, quòd vterque frater, filij Elimelech simul sint mortui in regione Moab, vbi vterq; vxorem duxerat contra præceptum legis prohibentis, c *vxorem accipere de filiabus* Moab? Quid item sibi vult, quòd Pharao & eius exercitus simul fuerint aquis maris suffocati; omnesq; eâdem pœnâ puniti, eò quòd communi decreto & voluntate eandem culpam admiserunt? sine dubio hoc indicat nobis occulta Dei iudicia. quòd scilicet repentina interdum morte Deus puniat eos, qui conspirant in aliquod scelus; & simul ad resistendum diuinæ vocationi, ne conspirationem illam & voluntatum coniunctionem, in eodem peccato manendi, deponant. Nulli enim sunt detestabiliores peccatores ijs, qui ita secum pacisciuntur, seq; mutuò adiuuant ad mala quæ intendunt, vt in eis excellant. propterea enim D.N.S. Iob dixit de Leuiathan, quod d *corpus illius esset quasi scuta fusilia, compactum squamis sese prementibus, & vna vni ita coniunctis, vt ne spiraculum quidem incedat per eas: & membra carniū eius ita cohærentia sibi*, vt etiamsi *mittantur contra eum fulmina* de Cœlō, pœnetrare tamē non possint: *cor enim eius induratur tanquam lapis; & stringitur quasi malleatoris incus.*

c *Exod. 34. 16. Deut. 7. 3. 2. Esd. 31. 2.*

d *Iob. 41. 6.*

Quæ sunt squamæ, & quæ carnes Leuiathan, nisi peccatores illi, qui Dæmonis partes, consiliaque sequuntur? Alij enim apertè & manifestè eum sequuntur, qui per squamas significantur; Alij occultè & dissimulantes tanquam hypocritæ, qui indicantur per carnes cute coopertas. Vtrique enim horum diligentem dant operam, vt simul perficiant? quæ sibi arrident & placent: quemadmodum illi inter se conuenerant; qui post diluuium decreuerunt turrim & ciuitatem Babel construere, *e* VENITE, dicebant, *faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Hanc conspirationem, ait S. Gregorius, esse pernitiosissimam: eò quòd valdè corroboret, animosque addat, ad mala perficienda, quæ volunt. Ex quo sex ingentia damna illis oriuntur, quæ in prædictis verbis de Leuiathan insinuantur. *Primum*, pertinacia; eò scilicet incorrigibilior in suis peccatis, quò illi magis sunt ad ea perficienda concordes. *Secundum* quòd se mutuo defendant & excusent. *Tertium*, quòd simul conueniant ad resistendum cuicunque volenti eos abinuicem desiungere ac separare. *Quartum*, quòd eorum cor tanquam lapis & ferrum ita induretur, vt nulla respiratio ab eo prodeat orationum & bonorum desideriorum. *Quintum*, q̃ non admittant cœlestes inspirationes, etiamsi vehementes sint, & tanquã fulmina efficaces. *Sextum*, quòd quamnis alicuius plagæ ictus eos tangat, nullum tamen signum, aut vestigium imprimit: potiùs plagis & pœnis obdurescunt magis, ad instar incudis malleatoris, quę continuis ictibus magis indurescit. Propter quæ omnia solet Iustitia diuina quasi vno ictu, vita priuare eos, qui hoc modo ad mala facienda in vnum conspirarunt. Quemadmodum euenit summo Sacerdoti Heli & duobus eius filijs, de quibus prædixit quidam Propheta, quod f *in die vno morerentur ambo*: quò essent in pœna sócij, quemadmodum fuerunt in culpa. Et g *Angelus Domini percussit in vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* hominũ, de quibus dixit Nahum, quòd g *sicut spinæ se inuicem complectuntur*, quæ, igne concepto, vehementius ardent. Et Ecclesiasticus h *stupa collecta synagoga peccantium; & consummatio illorum flamma ignis.* Non tamen semper ira Dei huiusmodi furore ac seueritate vtitur cum omnibus peccati complicibus; sed nonnunquam consueta sua misericodia, per infelicem mortem aliquorum, alios vocat ad conuersionem, quam per dissolutionem iniquæ societis & concordiæ, qua erant coniuncti, reddit faciliorem. Nam qui ita coniuncti perstitissent in suis vitijs & peccatis; tandem illa deserunt, cùm solos se vident sócijs sublatis. quemadmodum *Noëmi*, si vir & filij eius vixissent, mansisset in regione Móab: cùm autem se illis spoliatam videret, surrexit, vtexiens ex regione, in qua illi extincti fuerant, *in patriam pergeret*, ne & ipsa extra eam moreretur.

Squamæ & carnes Leuiathan.

e Gen. 11. 4 Lib 33. Mor. c 24. & lib. 34. c. 4.

Sex damna conspirationum.

f 1. Reg 2. 34. 3 4. Reg. 19 35.

h Eccl. 21. 10.

i *Ruth.*1. 20.

HANC vocationis rationem ipsamet *Noëmi*, postquam in patriam redijsset, insinuauit, dicens mulieribus Bethlehemitis: i *ne vocetis me* NOEMI, *id est pulchram: sed vocate me Mara, id est amaram: quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens. egressa sum plena; & vacuam reduxit me Dominus.* quasi diceret: cùm ex hac ciuitate egrederer bonis temporalibus abundabam: quia virum & filios, pulchritudinem & bona temporalia habebam: Sed Dominus his omnibus ob mea peccata spoliatam, reduxit, vt, contristatam ac solam me videns inter peccatores regionis Moab, redirem in ciuitatem Bethlehem, ad vitam meam inter iustos ducendam. Valdè verò mysticè sibi ipsi tribuit exitum ex Bethlehem; Deo verò in eandem reditum: non enim dicit egressa sum plena, & redij vacua; sed, *egressa sum, & reduxit me Dominus.* vt sic intelligamus, nostrum esse, quòd peccemus; & à libero nostro arbitrio solo prouenire, vt à DEO, eiusque Ecclesia, & Iustorum congregatione recedamus; accedamus verò ad partes & consortia peccatorum: Conuersio tamen reditusque in locum sanctum, ac Iustorum consortium, quos deseruerамus, prouenit nobis à DEO, eiusque gratia, per sanctæ suæ vocationis virtutem. Quod ipsum distinctius ipse Dominus dixit per Prophetam Osee: k *perditio est tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Ego, ego, inquam, miser sum, qui ex cœlestis Patris mei domo egressus sum, & peregrè l *profectus in regionem longinquam*, quia ita volui: si enim ego non voluissem, non me cœlestis Pater repulisset: sed non potuissem tamen per solam meam voluntatem ad illum redire, nisi ille vocasset, & ad redeundum auxilium dedisset, ac deduxisset. Sed quomodo egressus sum? & quomodo me reduxit? egressus sum, quia bonis temporalibus abundabam, quibus superbia mea, cupiditates, carnisque voluptates fouebantur: quæ, vt DEI domum desererem, & in tabernaculis peccatorum habitarem impulerunt, DEVS verò his bonis me spolians, morteque puniens eos, qui mihi fauebant, vacuum me reduxit: vt harum plagarum metus, totque laborum & miseriarum afflictio, & calamitas me compelleret redire ad locum, vbi prius eram. Quamobrem ne vocetis animam meam *Noëmi* siue pulchram, sed *Mara* siue amaram: Dominus enim tribulationum amaritudine valdè illam repleuit, vt pœnitentiæ lacrymarumque amaritudine, culparum mearum maculas eluerem. Exulta itaque ô anima mea: quia nunquam adeò pulchra fuisti atque iam; cùm hac amaritudine es repleta. cordis enim amaritudo, culpæ fœditatem excludit; reddit verò gratiæ pulchritudinem. Si abstulit tibi DEVS corporis pulchritudinem, quæ te ad peccata impellebat: id fecit, vt pulchritudinem spiritus cum magna donorum suorum abundantia tibi largiretur. Scriptum est enim: m *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem*: ni-

Peccata nostra sunt; Conuersio est Dei.

k *Ose.* 13.9.

l *Luc.*15,93.

Amara purgant.

m *Cant* 1.5.

gra si-

gra *sicut tabernacula Cedar*, ob tribulationes, quibus affligor; sed pulchra *sicut pelles Salomonis*, ob ingentes gratias & virtutes, quæ inde mihi proueniunt. O sol Iustitiæ, decolora me, & ex peccatorũ meorũ dolore, amaritudine reple: vt amissam propter eà, gratiæ pulchritudinem recipiam, Amen.

§. 3. *Deus occultis suis Iudicijs peccatores aliquos in flore ætatis punit vt sic alios vocet.*

ADHVC supereſt quod in his diuinis Iudicijs profundiùs perpendamus: non enim casu aliquo filij *Elimelech* in ætatis suæ flore, post senem patrem, sed etiam ante senem matrem mortui sunt: significatur enim nobis, omnes siue iuuenes, siue senes timere cauteque viuere debere: eò quòd ira DEI, ipsaque mors nunc priùs senes aggrediatur; nunc iuuenes: vt & senes ex morte iuuenum cautiores fiant; & similiter iuuenes morte senum; & alij denique ex aliorum morte. Nam, vt ait Salomon, a *sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo*, hoc est in die mortis; quæ mala & amara est peccatoribus imparatis, & subitò morientibus: quos veluti hamo capit, cum illi delectationum sensualium escis maximè oblectantur. Et Quemadmodum sæpè pisces aues̃que minores priùs capiuntur, quàm magnæ: ita iuuenes solent non rarò mori antè quàm senes, ita eorum peccatis exigentibus, propter quæ (vt Amos Propheta dixit) b *occidit sol in meridie, & tenebrescit terra in die luminis*: quia mors in ætates flore, & in vitæ medio eos capit, & quando sol luxque prosperitatum huius mundi, quàm poterant altissimè & felicissimè incedebant: tunc ipse sol occidit, prosperitas euanescit, marcescit pulchritudo, luxque in tenebras, & vita in mortem commutatur.

NIHIL enim DEVS facit hæc omnia mundi magnalia, cùm sub illis latent plurimæ culpæ. Ad idem facit quòd idem Propheta mortem comparet hastæ prælongæ, c *vncinum* habenti ferreum, cuius est vsus ad fructus arborum decutiendos, quo non solùm fructus decutiuntur ex infimis ramis, qui manu carpi poterant; sed etiam qui in supremis, quo non poterat attingere manus: Mors enim æquè facile diuites decutit atque pauperes; sanos fortesque ac robustos, atque debiles & valetudinarios; & iuuenes qui sibi longam vitam pollicentur, atque senes, qui vnum iam pedem videntur habere in sepulchro. Et ob eam causam Propheta vsus hic est voce Hebræa significante autumnalem fructum, maturum iam vt decerpatur: sic insinuans, peruenisse iam tempus, quo mortis vncinus inuaderet peccatores: eò quòd ipsorum peccata maturos satis eos reddidissent, vt antè tempus decerpi possent. Quò spectat sententia Ecclesiastis: d *ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo*: & illa Dauidis: e

1.

Mors peccatorum accelerata.

a *Eccl.* 9 12.

b *Amos* 8. 9.

c 8. 11.

Mors hasta elonga.

Vide Riber.

d *Eccl.* 7. 18.

dis: e *viri dolosi non dimidiabunt dies suos*: quasi diceretur: cùm tanto desiderio vitæ longioris tenearis, desine peccare. peccata enim eius filium abscindunt; &, cùm ipsa sit ex se breuis, eam efficiunt breuiorem; eò quòd DEI Iustitia in pœnam, illam abbreuiet.

e *Psal.* 54. 24.

2. *Aeternitas.*

DECEM tantum *annis*, ait Scriptura, vtrumque fratrem vixisse in regione Moab, fruentes eius vbertate, & coniugij voluptatibus; & statim *mortuos* esse. Quid autem sunt decem anni, si cùm æternitate conferantur? siquidem Propheta Regius testatur: f *mille annos ante oculos Dei tanquam diem hesternam esse, quæ præterit.* O quàm est tota ipsa vita breuis; si cum æterna comparetur! quamuis enim longissima alias videatur; vix tamen incepit, cùm quasi pro expedita haberi potest. Et quid est *Mahalon & Chelion* (quæ voces, vt supra diximus, principium & consummationem siue finitionem significant) simul mori, nisi docere nos, vitam hanc adeò esse breuem, vt cum ipsa morte coniungatur; & eius principium cum fine; ingressus cum exitu primusque dies cùm postremo cohæreat: quemadmodum ipsi damnati fatentur: g *nos* (inquiunt) *nati, continuo desitionus esse.* nam tota vita, quãuis quingentorum fuerit annorum, sicut fuit Cain, illis videtur fuisse vnius momenti. O si vitam respiceres, non sicut peccatores, cùm ea fruuntur, sed quemadmodum ijdem, eam iam transactam respiciunt in inferno! Diceres procul dubiò, eam esse quasi non fuisset: & intolerabilem esse stultitiam, illi fidere, eamque in breuibus adeò voluptatibus expendere, quæ tormentis æternis sint puniendæ.

f *Psal.* 89. 4.

Vitæ breuitas.

g *Sapi.* 5. 13.

3.

IMPONAMVS tandem occultis hisce Dei iudicijs finem, adductis in medium quæ S. Matthæus de duabus ficulneis refert, quæ horum peccatorum sunt figurę. Alteri illarũ (cuius supra meminimus) maledixit Christus D.N. h *cum mane* quodam *esuriret*, nec fructum vllum in ea, *nisi folia tantum inuenisset*, eò quòd esset adhuc veris initium: dixit enim cum indignationis cuiusdam indicijs: *nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & aresecta est continuo ficulnea: à radicibus.* Certum est (ait S. Chrysostomus) ficulneam illam non habuisse peccatum tali pœna dignum; sed habuisse hominem per eam significatum: qui tenetur fructus bonorum operum proferre non solùm in autumno, hoc est in ætate matura; sed etiam in primo vere, hoc est in iuuentute, & à quo incipit vti ratione. Et propterea Christus D. N. diluculo interdum illum visitat, optans hos in eo fructus inuenire. Quem si ætatis tantùm virore, & externarum cęremoniarum folijs ornatum videat, vt Christiani nomen tantum retinere videatur; solet in eum indignari, vitaq; eum priuare, æternam imprecans maledictionem ob quam, ad radicem vsque aresci, amittens omnes gratias, donaque spiritualia vsque ad ipsam Fidem, quæ illorũ est radix: vt nunquam amplius fructum proferat bene-

h *Matt.* 21. 19.

i *Mar.* 11. 20.

Christianus semper debet operari.

dictio-

dictionis. qui enim in lethali peccato diem suum obit; ita his omnibus in æternum priuatur, vt nulla sit spes ea recuperandi. Stupenda autem in hãc ficulneam, & in aliquem horum peccatorum maledictio, aliorum est admonitio & documentum: vt studeant non esse steriles & inutiles. Nam ordinariè Deus non est adeò seuerus, vt in prima statim visitatione ficulneæ suæ ita maledicat; sed sæpius eam expectat ad multos annos, pulsans frequenter ac monens, vt suos proferat fructus. Quemadmodum idem Christus D. N. in parabola alterius ficulneæ, quam in Ecclesiæ suæ vinea habet plantatam, indicauit: ad quam veniens vt fructum quæreret, etiamsi non inuenerit; non tamen illi maledixit, potius vineæ cultori dixit: k *ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? at ille respondens dicit: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora; & si quidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.* Qui sunt hi tres aut quatuor anni quibus Deus ficulneæ fructus expectat, nisi quatuor vitæ hominis partes, siue lõga illa sit, siue breuis? in quibus sæpius ipsũ visitat Deus vocando, suisque sanctis inspirationibus inuitando ad bonos fructus proferendos: Quod si in primo anno, hoc est quando vsus rationis iam adest eos non proferat, Deus patienter expectat, redditque secundo anno, in secunda scilicet vitæ eius parte: qui, si adhuc in sua sterilitate persistit, sustinet eum Deus longanimiter; redit verò tertio anno, parte scilicet tertia eius ætatis: quem si adhuc sine fructu inueniat, ostendit se illi magis iratus, & fortioribus pulsibus plagisque morborum & aduersitatum monet, minaturque se vitæ filum abscissurum, quasi homini nauci & inutili. Quamuis adeò magna est Aduocati ac Mediatoris nostri Iesv Christi Charitas, vt etiam pro tali peccatore apud æternum suũ Patrem intercedat, vt quartũ adhuc annũ, vltimam scilicet ætatem morti vicinam dignetur expectare: vehementiores interim inspirationes mittens, variaq; alia media adhibẽs, vt optatum tandem fructum afferat; simulque monens, quòd si bono adeò mediatori ingratum se exhibeat, & vocationi admonitionique ipsius obsurdescat, sit ipsemet iudicaturus, & suasurus, vt in quarto anno abscindatur, & euellatur; quandoquidem tot mediis adhibitis nullum fructum facere voluerit. O diuinæ misericordiæ altitudinem! ô humanæ ingratitudinis vilitatem! quænam maior misericordia esse potest, quàm Deum adeò patienter expectare hominem adeò ingratum? & quæ maior ingratitudò, quàm nolle hominem adeò misericordi Deo seruire & obsequi? Non poteris conqueri, quod ad primum peccatum Deus mittat hominem ad infernum: siquidem per quatuor prædicta tempora illum expectat. Sed neq; expedit negligere, aut differre exequi, quod ipse præcipit: cùm enim quatuor

Vnius pœnæ alterius ejus cautela.

k Luc. 13. 7.

Dei patientia erga peccatores.

Quatuor tempora.

tuor hæc tempora sint quatuor vitæ tuæ partes, quæ vt longa esse potest, ita potest esse breuissima; & fortè tres eius partes iam præterierunt, quartæque finis imminet: & nisi resipiscas, maledicet DEVS iubebitque te abscindi, nulla vlteriùs admissa intercessione. Cogita itaque, quòd hac ipsa hodierna die DEVS maiestatis dicet Angelo diuinæ suæ Iustitiæ executori, tremendam illam sententiam: *succide illam vt quid etiam terram occupat?* emitte hominem istum ex vinea huius mundi & Ecclesiæ: vt quid locum sine vlla vtilitate occupet? Extrahe istam animam ex corpore, quo non vtitur in finem sibi præscriptum. Quid itaque dices miser, cùm huiusmodi sententiam audies, si ad finem quarti anni proferat, quando totam vitam absque vllo fructu peregisti? Quis potenti adeò mandato resistet, si Christus ipse, qui tuus hactenus fuit Aduocatus, fiat Iudex; iubeatque te abscindi? O Saluator benignissimè, præueniat nos vocatio tua, vehemens adeò ac potens; vt re ipsa desideratos fructus proferamus: vt cùm nos vltimo visitaueris, benedictionem tuam potius impertias, transferens nos à militantis Ecclesiæ vinea ad ipsam triumphantem in æternum, Amen.

CAPVT XV.

MEMORIAM VLTIMAE VOCATIONIS AD Iudicium, quod fit in morte cuius q̃, medium esse diuinæ vocationis.

DVPLICIS insignis Vocationis mentio fit in sacro Euangelio: Alterius, quæ fit in vita; & alterius ipsa in morte. Prima vocat a *operarios* ad laborandum *in vinea*; Secunda vocat ad *reddendam laboris mercedem*. Prima fit ad distribuenda Vocationis b *Talenta & Minas*, media videlicet ad vitam æternam procurandam: secunda fit ad b *ponendam rationem cum eis*, vt c *sciat quantum quisque negotiatus fuerit*, vt reddat præmium *fidelibus* ac diligentibus; puniat verò b *malos ac pigros*. Vtriusque vocationis consideratio efficacissimum est medium ad vocationem audiendam, qua nunc temporis vocamur ad pœnitentiam. Nam quemadmodum verum est illud Ecclesiastici: d *in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*: ita etiam est verum, desserturum te peccata, si fueris eadem nouissima meditatus. Ibi enim ita lux cœlestis te illustrabit, vt horrere faciat & odisse, quod in tua morte grauissimum damnum afferret.

VT igitur hanc adeò vtilem considerationem ingrediaris primum, persuadeas tibi necesse est, ad futurum tempus in quo DEVS vltima voca-

a *Matt.* 20. 1. 8.
b *Matt.* 25. 14. 20.
c *Luc.* 19 15. *Vocatio duplex.*
d *Eccl.* 7. 40

tione

tione ad particulare tui solius iudicium vocet. Quæ vocatio adeò est efficax futura, vt resistere illi, aut excusare te non possis; adeò infallibilis, vt impossibile sit eam effugere; adeò occulta ac repentina, vt cùm minimè cogitaueris, sis ad reddendam hanc rationem vocandus. Diuina enim prouidentia statuit, quatuor has mortis circumstantias esse omninò occultas: *diem* scilicet, *locum occasionem* siue causam, ac *modum* ipsius mortis. Vt verè possis tibi persuadere, hodiernam fortè diem fore vitæ tuæ vltimam; & in hoc ipso loco, vbi nunc es, tibi mortem euenturam; & humorem illum, qui nunc in corpore tuo mouetur, fore illius causam; aut iam accelerare id, quod violentam tibi afferet mortem: nec scis an subitò, an cum aliquo temporis spatio, quo ad mortem præparare te possis, vitam tuam sis finiturus. Quæ ita disposuit DEVS D.N. vt omni tempore; in omni loco & occasione aut occupatione viuas tanquã homo, cui est moriendũ: & fortè ipso momẽto morieris. & ad iudicium voceris. Et hoc sensũ dices illud Dauidis: e *notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est: vt sciam quid desit mihi.* Non peto Domine, reuelari mihi annos, quibus in hac vita mortali sit viuendum; non peto huiusmodi reuelationem: quia non expedit mihi, id nosse, quod tu vis mihi esse ignotum: illud autem demisse peto, vt facias me hanc veritatem intimè agnoscere, quòd finem habeam, & quòd anni mei sint breuissimi: *vt sciam, quid desit mihi* ex virtutibus, ex bonis operibus, & necessaria præparatione, ad cõfligendum cum morte: vt in eo mihi comparando accelerem, antequam illa adueniat.

Mortis circumstantiæ incertæ.

d *Psal.* 38.5.

Non reuelatio sed coniunctio quærenda.

Consideratio de Vocatione ad Iudicium.

PRÆMISSO itaque, quod hæc ipsa dies possit esse tuæ vitæ vltima: cogita, te iam in ipsa vltima esse; & Medicum, aut Confessarium, aut alium quempiam amicum, nuncium illum tibi à Deo afferre, quem Isaias ad Regem Ezechiam: a *dispone domui* & conscientiæ *tuæ, quia morieris tu & non viues.* O tristem & amarum nuncium animæ tuæ; si veniat, cùm illa valdè erit suis peccatis adstricta; maleque sibi de necessarijs ad illa fine dolore deserenda prospexit! O te miserum, quid facies in tantis angustijs constitutus? in quibus cùm sit necessariò moriendum, non facilè inuenias modum te præparandi, propter multa quæ adsunt obstacula. sed quæ illa? vis scilicet morbi; cura & solicitudo ea adhibendi remedia; temporis breuitas; anxietas magna ob angustias præsentes; deprauata consuetudo præterita; interna DEI desertio, qui iurè denegare potest tempore mortis deuotionem ei, qui eandem in vita contempsit. Quem itaque exitum incuriæ tuæ in hac occasione sperare potes, nisi quem fatuæ Virgines habuerunt: quæ audientes clamorem illum: b *Ecce sponsus venit, præparate vos: & exite obuiam ei: dum irent oleum emere, venit sponsus*, &

Punctum Primum.

a *Isa.* 38.1.

Quid, si hodie moriendum.

b *Mat.* 25.10

antequam redirent, *clausa est ianua* cœli, & illæ ab sponsi societate exclusæ. Quid tibi proderit, quod lampadem fidei habeas, & spei lychnum: si oleum desit operum bonorum, & ignis Charitatis? neque enim diuino huic sponso obuiam itur extincta lampade; nec accensa externa tantum pietatis specie, sed veræ & solidæ Charitatis operibus. Cautior itaque ex alieno malo esto, & præpara te statim, quemadmodum prudentes Virgines fecerunt: fac in vita, quod tempore mortis factum velles. Expurga conscientiam tuam à peccatis: accende lampadem Fide, & imple dilectionis DEI & proximi operibus, vt cùm tuæ mortis & aduentus sponsi nuncium habueris; ingenti eum lætitia excipias, dicens cum Dauide: c *paratum cor meum Deus; paratum cor meum*, & d *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, eò quòd *in domum Domini sim iturus.*

c Psa. 107. 1.
d Psa. 121. 1.

Secundum punctum.

CONSIDERANDVS est deinde vltimæ huius vocationis modus, quo de tua tota vita reddenda est ratio. Cogita itaque sonare in auribus tuis horrendam illam vocem, malo illi villico factam: e *Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* quasi diceretur; esto memor, te hactenus non fuisse absolutum bonorum, quæ habuisti, dominum; sed villicum meum cum ea obligatione, vt eis iuxta meam voluntatem ac dispositionem vtereris. Tradidi autem tibi quinque genera bonorum tanquam *quinque talenta*, cum quibus tuam salutem negotiareris: bona scilicet *corporalia* & visibilia, quæ ad omnium hominum vsum in hoc mundo constitui; *spiritualia*, quæ sanguine meo comparata in Ecclesia mea collocaui, in omnium animarum commodum; *Naturalia*, quæ corpori & animæ tuæ tradidi cum facultatibus ac sensibus omnibus; *Supernaturalia* gratiæ ac virtutum, quæ per Baptismum adieci: Ac deniq; alia plurima *spiritualia*, quæ tibi iuxta statũ & munus in mea Ecclesia tibi cõmissum cõmunicaui. Omnium ergo horum redde nunc mihi rationem. Dic igitur quomodo rebus huius mundi fueris vsus, diuitijs, delicijs, & honoribus, quos habuisti? quem fructum ex Sacramentis & sacrificijs, ex libris sacris, cõcionibus, alijsque medijs in Ecclesia mea ad salutem tuam procurandam cõstitutis, hausisti. Quomodo corporis sanitatem, ac vires, ingenium, scientiã prudentiã, bonasq; naturæ propẽsiones, & omnes tuas potẽtias collocasti? Quã vtilitatẽ & cõmodum accepisti ex sacri Baptismi gratia, ex Fide, & Spe, quã habebas? ex inspirationibus ad te missis? ex vocationibus, quibus te excitaui, & ad meũ obsequiũ prouocaui? Quomodo denique, & proprium erat status & officij tibi commissi prestitisti? redde omnium istorum rationem: nolo enim te vltrà illis vti, iam rationis hora aduenit, nec amplius mundus iste, aut Ecclesia militans tibi deseruiet: corporis bona tibi eripientur, tuarum potentiarum ad aliquid promerendum vsus est iam finitus,

Quinque talenta.
e Luc. 16. 2.

& exijs, quæ hactenùs gessisti, es iudicandus: ea itaque proter. O miserrime peccator, si ad suauem vocationem, quâ inuitabaris ad pœnitentiã, surdum te præbuisti: quid ad hanc tremendam respondebis? benè poteris dicere, quod nequam ille villicus: *fodere non valeo, mendicare erubesco*: sed non licebit addere: *scio quid faciam*, volo *amicos mihi facere*, qui in hac tribulatione præsto mihi esse possint. Non inquam hæc tua cogitatio in hoc iudicio locum habebit: transijt enim tempus fodiendi; & pœnitentiæ, ac mortificationis operibus vacandi: non inquam est tempus mendicandi, petendo in oratione veniam peccatorum: respondebitur enim tibi, quemadmodum fatuis virginibus. *Nescio vos.* nec locus erit amplius eleemosynas faciendi, quibus facias tibi amicos, qui te recipiant in æterna tabernacula, si enim Deus tibi sit infensus, nullus Sanctorum tibi erit addictus, aut tuus poterit esse Aduocatus. Peruenturus itaque aliquando ad has angustias, audi nunc benevolam vocem te ad pœnitentiam inuitantem: fodias tuũ; conscientiam, vt culparum tuarum terram inde extrahas; mendica absque rubore veniam earum; iam nunc fac tibi amicos & adiutores in hac pressura; vtere nunc benè bonis acceptis, vt læta facie dicere possis Deo: f *quinque talenta dedisti mihi: ecce alia quinque super lucratus sum*: repleat verò tua misericordia, quod hic deest ex mea negligentia.

f Mat. 25. 20

Tertium Punctum.

Perges porrò considerare seuerissimum iudicium, quod instituet Deus de tua vita, præsentibus angelo tuo custode, ac dæmone: illo ob munus tutelæ, & adiutoris ac aduocati; hoc verò ob munus tentatoris & accusatoris. hiad vtrumque tuum latus stabunt iuxtà locum, quem in tua vita illis dederis, si enim peccatis obnoxius viuas, ac diuinæ vocationi resistas: habebis dæmonem ad latus dexterum tanquam victorem, qui potiorem occupat locum: quem etiam in tua morte seruabit, iuxtà illud Dauidis: g *diabolus stet à dextris eius, & cum iudicabitur, exibit condemnatus*; custos verò Angelus manebit ad sinistram tanquam qui à te reiectus, prædæ iacturam fecerit. Contrà verò eueniet, si benè vixeris ac diuinam vocationem audiens egeris pœnitentiam. Nam tunc isti duo loca mutabunt, antequam veniatur ad hoc iudicium: in quo eadem proindè seruabunt. Quamobrem diligenter attende quem nunc locum Dæmoni assignes: non enim postea licebit eo illum spoliare; &, si morte tibi imminente, in eo se latere tuo constitum videbit: dabit operam, vt in hac pressura tibi reddat, q; sano abstulerat. Abstulit enim tibi pudorẽ, vt facilè ad peccatum pertraheret; reddet verò maximum, vt te à confessione deterreat; abstulit diuinæ Iustitiæ timorem, proponens nimiam de misericordia diuina fiduciam: reddet verò tantum diuinæ iustitiæ timorem, vt de obtinenda misericordia diffidas, quasi ad id iam tempus non supereset. Cum

g Psal. 108. 7.

Dæmon reddit quod abstulit.

primum tamen in conflictu illo mortis iudicij telæ exorditur, accusatoris personam induens, ita furiosè te accusabit: vt non satis habeat vera delicta obijcere; sed alia multa excogitabit, quæ ex mera sua malitia te admisisse erit suspicatus.

SED in hoc iudicio, nullius obiectionis ratio habebitur, nisi euidenter & clarè constiterit, rem sic se habuisse. Supremus enim ille Iudex eodem momento, conscientiæ tuæ h *liborum* aperiet, qui eousque fuit clausus: & luce quadam, meridiana clariori i *illuminabit abscondita eius & manifestabit consilia cordium*; & peccata omnia, quę in eo inuenientur scripta, siue commissionis illa sint cogitatione, verbo, aut opere admissa; siue omissionis & negligentiæ, aut etiam ignorantię: simulque apparebit fæditas & grauitas eorum. O quàm stupebit anima tua tot simul culpas cernēs! quàm erubescet & ignominia afficietur, aduertens eorum fæditatem, & grauitatē! quid tunc faciet infælix conscientia: cùm horrendam adeò in se videbit Scripturā? conuertetur aduersus se ipsam, & quæ noluit hic se ipsam sponte accusare, vt absolueretur: ibi se accusabit inuita, vt condemnetur: quia videbit clarissimè iustæ suæ damnationis merita. O quanta agetur rabie, quòd conata non fuerit delere, quòd malè scriptum erat; quòd vocationem Dei non audiuerit, quæ illam ad id perpœnitentiam delendum inuitabat! dele itaque nunc, quod tūc deletum esse velles: scribe autem, quod cuperes esse scriptum. Si enim multa bona opera in hoc libro scripseris, eâdem illâ euidentiâ tibi patefient; vt æquè de illis gaudeas atque de malis affligereris.

Conscientiæ Liber.

Punctum Quartum.

SVPEREST verò, vt sententiam ipsam expendas, quæ in eo iudicio contra te feretur: qua priuaberis omnibus bonis gratiæ & glorię; addicerisq; æternis in inferno tormentis. Tunc insonabit auribus tuis tremenda illa vox: k *Auferatur impius, ne videat gloriam Domini.* Quis aūt illum auferet, autè conspectu iudicis amouebit, nisi Dæmon, qui stat ad latus eius? qui tanquam diuinæ iustitiæ carnifex infelicem & miserrimam animam rapiēs, in æternum conijciet carcerem. Quid autem tunc dicet Agelus custos, nisi idem, quòd dixit de Babylone: l *curauimus Babylonem, & noluit sanari: derelinquamus* ergo te, ac perire sinam. Hoc totum Iudex aspicit, & approbabit, dicens: m *quia vocauit te, & renuisti, extēdi manū meā, & nō aspexisti; & increpationes meas neglexisti; ego quoque in interitu tuo ridebo*: quatenus ille est meæ iustitiæ opus, ad puniendam tuam pertinaciam. Quid ergo infelix anima dices, cùm te à Deo irrideri videbis, cælesti hæreditate priuatam, ab Angelo desertam, à dæmone raptam, & in inferno sepeliri? quid facies in obscurissimum illum ac fœdissimum carcerem ingressa: in quo omnium bonorum penuria, malorum verò maxima est copia? Quid senties, cùm horrendas dæmonum visiones conspicies? cùm damnatorum clamores audies? cùm fellis illius

h *Apoc.* 20. 12. i 1. *Cor.* 4. 5

k *Isai.* 26 10. *iuxtà LXX.*

l *Iere.* 51. 9. m *Prou.* 1. 24.

Dra-

Draconis guſtabis amaritudinem? cum crudelium vermium morſus experieris; illosque ardores ſempiternos, tanges! attende omnia hæc, voces eſſe diuinæ iuſtitiæ, cum eius miſericordia coniunctæ: quibus te ad pœnitentiam vocat, & exhortatur. attende etiã ipſoſmet dãnatos, quodãmodo optare, eas vt voces audias: ne ad ipſos deſcẽdas. vt ſic cruciatũ ſaltẽ illum euadãt, quo ſi eò veneris, afficientur: non quod te ament, ſed quòd eò loci quiſq; ſit ſocij ſui carnifex. Aut dic mihi quid ſibi voluit diues ille Epulo, cũ peti, t ab Abrahã, vt n *Lazarum in domũ patris ſui mitteret fratribusq. ſuis teſtaretur, quæ ipſe patiebatur; ne & illi venirent in eum locum tormentorum?* Iã pater tuus cœleſtis ſancta ſua vocatione tibi ſignificat, ac teſtatur, quæ in inferno patiantur ij, qui tui fuerunt fratres, & aliquando in eius domo, hoc eſt in Eccleſia vixerunt: in qua cùm tu nunc ſis, arrige aures, vt vocationem eius paternam audias, priuſquam horrendam intonet vocationem, quaſi Iudex. O Pater miſericordiarum, Deusque vltionum: concede mihi, vt conſideratione, o *viuens deſcendam in infernum* o ne deſcendam poſt mortem: oſtende mihi & manifeſta clamores eorum, qui horrendas tuas vltiones experiuntur: vt illi ſint mihi efficax vocatio, quæ excitet me ad magnas tuas miſericordias procurandas, Amen.

Inferni clamor ad pœnitentiam.

n *Luc. 16. 27.*

o *Pſal. 54. 16.*

Vt autem timor in amorem conuertatur, expendes etiam vltimò ſententiam, quæ pro iuſto fertur, dicente illi iudice molliſſima ac dulciſſima voce. p *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.*: vbi laborem tuum remunerabo, quem ſuſcepiſti in bono vſu quinque talentorum, quæ tibi commiſi: & pro viſibili iſto mundo, quem deſeris, ad ſuperiorem alium te deducam innumeris bonis plenum, abſque vlla admixtione mali. Et pro Eccleſia militanti, quam deſeris, quæ locus eſt conflictus ac periculi, collocabo te in triumphanti: vt ſumma pace, æternaque ſecuritate fruaris. & propterea quòd naturalibus corporis & animæ bonis benè fueris vſus: animam ipſam ita glorificabo, vt omnia eius bona deſideria expleam; & ſuo tempore etiam corpus reddam, clariſſimæ gloriæ dotibus exornatum: ob virtures, quæ iucundum in te locum habuerunt, præmia reddam ſingularia; ob *Fidem*, reddam clarum & apertum meæ diuinitatis conſpectum; ob *Spem*, vltimi tui finis poſſeſſionem; ob *Charitatem*,, eleuabo te ad feliciſſimam ſummi boni fruitionem: qua ſummo gaudio poſsideas omnia bona abſque vllo ea amitendi timore; propter *obedientiam*, qua vocationi meæ, inſpirationibus, ac præceptis meis paruiſti: pretioſiſsimas dabo coronas, quæ præteritos labores incomparabiliter ſuperent; ac denique quia, quæ tui erant *ſtatus* ac muneris, exacte præſtitiſti: ſtatum tibi dabo beatum, omnibus bonis

Punctum Quintum.

p *Mat. 25. 21.*

Anima beata præmium.

in tanta

q 1. Cor. 2. 9. in tanta copia, tantaque eminentia repletum, vt q *nec oculus viderit: nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit*, quod in eis latet. O felices labores talibus præmijs renumeratos! ô beatam pœnitentiam, cuius finis est tanta gloria! cur non velociter, prompteque Dei vocationi acquiescas, te inuitantis ad tua peccata deserenda, cùm non aliud per eam intendat, quàm te ad sublimium adeò bonorum possessionem euehere.

CAPVT XVI.

TIMOREM VLTIMAE TRIBVLATIONIS in mundi fine futuræ eorumque considerationem, quæ tunc euenient, diuinam esse vocationem.

2 Mat. 24. 21. EXPRESSA est Christi D. N. sententia & assertio, quod a *tribulatio* in fine mundi, quando ipse ad eum iudicandum est venturus, adeò sit futura *magna, qualis non fuerit ab initio mundi vsque modo, nec* vsque ad eiusdem finem *fiet*. Quare nec tribulatio illa tempore diluuij, nec Sodomę, aut Ægypti cum suis omnibus plagis, nec ipsius Ierusalem, cùm fuit deuastata, nec vlla alia possit aliqua ratione cum vltima futura comparari. Nam quemadmonum DEVS D. N. primo suo aduentu ad mundum redimendum, peccatoresque reconciliandos, qui ex ipsius redemptione fructum caperevellent, thesauros suæ misericordiæ aperuit. Ita idem Dominus in secundo suo aduentu, iræ suæ thesauros manifestabit, ad eundem mundum puniendum; & vindictam sumendam de rebellibus peccatoribus, qui erectum semper in templo animæ suæ habuerunt abominationis idolum, hoc est peccatum: cuius causa vastabuntur, ac tribulationis illius furore destruentur. Eam tribulationem explicauit Christus D. N. in sancto suo Euangelio fusissimè, tanquam efficacissimum diuinæ suæ vocationis medium: vt nos ad Sanctum iustitiæ suæ timorem, vitæque nostræ emendationem permoueret, & ad proijciendum in terram idolum illud tantæ eius calamitatis causam permoueret. In quem etiam finem eam prędicabat, docebatque S. Paulus & reliqui Apostoli, & post eos etiam SS. Patres & Ecclesiæ Doctores. Et esto huius vltimæ tribulationis memoria non sit apud aliquos adeò efficax, existimantes, eam in ipsorum diebus nõn futuram: tamen (vt S. Gregorius ait) quot sunt, qui illius quidem tentationis tempora non videbunt; in quam tamen sunt omninò immensi: quia multa in se ipsis experiuntur, quæ tunc euenient? Et quamuis necdum venerit Antichristus: tamẽ? vt ait Apostol. b *mysterium iam operatur*

Aduentus Christi duplex.

Matt. 24 per totum.

Act. 24. 24.

Lib. 29. Moral c. 6.

b 2. *Thess.* 2. 7.

iniqui-

iniquitatis in multis: ac proinde etiam ea damna operatur, quæ tunc euenient. Quare ita debes hanc tribulationem meditari ad excitandum in te diuinæ iustitiæ timorem; vt simul partem illam eius examines, quam nunc temporis in ea habes: vt per pœnitentiam studeas eam à te repellere, antequam ex temporanea tibi fiat æterna.

Hæc tribulatio tria complectitur tremenda supplicia, quæ superuenient peccatoribus: vnum est Draconis Luciferi malorumque eius Angelorum; alterum est Antichristi & peruersorum eius ministrorum; tertium est spectabilis huius mundi eiusque creaturarum.

§. 1. *Luciferi persecutio.*

SVPPONENDVM hic est, Christum D. N. (quemadmodum ait S. Gregorius multique alij Patres) in die Passionis ac mortis suæ realiter ac verè eiecisse ex hoc mundo, tenebrarum Principem Luciferum, qui alio nomine appellatur Sathan, Draco, & Serpens antiquus, qui tentauit ac vicit Adamum & Euam in paradiso; imò & ipsum Christum D. tentauit in deserto, eiusq; morti interfuit: cuius tamen sanguinis virtute in carcerem coniectus, ac horrendis in abysso inferni catenis adeò est constrictus: vt nunquam ipsemet inde sit ad homines tentandos, fructumque prædicationis Euangelicæ impediendum exiturus. Et quamuis Dæmones aliquos reliquerit, qui in mundo versarentur, omnesque exercitij causa tentarent: eisdem tamen ita manus ligauit, vt non possint tantùm nocere, quantùm ipsi vellent: &, si permitteretur, possent. Quamobrem S. Augustinus, æquè grauiter ait, eum delinquere, qui ab hoc hoste vincitur; atque eum, qui ad rabidum canem alligatum tam propè accedit, vt ab eo lædatur: qui nisi accessisset, læsus non fuisset: sic enim dæmon, quamuis tentatione sua allatrare possit, non tamen mordere, aut quenquam mactare, nisi libere ijs, quæ ipse suggerit, consentientem. Ad finem tamen mundi CHRISTVS Dominus Noster draconem hunc è carcere illo liberabit permittetque ex inferno prodere, & per se ipsum homines tentare, ac nocere quantum poterit peccatoribus, qui ipsius tentationibus sese dediderint. Cuius ira adeò erit horrenda, & persecutio furiosa; vt, nisi idem DEVS D. N. tempus illi ad sic nocendum præscriberet, a *non fieret salua omnis caro*. Sed misericordia diuina tempus illud tribulationis ita limitabit, vt sesqui quartũ annum non excedat: & qui sunt electi eam tolerare, & lucrum commodumque ex eadem habere possint. Sic enim persecutio illa nouum quoddam erit peccatorum supplicium, ad iustitiæ diuinæ in rebelles seueritatem manifestandam: vt simul sit electorũ probatio, in quibus diuinæ gratiæ efficacitas manifestetur: & vt omnes aduertamus, quãto nunc bono fruamur ob IESV Christi sanguinem, cum draco ille vinctus & ligatus in infer-

S. Greg. li. 4. Moral. c. 13. & li. 32. c. 12. Ioan. 12. 3. Nunc princeps huius mundi ejicietur foras. Vide Riber. in Apoc. 20. & Viegas. ibidem Sect. 2. Apoc. 20. 2. Matt. 12. 29.

Dæmonis fracta potentia.

Dæmon sesqui quartum annum. Matt. 24. 22.

no teneatur. Si enim etiã ligatus tantam stragẽ per suos ministros alios dæmones in mũdo edidit, quemadmodũ apparet in tot Gentibus, Mauris, Iudæis, Hæreticis, improbisq; Christianis, qui se ipsi prostrauerunt: quantam edidisset, si ipsemet liber fuisset! ac porrò quantam facturus est, cùm liber erit? id enim significat vox illa cælestis: b *væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam: sciens quod modicum tempus habet*, scil. ad nocendum. Sed hæc adeò tremẽda vox Dei est admonitio: vt tibi statim consulas, aduertens, num Sathan *operatus sit* in corde tuo *mysterium iniquitatis*. id enim facit, soluendo carnis passiones, quæ sunt dæmones voluntarij, & omnium vitiorum instrumenta. Quare si nosse velis, quando Sathan liber aut ligatus sit tibi, id deprehendes ex iis, quæ in te facit passio gulæ, luxuriæ, iræ & similium: si enim hæ ligatæ sunt, frænoque rationis continentur: signum est, dæmonem tibi esse alligatum; diuinamque misericordiam eum in carcere continere, ne tibi noceat: quòd si illæ effrenes sunt, signum est, hostem ipsum tibi esse solutum; quia iam *mysterium operatur iniquitatis*, siquidem eum effectum iam in te effecit, quẽ operabitur in mundo, quando dimittetur ex inferno. Quid igitur facies miser, videns in templo cordis tui *idolum desolationis*, quòd est peccatum? Quoraodo non timebis, ne Deus Sathanam contra te soluat, permittens dæmonibus, vt aggrediantur, deijciantque te in alia innumera vitia, donecte omninò deuastent? cur tu non te ijs opponis, & vastare contendis eos, qui te vastare conantur? & cur non tu fortiter alligas passiones, quæ tantam audaciam & potestatem crudelibus tuis hostibus faciunt? o mundi Saluator, qui manus tuas crudelibus funibus alligari permisisti, & in cruce clauis durissimis configi: per hæc tua vincula supplex oro, vt manus Dæmonis ita alliges, vt liceat mihi eas fugere, & euadere: &, quando quidem c *fortem hunc armatum iam alligasti, eiusq; spolia* abstulisti; ad tuam gloriam spectabit, ligatum adhuc illum tenere, tuáque gratiã me adiuuare, vt eius ego tyrannidem euadam.

b *Apoc.* 12. 12.

Resistite diabolo.

c *Luc.* 11. 22.

§. 2. *Persecutio Antichristi.*

SECVNDA horrendæ huius tribulationis causa erit Antichristus, quem Apostolus a *hominem peccati & filium perditionis*, appellat: *qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur* DEVS: *ita vt in templo Dei sedeat, ostidens se tanquam sit Deus*: cuius aduentus erit in virtute Sathanæ, tanq; homo peccatis omninò immersus, omniq; vitiorũ generi deditus, Luciferi ipsius suggestione deductus ac directus, vt homines a veri Christi Fide abducat. Nam quemadmodũ Saluator noster suo aduentu mundũ expugnauit, peccatoresque conuertit, triplici eos funiculo trahens, *promissione* scil. regni cœlestis ac bonorũ spiritualium; *minis* inferni æternæque damnationis; ac viuis & efficacibus *rationibus*, quæ doctrinæ suæ veritatem, virtutis pulchritudinem, ac vitiorum fœditatem aperte patefacerent: quæ omnia ad-

2 *Thess.* 2. 3.

Tres funiculi Christi.

eò stupendis verisque prodigijs confirmabat; vt manifesto essent testimonio eius diuinitatis ac sanctitatis. Ita Antichristus persecutionem suã excitabit, expugnando, & ad se trahendo homines triplici alio funiculo, diuitiarũ scilicet, voluptatum, honorum, aliorumque temporalium bonorum *promissione*; *minis* horrendorum cruciatuum ac suppliciorum in eos, qui ipsum sequi detrectauerint; ac *rationibus* Sophisticis titulo iustitiæ & sanctitatis obductis, quas falsis miraculis prodigijsque adulterinis, adeò apparentibus confirmabit: vt, quemadmodum ipse Saluator dixit, b sufficerent, vt (si fieri posset) etiam *electi in errorem inducerentur*. quæ tribulatio propterea erit maximè terribilis, quod olim, etsi Marryres cruciatus, & tormenta paterentur, tamen ipsi miracula facerent: sed Antichristi tempore (quemadmodum Sanctus Cyrillus alijque Patres asserunt) ipse carnifex miracula faciet, Martyr verò cruciatus & tormenta patietur: quamuis electis non sit lux cœlestis defutura, ad miraculorum illorum falsitatem discernendam, & animum in tantis tribulationibus & calamitatibus resumendum.

Tres funiculi Anti-Christi.

b *Matt.* 24. 24.

S. Cyrill. Hieroso. Catches. 15. *S. Greg. l.* 31. *Moral. c.* 13 *S. Isidor. l.* 1 *de summo bono c.* 8.

TRIPLICI hoc amorum genere vincet mundanos homines Antichristus: quæ arma significata sunt per c *Spiritus tres immundos*, quos vidit S. Ioannes *prodire de ore Draconis, & ore bestiæ in modum ranarũ*. Antichristus enim eiusque ministri loquaces erunt, & garruli: totamque vim suam collocabunt in verborum eloquentia, & specie miraculorum potiùs quàm in rationum veritate ac soliditate. & ita innumeros post se trahent peccatores, quemadmodum licet conijcere ex strage ab Antichristis, qui ipsum tanquam figura & vmbra ipsius præcesserunt, edita. Nam quemadmodum idem Sanctus Ioannes dicit: d *multos Antichristos factos iam esse*, quales fuerunt Nerones, Diocletiani, alijque Tyranni, Ecclesiæ persecutores; quibus tamen Hæresiarchæ præferuntur, quales Arius, Lutherus, Caluinus & alij, qui falsis argumentationibus crudele illi bellum indixerunt, magnamque hominum huius mundi partem ad se traxerunt. Et hodie sunt etiam multi Antichristi laruati, qui tanquam hostes crucis Christi D.N. crudele occultum bellum illi continuè mouent. Tibi verò nominatim Antichristus censendus est, quicunque à verò Christo te trahit aliquo ex prædictis titulis & motiuis. cuius persuasioni si cesseris: iam in te signum recipis, & imaginẽ Antichristi, æmulando quod is facturus est tanquã caput peccatorum, qui eius sunt membra. Ac propterea dicitur e *operari* in eis occultũ suę *iniquitatis mysterium*. Quapropter meritò timere debes sententiam contra eum latã, f *qui characterem bestiæ acceperit*, quod scil. *bibet de vino iræ Dei*, nullà admixtâ eius misericordiâ, sed multis admixtis fæcib⁹, varijsq; ac puris vinis tremendæ eius iræ: & *cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorũ Sanctorum, & ante conspectum Agni, nec requiem habebit die ac nocte*. Accedetque

Antihristi prodromi.

d 2. *Ioan.* 2. 18.

Antichristus particularis.

e 2. *Thes.* 2. 7.

f *Thom.* 3. *p. q* 8. *a.* 8. *Apoc.* 14. & 12.

maior illa confusio, quòd videbis te talia tormenta pati in conspectu eorum, qui vehementer optarunt te præuenire, vt ea euaderes, offerentes etiam tibi veniam. Quamobrem diligenter attende, quid S. Ioannes dicat: *hic patientia Sanctorum est*: hic lapis lydius est, in quo patientia dignoscitur virtusque Sanctorum: qui nec promissionibus, nec minis aut rationibus cedunt Antichristi & ministrorum eius. Cogita diligenter cuius membrũ esse velis, & cuius imaginem accipere: an Christi, quæ est eius crux cum vitæ sanctitate? an Antichristi, quæ est superbia cum culpæ fœditate? O Saluator dulcissime, tuam imaginem volo, promissionem accepto, minas timeo, rationes amplector, & veneror miracula. His armis oppugnabo peccatum; tuoque hosti resistam, confidens, de tua omnipotentia, quòd vincam tandem infernalem eius furorem.

Patientia Sanctorum.

§. 3. *Mundi turbatio.*

TERTIA horribilis illius turbationis causa erit mundi ipsius omniumq; eius creaturarum cõfusio & perturbatio, à Dei Sapientia & Iustitia ita constituta ad puniendos peccatores, eò quòd illis abusi fuerint: *a pugnabit* enim (vt Sapiens dixit) *cum illo orbis terrarum contra insensatos*, vt vindictam sumat de ijs, qui aduersus eum rebellarunt. Tunc b *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*: eò quòd illi intellectum suum admissis erroribus obscurârunt; lucemq; oderunt, vt liberiùs peccare possent: c *luna conuertetur in sanguinem*: quia illi voluptatem suam peccatorum sanguine defœdârunt; b *virtutes Cœlorum mouebuntur*, vt supplicijs prodigiosis malos puniant, qui Dei obliti, virtutum regnum destruxerunt? b *stellæ cadent de cœlo* tanquam fulmina aduersus eos: quia ipsi à Fide ceciderunt; gratiæque splendorem amiserunt, immergentes se in culpæ abyssum. In aere tremenda erunt tonitrua, horrendæ ventorum tempestates; eò quòd illi permiserint se vanitatis vento furijs q; passionum abduci. In terra tremores erunt ac terræ motus horrendi: eò quòd illi nullã in bono firmitatem habuerunt; sed præ timore deleuerunt, ibi timentes, vbi nõ erat quod timerent. feræ frement & vlulabunt adeò, vt horrorem & timorem illis incutiant: eò quòd ipsi bestiarum mores secuti ab hominum ingenuitate degenerarunt. Tunc implebitur, quod Sanctus Ioannes dixit de septem Angelis habentibus septẽ phialas in manibus suis plenas iræ Dei: quas cùm effunderent in terrã, d *factum est vulnus sauum & pessimum in homines. Mare fiet* tanquam *sanguis, & mortuus omnis anima viuens in mari*; similiter *flumina & fontes fient* sicut *sanguis*, vt aliunde potum non inueniant, quàm sanguinem, *qui sanguinem iustorum effuderunt. Sol quoque* ignis radios ex se emittit, & *æstu illos affliget*, vt vehementer *æstuent*, & eorum viscera adurantur. In aere terribiles strepitus, voces que tremendæ audientur; decidentque grandines & sexa

a *Sapi.* 5. 21.
b *Matt.* 24. 29. *Luc.* 21. 25
c *Ioel.* 2. 31.
d *Apoc.* 16. & *infrà.*

ingen-

ingentia, quæ illos veheementer iacent, oriaque communuant cùm adeò vehementi illorum sensu, vt *proprias linguas* mordeant, & *manducent præ dolore*, & impatientia rabida, *blasphemantes Deum cœli habentem potestatem super has plagas*, quibus illos adeò possit affligere. Hæc omnia euenient impœnitentibus peccatoribus. & quamuis tanta illa tamque horrenda sint, de eis tamen dicit ipse Saluator: e *initium dolorum hæc*: & veluti punctum quoddam, & solum initium eorum, quæ toleranda supersunt, quæ erunt infinita. Denique à quatuor mũdi partibus ignis veniet, qui comburet eos, & in cineres rediget; consumetque omnia pretiosa terræ: qui ignis perseuerabit, donec, postquam illi surrexerint; dies ipsa iudicij eos comprehendat, & vltima sententia in eos prolata, tanquam turbo eos rapiet, proijcietque in infernum, cuius sunt æterna tormenta: eò quòd obstinatè voluerint in suis peccatis ęternùm hærere. Quis non timebit te ó Rex gentium? quis audebit ex aureo Babylonis calice bibere, credens se bibiturum calicem vini indignationis iræ tuæ? quis aures suas obduret ad diuinam tuam vocationem, intelligens, venturam super se horrendam adeò tribulationem, quæ vel ex auditu solo, ingentem incutiat metum? O sol Iustitiæ: ne, quæso, obscureris mihi, aut meas tenebras cessès illustrare, vt luce tua illustratus, ex eis exire cupiam. O virgo sanctissima, pulchra vt Luna: ne mihi conuertaris in sanguinem, tractesque me pro meritis, eò quòd ex tua misericordia fructum capere non studuerim! O virtutes cœli, quæ ad errorem incutiendum modisque prodigiosis peccatores puniendos mouebimini: mouemini nunc, vt sancto me timore perterreatis, qui mei sit remedij principiũ. O anima mea, attẽde, te in medio huius tribulationis versari; & omninò submergẽdam, nisi peccatum deponas, quod eius est causa. Attẽde f *Deum non despicere* Sacrificium *spiritus contribulati, cordisq; contriti & humiliati*: quòd si nũc ei offeras, euanescet ipsa tribulatio, cessante culpa, propter quam illa immittitur: & quando *præ timore* imminẽtis periculi *arescent*, alij tu *caput eleuabis* cum magna lætitia ob *appropinquantem redemptionem*, quam speras. Acquiesce cœlestiq; tui Magistri consilio, dicentis: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt; & stare ante filium hominis*: ne in eius iudicio confundamini; sed honoremini, præmiaq; recipiatis ob præstitam præceptis & consilijs eius obedientiam.

Initium dolorum. e *Mar.* 13. 8.

f *Psalm.* 50.

Luc 21. 26. 36.

RELIQVA omnia, quæ in hoc vniuersali Iudicio peccatoribus euenient (quæ fusius expendimus in prima parte Meditationum) efficacissima sunt ad nos excitandos, vt vocationi diuinæ obtemperemus. Tuba, quę mortuos excitabit, vt surgant, & in iudicio illo cõpareant, cuius voci nullus poterit resistere; miserrimum corpus, quod ei dabitur, qui, vt illi indulgeret, diuinæ restitit vocationi; ipsius Iudicis aduentus cum vexillo crucis, emittens

iræ radios per loca vulnerum in eos, qui fructum ex eis capere noluerunt: separatio eorum à bonis, qui fuerunt oues Christi, eiusque vocem audiuerunt: qua separatione ad sinistram Iudicis constituentur, qui vocem illius audire neglexerunt; promulgatio delictorum ac rebellionum, vt ad omnium notitiam perueniant; horrenda Dæmonis accusatio, & propriæ cuiusque conscientiæ; asperrima Iudicis reprehensio; vox vltimæ sententiæ, qua, illos à cœlo repellens, ad ignem damnabit æternum; eiusdem sententiæ executio in conspectu omnium Iustorum, nullo eorum subsidium eis ferente, aut pro eis intercedente; quod terra ipsa aperiatur, viuosque trajiciat; & ita claudatur in æternum absque vlla spe Deum videndi, nec seà tot tormentis expediendi: hæc inquam omnia voces sunt & clamores te excitantes, & prouocantes, vt ostendas te ouem esse Christi pastoris æterni, obediendo ipsius voci, & amplectendo quæ iubet ac inspirat, vt peccati statum dimittas. Si enim hoc feceris, sors tua mutabitur; dabiturque tibi corpus glorioſum & splendens; collocaberis ad manum Iudicis dexteram; manifestabuntur opera tua bona, & pœnitentiæ, quas propter mala fecisti; blando & iucundo te aspiciet vultu; honorabit coram angelis & hominibus; compellabit te dulcissima illa voce, qua omnes iustos vocabit. venite benedicti Patris mei: possidete regnum vobis præparatum ab origine mundi: ac demum cùm ingenti honore secum deducet ad cœlum empyreum, vbi immensæ gloriæ thronum tibi constituet, vt infinitis bonis fruaris, quibus ipse fruitur. O Pastor supreme, qui tuam vitam pro ouibus posuisti, vt eas ab æterna morte infernique lupis liberares: ouis tua esse cupio, vocemque tuam audire, & vitam imitari: admitte me, quæso, ad veram pœnitentiam, vt in die vltimæ rationis reddendæ merear ad tuam dexteram collocari, & ad regnum tuum tecum ascendere, vbi te fruar in æternum; Amen.

CAPVT XVII.

PECCATORES ORATIONIBVS ET MISERICORDIÆ OPERIBUS OBTINERE POSSE EFFICACEM SUAM VOCATIONEM & CONFESSIONEM.

QVAMVIS exploratum sit, peccatorem ex iustitia, nec vocationem suam, nec vitam gratiæ promereri posse; quia Dei inimicus nihil facere potest, quod apud ipsum sit meritorium: æquè tamen certum est, ex diuino auxilio posse aliqua opera facere, quæ Theologi dispositiones remotas appellant, quibus disponit se, vt DEVS benignè & misericorditer ipsum vocet efficaciter, oportunè

scilicet

scilicet cor eius tanto lumine, talibusque rationibus ac circumstantijs illustrando, & afficiendo; vt ipse reuera vocationi tali consentiens conuertatur. Pro cuius rei maiori declaratione supponendum est discrimen inter Vocationem; quæ dicitur SVFFICIENS, vt possint conuerti; & eam, quæ appellatur EFFICAX, qua re ipsa ille conuertitur. Prima enim erigit quidem caput, excitatque motus sensaque bona interna ad conuersionem: Secunda verò eandem sequitur, & assequitur, liberum eius consensum tandem obtinendo; Prior solet aliqua desideria producere conuersionis, qualia habuit ORPHA: posterior hæc producit opera, obices remouet, difficultates vincit, donec homo, reipsa conuertatur: quemadmodum fecit RVTH. illa præuenientibus inspirationibns vocat conuiuas, viresque confert, vt, si velint: ad conuiuium veniant: quòd si se excusent, co nniuetillis, ac in profundo prauarum excusationum illos relinquit; Hæc verò non solùm eos vocat, sed quodammodo a *compellit intrare*, & mensæ accumbere, suaui quadam efficacitate efficiens, vt nunc ament, quod prius horrebant; Illa monet Sodomæ flammas fugere, quemadmodum b *Loth locutus est ad generos suos, dicens: egredimini de loco isto.* sed illi exire noluerunt; quia *visus est eis, quasi ludens loqui.* Hæc apprehendit manũ nostram, quemadmodum Angeli *apprehenderunt manum Loth*, nosque educit ex ea, ne cum impijs pereamus. Illa denique generatim nobis aperit prouidentiam DEI erga omnes homines, quæ *Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: Hæc verò aperit specialem eiusdem prouidentiam erga suos electos, d *ne quisquam eos rapiat de manu eius*; aut à fine excidant, ad quem sunt creati. Hanc gratiam adeò excellentem licebit negotiari aliquibus actionibus, quas ipsemet DOMINVS inspirat, vt ad eam recipiendam disponaris: Quarum actionum præcipuum locum obtinent duæ illæ, quæ Cornelij Centurionis conuersionem impetrarunt; cui dixit ANGELVS: e *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu* DEI.

Peccatoris dispositio.

a *Luc.14. 23*

b *Gen.16. 14 16.*

Gratia efficax.

c1.*Tim 2.4*

d *Ioa.10.28*

e *Act.10.4*

§. 1. *Oratio.*

PRIMVM exacuenda tibi est fides & fiducia de misericordia diuina, & humili ac perseuerante oratione orandum, vt vi tanta te præueniat, vt mutet cor tuum, suoq; obsequio perfectè subijciat: Quod si CHRISTVS Dominus Noster ostenderit se, quasi non audiat, & dormiat: excitandus est orationum ac suspiriorum clamoribus, quemadmodum a *Apostolieum suscitauerunt: in naui dormientem*, cùm vi tempestatis in periculo pereundi versarentur. Amplectere Sancti Ambrosij consilium dicentis: *non expectes, vt excitet te Christus; sed potius tu Christum excita.* quasi diceret, ne soli Christo efficacis tuæ vocationis, & conuersionis negotium

a *Mat.8 28. In id. Ps.36. Os iusti meditabitur sapient.*

relin-

Christus excitandus.

relinquas: sed vtens inspirationibus & ordinarijs auxilijs, quibus ille prius te præuenit excitatq; : da operã, vt eundẽ tu importunis orationibus iterum excites, vt efficaciora, quæ cupis auxilia ab eo impetres : dicesque cum Dauide: b *Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuiscéris inopiæ meæ? quoniam humiliata est in puluere anima mea: conglutinatus est in terra venter meus: exurge Domine, adiuua me: & redime propter nomen tuum.* Ter ei dicit exurge, vt ostendat, quàm instanter petat, ob necessitatem, qua premitur auxilij diuini, ad tres veræ pœnitentiæ partes quibus integra & perfecta culpæ venia obtinetur. Allegans ex parte sua debilitatem propriam & miseriam; ex parte verò Dei diuinam eius gloriam & omnipotentiam.

h *Psal. 43. 23.*

Ne verò existimes, quando ita se Dominus erga te gerit, atque si dormiret, eum ægrè ferre, quod his clamoribus excitare ipsum contendas, & ad eius fores pulsando sis importunus. memor esto illius parabolæ, qua te voluit ab hoc errore præseruare? c *Quis* (ait) *vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi amice; commoda mihi tres panes, quoniã amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum; & ille deintus respondens dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possũ surgere, & dare tibi. Etsi ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgẽs, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget & dabit illi quotquot habet necessarios: & ego dico vobis: petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.* Quid amplius potuit Saluator noster afferre, vt tibi persuadetet, quàm sibi sit gratum, quòd in tuis necessitatibus ad ipsum pro remedio confugias? quemadmodum fusius deduximus in alio loco. Sed hoc ipsum nunc ad nostrum institutum applicando: quis (inquit S. Augustinus) est hic amicus, qui nocte ad tuam domum accedit, nisi ipsa anima tua? quæ cum lethali aliqua culpa est vulnerata, vagatur extra se per creaturas, sed ad vocationis diuinæ pulsum desiderans conuerti, domũ ingreditur cordis tui: quam decet hospitio excipere, cibumque offerre, eò quòd, sicut filius ille prodigus, valdè esuriat; cuius famem nisi pro eius voto saties, peribit. Sed quid facies, si panem nõ habeas, quem proponas? confugiendum omninò est ad domum IESV CHRISTI, veri publicanorum & peccatorum amici, quos ex animo cupit iuuare. pulsa ad eius ianuam clamoribus orationis, pectorisque tunsionibus, quemadmodum ille publicanus, accommodatus petens tres panes, tres scilicet pœnitentiæ actus; panem *Contritionis*, ad peccata deflenda; *Confessionis*, ad eadem ita confitenda, vt verè remittantur: & *Satisfactionis*, ad pœnas pro eis debitas exsoluendas. Offeres verò (si tibi hos panes commodauerit) te multis obsequijs eos

c *Luc. 11. 5.*

Deus ama importunos.

Ducis spirit. Tract. 1. c. 5. Serm. 27. e Verb. Dom. S. Bern. Ser. de Rogation.

Tres panes.

exso-

exsoluturũ. Quod si misericors hic Saluator asperiore te vultu respexerit, & quemadmodum Chananææ dixerit. d *non esse bonum sumere panem filiorum & mittere canibus*: nõ debes animum propterea abijcere, nec à pulsando cessare: vult enim, te importunè agere; vt, quod tibi expedit, obtineas. Quod si perseueraueris, ipse surget ad subueniendum tibi; dabitque tres petitos panes, & quotquot fuerint necessarij, ad tuam salutem & perfectionem. & licèt eos non det, eò quòd sis amicus: quia quamdiu in peccatis manes, potius es inimicus: ait ipse, daturum se eos tibi ob tuam improbitatem, & fiduciã, quã in ea ostẽdis; dicetque tibi quod Chananææ: e *ô anima magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*: accipe quod petis; estoque sana, sicut cupis. Pete itaque à cœlesti tuo Patre hos panes confidenter. si enim e *parentes petentibus filijs panem, non porrigunt lapidem*: neque ipse lapides tibi porriget duritiei & obstinationis, sed panem mollẽ cordis contriti ac teneri; & *spiritum bonum*, quo desinas esse malus. Quod si contra hoc suggesserit pusillanimitas, cæci illius testimonium dicentis: f *scimus quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit*. respondebo tibi cum S. Augustino, illud fuisse dictum cæci cuiusdam non omninò satis instructi: si enim Deus peccatores non audiret, frustrà Publicanus dixisset: g *Domine, propitius esto mihi peccatori*. Item Christus D. N. (ait S. Chrysostomus) vniuersim dixit: omnis qui petit, accipit, siue iustus sit siue peccator. Verum quidem est, Deum non exaudire peccatorem, pertinaciter in suo peccato permanere nec euitare volentem occasiones deprauatæ suæ vitæ: is enim reuera non orat, sed tantum in specie: de quo Salomon, h *qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*, & repelletur. Si autem cupias peccatũ deserere: Deus orationem tuam audiet, qua petis auxilium, vt talis voti compos fias: quia ipsemet tibi inspirat, & ad petendum inducit.

d *Matth.* 15. 26. 28.

e *Luc.* 11. 11. 13.

Peccatores an Deus audiat?

f *Ioan.* 9 31. *Tract.* 44. *in Ioan. Post mediũ to.* 9. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 8. *a.* 16.

g *Luc.* 18. 13. *Homil.* 18. *imperfect.*

h *Pro.* 28. 9.

§. 2. *Iustorum & Sanctorum Orationes.*

1. *Iusti implorandi.*

QVOD si adhuc times, tuas orationes non exaudiendas; quære patronos, qui tibi adsint, tuamque causam agant: pete à viris iustis & feruentibus, quos nosti, vt pro te Deum orent. Scimus enim, S. Stephani orationem impetrasse efficacem Sauli vocationem; & Sanctam Monicam suis & aliorum SS. virorum orationibus conuersionem impetrasse filij sui S. Augustini: estque par credere plurimùm iuuisse ad conuersionem RVTH, afflictæ Noëmi orationem, dicẽtis: a *faciat vobiscum Dominus misericordiam*. magnus (inquit S. Ambrosius) est Deus noster, qui aliorum meritis, alijs ignoscit, vitæque Iustorum approbatione, peccatorum dissoluit errores. & propterea S. Iacobus Apostolus dixit: b *Orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio Iusti assidua*.

a *Ruth.* 1. 8. *Lib.* 5. *in Lu.*

b *Iac.* 5. 16.

2.

SVNT præterea solicitè quærendæ Sanctorum, qui in cœlo sunt, pre-

Sancti invocandi.

ces; qui omni dubio procul feruentissimè orant pro peccatoribus, qui sese illis in terra commendant. Si enim adhuc in mortali hac vita manentes, periculis pleni, & aliorum pro se orationibus indigentes, id præstabant; quantò melius id faciunt in cælo, vbi nulla necessitate, aut periculo laborant. &, si Ieremias post mortē suam, cùm esset in Limbi carcere, continuè & c *multum orabat pro populo*: quanto magis orabunt Sancti ab illis carceribus liberi, Deoque in paradiso deliciarum fruentes. Non sunt sancti, sicut d *Præpositus* ille *pincernarum Pharaonis, qui succedentibus prosperis oblitus est interpretis* amici *sui*, quem reliquerat in carcere; nec obliuiscentur nostri, qui simul nobiscum fuerunt vincti: quia eorum prosperitas non imminuit Charitatem; sed lucrum potiùs reputant, quòd ex peccatorum nostrorum compedibus liberati, æterna requie cum ipsis fruamur.

c 2. Macab. 15. 14. d Gen. 40. 23.

3. *Serm. 35. de Sanctis. B. Virg patrocinitū*

PRÆ omnibus autem quærenda est tibi Sacratissimæ Virginis intercessio quæ (teste S. Augustino) eò solicitiùs & efficaciùs hoc præstat officium, quò est omnibus sanctis melior, eò quòd sit mater, Aduocata, & patrona peccatorum, ac præcipuum filij sui instrumentum, quo ille ad eos vocandos & iustificandos vtitur; applicando eis propter ipsius orationes, copiosæ redemptionis suæ fructum. In cuius rei testimonium voce ac verbo ipsius virginis fecit Verbum incarnatum primam vocationem, primamque peccatorum remissionē, quam in hoc mundo peregit; cùm scilicet præcursorem suum Ioannem iustificauit. Et ob eiusdem intercessionem fecit primum illud opus, & prodigiosam mutationem aquæ in vinum: quemadmodum suo loco perpendimus. Quis enumerare poterit conuersiones & stupendas mutationes, quas noster Saluator ad suæ matris preces perfecit? & quis non est expertus eius intercessionis efficacitatem, si ad eam confugit confidenter? per te ô Virgo gloriosa, ait S. Bernardus, cœlum habitatoribus repletur, infernus verò spoliatur: omnibus misericordiæ tuæ sinus aperis, vt omnes de tua plenitudine aliquid accipiant: captiuus, redemptionem; infirmus, sanitatem; tristis, consolationem; peccatores, veniam; iusti, gratiam; angeli, lætitiam; Sanctissima Trinitas gloriam: Filij persona, carnem humanam. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, & per te benigna manus Omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit; hominem reparans, qui perierat. *Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui inuocatā te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Et siquidem omnes, tuas misericordias sunt experti, cantent omnes tuas laudes.* Hæc Sanctus Bernardus, experientiæ cuiusque Beatissim. Virginis fauorem & præsidium remittens, quod in ea inueniet, si ad eam seriò recurrerit. Ne itaque diffidas peccator, quin obtinere possis, quod intendis. Nam si tua peccata deterrent, ne ad ipsum CHRISTVM Seruatorem nostrum accedas eò quòd etiam sit Iudex:

Joan. 2. 8. Par. 2. Med. 1. & P. 3. Medit. 9. Serm. 2 de Pent. & ser. 4 de Assum.

ad ma-

ad matrem recurre, quæ non Iudex est, Sed Aduocata. Ac propterea ait Sanctus Anselmus, per eam citiùs animæ tuæ salutem impetrabis, quàm si ad solùm eius filium accederes: cuius iustitia retrahere solet misericordiam, ne statim concedat quod petitur à peccatore, vtpote eius indigno: At mater, ad quam non spectat iudicare, sed patronam & aduocatam esse, ita suis precibus vrget, vt præualeat misericordia Iustitiæ, dimittatque ad ipsam confugienti. *l.ib. de excel.Virg.c. 6.*

Expedit tamen obseruare, quid acciderit in duobus prodigijs, quæ Christus D. N. per matrem suam est operatus: Nam ad primum ipsamet Virgo ex inspiratione Dei contulit se in domum Zachariæ, non vocata neque inuitata; in altero autem & vocata fuit, & inuitata ad nuptias: vbi statim atque vini defectum cognouit, compassione permota, ad filium accessit, vt prouideret. Quid autem hæc varietas aliud tibi insinuat, quàm vt cognoscas duplicem modum, quo beatissima Virgo fauet, adiuuatque sibi deuotos. Interdum enim ipsamet proprio motu, nec vocata accedit, ad miserias tuas reparandas; & in domum tuam ingressa suis te replet misericordijs: Interdum verò vocari vult, & inuitari; pijsque orationibus & obsequijs, excitata in te magna erga ipsam deuotione, ad tuam domum deduci. Quòd si tali in eam pietate affecto, euenerit ob tuam imbecillitatem, vt amoris Dei vinum aut Spiritus feruor deficiat, adeò ipsa est pia mater, vt causam tuam apud filium agat; vt aquam in vinum, cordisque frigiditatem in Charitatem inflammatam conuertat, ad tuam debilitatem & miseriam reparandam. *B.V. vult subinde inuitari.*

Intercessio denique Sanctorum Angelorum est procuranda, qui nos custodiunt, nostramque salutem sibi habent commendatam; & (vt Apostolus loquitur) sunt e *administratorii spiritus*, ad eam nobis procurandam. Nam etsi suum officium ipsi curent diligenter; par est, te non negligere tuum; sed eos orare, vt suam diligentiam accelerent. Hi sunt Angeli, qui te, quemadmodum f *Loth ex Sodomis*, deducent ex mundo ne in eius igne pereas: Hi te, quemadmodum g *Cornelium Centurionem*, monent, vt medicũ aduoces, qui possit animam tuam sanare. Hi aduolabunt ad te, quemadmodum h *Isaiam*; purificandum: quando tuorum peccatorum fœditatem illis aperueris, cum desiderio, vt ab eis munderis. Et quamuis sint Seraphini in diuinis laudibus decantandis occupati, libenter tamen accedunt ad peccatorum labia purganda: quò dignè possint eadem laudes cum ipsis cantare. Nam quò magis ipsi amore diuino ardent, eò magis desiderant reliquos omnes eodem amore ardere. *SS. Angelorum intercessio*

e *Heb.1.14.*

f *Gen.19.4. 16.*

g *Act.10.5.*

h *Isai.6. 7.*

§. 3. *Eleemosynæ & operæ misericordiæ.*

ORATIONI adiungenda est socia eius Misericordia & Eleemosyna, quæ ab ea procedit; cui sæpè attribuit Scriptura sacra admirandos effectus ad peccatores conuertendos, ad peccata remittenda, & à morte æternaque damnatione liberandos. Salomon enim dicit: a *per misericordiã & fidem purgari peccata*: b *ex misericordia ac veritate redimi iniquitatem.* nõ quod hæc proximum sit Antidotum, expellens prauos eos humores; sed quia Syrupi instar cor disponunt ad veram contritionem, quæ illos expellit, obtinendam: estque instar pretij, quo peccata remittuntur. Et S. Senex Tobias præclarum illud filio suo dedit consilium: c *quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude: quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat & non patietur animam ire in tenebras* inferni: Id q; Angelus Raphaël confirmauit, dicens: d *quoniã eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam.* Et hoc nomine S. Daniel dixit Nabuchodonosori Regi: e *Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis Deus,* euades que pœnas, quas Deus propter illa tibi minatur. Quæ omnia memorabilibus hisce verbis S. Augustinus est complexus; Misericordia ad Deum dirigit hominem; Deumque deducit vt habitet in homine: quid enim Christum incarnauit, nisi misericordia? quid eum subiecit nostræ miseriæ, nisi sola clementia? O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnouit! O infinita misericordia, quæ sola potuisti trahere hominem de cœlo ad terram, & hominem de exilio ad regnũ erigere! ô magnum misericordiæ vinculũ, quo Deus ligari voluit, & potuit; & homo ligatus, vincula iniquitatis suæ dirumpit? Hoc lignum est, quo Moyses aquas dulcorauit; hoc est sal, quo Elisæus aquarũ sterilitatem sanauit; hæc est farina, qua idem Elisæus mortem, quæ in olla erat, extirpauit; hoc est oleum, quod Samaritanus infudit vulnerato; hęc aqua Iordanis, qua curatur lepra Naaman Syri. Amate ergo fratres mei misericordiam: quia nunquam vidi pium hominem mala morte finiri. Hæc S. Augustinus, cuius testimonium & experientia magni facienda est, vt credamus, misericordiam impetrare efficacem vocationem, & ante mortẽ conuersionem, ne misericors pereat in æternum. Nam f DEVS (vtait Dauid) *in die mala liberabit eum: qui intelligit super egenum & pauperem,* curamque eorum habet: & Christus Seruator noster dixit: g *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Beatus eris, si alienarum miseriarum senseris compassionem: quia DEVS tuarum miserebitur. Si infirmos visitaueris, DEVS te in tuis infirmitatibus visitabit; si vestieris nudos, ipse suis gratijs & virtutibus

te in-

a *Pro.15.27*
b *cap.16.6. Eleemosyna disponit ad conuersionẽ*
c *Tob.4.8.*
d *c.12.9.*
e *Dan.4. 24.*
Serm.6.ad fratr.in Heremo.
» *Misericordiæ encomium.*
» *Vide in Prato spir.t.c. 175.exemplũ Zenon. Imperat.*
f *Psal.40.1.*
g *Matt.5.7*

te induet; si peregrinos hospitio exceperis in domo tua, excipiet te ipse in cœlo si captiuos redemeris, ipse te redimet ex inferno; si mœstos fueris cõsolatus, consolabitur ipse te in tuo mœrore; si illatas tibi ab alio iniurias condonaueris, Devs peccata condonabit, quæ admisisti; efficaciterque vocabit, vt veram instituas pœnitentiam. Hæc fuit vna ex præcipuis dispositionibus, qua Rvth suam conuersionem impetrauit; vt ex verbis deducitur ipsius Noemi ad nurus suas: h *faciat vobiscum Dominus misericordiã, sicut fecistis cum mortuis & mecum.* ita Hieronymus obseruat scribens ad Sanctam Paulam. Noemi, inquit, fugiens famem in terram Moab, maritum amisit, & duos filios, quæ cùm esset ab omnibus suis deserta, Rvth tamen Moabitis nunquam voluit eam dimittere. Attende, quanti fuerit meriti, desertam illam consolari: propterea enim id promerita est, vt ex eius genere Christus nasceretur. Exaudiuit Deus pauperis ac desolatæ Noemi orationem, exhibens Rvth, quæ eius miserta fuerat, misericordiam: scriptum est enim i *desiderium pauperum* & orationem *exaudiuit Dominus.* Et quoniam pauperes duplex habere solent desiderium: alterum proprij remedij, alterum vt retribuat Deus ijs, à quibus ipsi subsidium & solamen acceperunt: vtrumque exaudit cœlestis Pater, inspirans alijs, vt ipsis subueniant; & illos remunerans si fecerint. Et quamuis pauper ipse pro Eleemosynam sibi faciente non oraret, k *ipsamet* (ait Ecclesiasticus) *in corde & sinu pauperis concluſa exorabit* pro facientem illam, *vt liberetur ab omni malo.*

Non tamen absque mysterio adiecit Noemi in sua precatione verbum illud, *sicut fecistis cum mortuis*: quia si misericordiæ opera viuentibus exhibita multum valent, ad placandam Dei iram: non minus valent, quæ defunctis exhibentur, in eorum corporibus sepeliendis, ad sepulchrum deducendis, & eorum animabus per suffragia adiuuãdis: vt à Purgatorij pœnis liberentur. Eò enim maior censetur misericordia, quò maior est miseria afflicti, & minus potest ab ea se liberare. Et quoniam defuncti suas miserias per se non possũt reparare, nec ab alijs petere, vt subueniant: insignis est misericordia, ad eam reparandam accedere; & valdè impellit ipsum D. N. ad nostras reparandas, iuxta quod Rex Dauid iussit significari viris Iabes Galaad: l *benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiã, eo quod feceris verbum istud.* Quare etiam est credendum, ipsas animas, quorum corporibus hanc misericordiam exhibemus, & multò adhuc magis, si ipsismet aliam exhibeamus, liberando eas ex purgatorio, ostensuras se nobis gratas, orando supplices ipsum D. N. vt eius misereatur, qui illarum est misertus. Quamobre m ait Scriptura: m *Sanctam esse & salubrem cogitationem pro defunctis exora-*

Ruth misericors.

h *Ruth. 1. 8. Epist. 25 ad Paulam.*

i *Psal. 9. 17.*

k *Eccl. 29. 15*

Suffragia pro defunctis.

l *2. Reg. 2. 5*

m *2. Mach 12. 46.*

re, vt à peccatis soluantur: non solum ob ingens bonum, quod illis procuramus; sed etiam quod nobis inde prouenit. Festinate (ait Sanctus Augustinus) orare pro defunctis Ecclesiæ, vt & illi festinent procurare, vt ipsis in gloria coniungamur. Si erga mortuos erimus misericordes, mala morte non peribimus: quia DEVS nos proteget in hac vita; & postea deducet ad æternam.

Serm. 44. ad Fratres in Eremo.

§. 4. *Qualis debeat esse misericordia, & quòd à propria anima sit inchoanda.*

SED fortè solicitos nos reddet, quod historia Sacra præsupponat, afflictam NOEMI pro vtraque nuru RVTH & ORPHA Dominum orasse, eò quòd vtraque misericordiam fecerit cum ipsa, & cum defunctis; & tamen sola RVTH conuersionis misericordiam est consecuta; altera verò redijt ad suam idololatriam. quòd si tantùm potest exhibita misericordia, & pauperum, in quos illa exhibetur, oratio: vndè proueniet, in aliquibus peccatoribus bonum sequi exitum, in alijs non item? Huic occultæ adeò grauique difficultati sufficienter liceret respondere ex illa solemni ac decantata S. Augustini sententia, dicentis: magnam esse diuinæ gratiæ laudem, quòd nullus ad Christum veniat, nisi Pater cælestis eum traxerit. Sed nisi velis errare, abstine ab eo iudicio: Cur DEVS hos trahit, illos non trahit; & cur hos potius quàm illos? Accipe semel hoc salutare consilium: &, si non te traxit, ora Deum, vt te trhat: & benè tuum negotium expediueris. quasi diceret: nè temerè examinare audeas, cur DEVS D. N. efficaci vocatione quosdã peccatores vocet, potiùs quàm alios? quia facilè in abyssо occultorũ eius iudiciorum submergeris: sed ingressus abyssum peccatorum tuorum supplex ipsum ora, vt te efficaciter vocet & ex illis educat. Agnosce & confitere, Deum esse misericordem, vt omnibus det quod ad conuersionẽ illis sufficit; absq; vlla verò iniustitia non exhibere aliquibus speciales fauores, quos ex mera sua gratia alijs exhibet. Et iure optimo noluit DEVS D. N. facere legem infallibilem, & regulam generalem conuertendi oẽs peccatores eleemosynarios, aut Sanctorum aliquorũ deuotos: quia facilè hinc acciperent multi occasionem in suis peccatis perseuerandi, cum ea fiducia, quòd ad vitæ finẽ essent ab eis liberandi, quod in graue detrimentũ cederet honoris Dei, eius Sanctorum, & reliquarũ virtutum, atq; ipsius misericordiæ. Nam qui verè est misericors, quemadmodum cõpatitur alienis miserijs, ita debet proprijs, & multò adhuc magis spiritualibus, quàm corporalibus: cùm illæ sint sine comparatione maiores, iùxta Ecclesiastici sententiã dicentis: a *miserere animæ tuæ placens Deo.* hoc est, si conscius sis, quod anima tua deciderit ex gratia Dei: miserere ei ob adeò magnam miseriã; & stude illã ab ea liberare, eam à tali culpa mundãdo. Quamobrẽ dixit S. Augustinus: eos qui liberiorem vitam ducunt, nec adhibent curã emendandi

Occulta Dei iudicia circa vocationem efficacẽ Tract. 26. in Ioan. 6. Noli iudicare, si non vis errare.

Charitas sit ordinata.
a *Eccl. 30. 24.*
In Enchrid. c. 7. 75.

vitia sua, & interim tamen multas faciunt eleemosynas, frustra existimare se esse securos, propterea quod Christ⁹ D. Pharisæis dixerit: b *date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*: quasi sola eleemosyna absq; fide & charitate posset animam expurgare. quamobrem vt huius Christi D. promissionis sint participes, necesse est, eleemosynam ordinatè incipere à se ipsis; exhibendo illã in primis animæ suæ. hæc enim spiritualis eleemosyna hominẽ purgat, ex qua vim suã & valorẽ accipiunt, quæ alijs pauperibus exhibentur. Ex quo fit, vt, qui suis eleemosynis confidens, est in suam animã crudelis, permittens illam in sua culpa hærere: non possit esse securus, quòd obtinebit à Deo misericordiã. Et vt hoc incommodũ Daniel auerteret, dum suasit Nabuchodonosori, vt c *peccata sua eleemosynis redimeret*: non promisit absolutè eorum veniam; sed sub aliquo dubio: *forsitan* (dicens) *ignoscet tuis delictis* DEVS: ne scil. ob spem, quam in eleemosynis collocaret, vellet in suis delictis hærere. Imò valdè timendum est; eum qui deprauato adeò animo eleemosynam facit, non esse verè misericordem; sed in specie solum; quærentem potius honorem proprium, quàm diuinum, sicut illi qui eleemosynam facturi, d *tuba prius canebant*, vt inani ostentatione sese cõmendarent: de quibus Christus D. N. dixit: quod *recepissent mercedem suam*: qui enim gloriam potius ab hominibus quærunt, quàm suorum peccatorũ veniam à Deo: non mirum est, si DEVS in eisdem eos hærere permittat. Et fortè propterea ORPHA non est misericordiam consecuta, quemadmodũ RVTH: quia eius misericordia non fuit syncera, sed tantùm in specie, pauculas lacrymas in præsentia NOEMI fundens, & propensionem aliquam ostendens eam comitandi, quam tamen mox solã deseruit. quod genus misericordiæ non excitat in Deo commiserationem: potiùs de ea conqueritur dicens per Prophetam Oseam: e *quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra, quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens*. quasi diceret: incipitis ostẽdere vos misericordes in pauperes, velleq; in eos effundere vestrarũ eleemosynarũ rorem, & pluuiam: sed citò nimis facti pœnitẽtes, cessatis, vestræ vtilitatis intuitu, sicut nubes & ros qui solis ardore statim dissoluũtur. qualis itaque vestra est misericordia erga proximos, talis erit mea erga vos. Nam instar nubis & roris copiosam meorum donorum pluuiam vobis dedissem: nisi obstaret vestra culpa. Examina itaque frater, quem habeas misericordiæ modum, iuxtà prædictas regulas: &, si verè vitam mutare cupis, sentis verò debilitatem & difficultatem in eo, stude rectà intentione exercere opera misericordiæ, vt DEVS debilitatis tuæ misereatur, detque tibi veram animæ tuæ misericordiam, & vires, ad eam ex miseria sua per opera pœnitentiæ educendam.

Ex dictis intelligi potest, quàm periculosum obicem ponant efficaci

diuinæ

b *Luc* 11. 41.

c *Dan.* 4. 24.

d *Matt.* 6. 2.

Misericordia sit syncera.

e *Osee*, 6. 4.

diuinæ vocationi, qui ſtruthionis viſcera erga ſuos proximos gerunt: eam enim cordis duritiem, quam oſtendunt in exaudiendis pauperum clamoribus, punit Deus D. N. permittendo eandem ipſos habere duritiem in audiendis inſpirationibus diuinis, & vocibus Concionatorum, ita vt obſurdeſcant ad illas, eaſque ita conculcent, donec aridi omninò & ſaxorum inſtar duri fiant ad actiones omnes pias; & ſic in mala ſua vita pertinaciter perſeuerent, donec eos mors occupet. Cuius rei tremendum exemplum habemus in illo infelici Nabal Carmelo, à quo Dauid in extrema cibi neceſſitate conſtitutus, aliquod ſibi ſuisque ſubſidium petiit, allegans multa bona, quæ ei feciſſet in deſerto: quod tamen Nabal ei negauit, addens etiã verba in Dauidem iniurioſa, dicens: f *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? tollam ergo panes meos & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* in quo reſponſo ignorantiam aperuit & ſtultitiam iuxtà nominis ſui ſignificationem: quemadmodum prudens Abigail eius vxor poſtea Dauidi dixit: Nabal enim inſipientem ſignificat; & quidem valdè fuit inſipiẽs, qui Dauidem non nouit; à quo tot bona acceperat; quemadmodum eius famuli & agnouerunt, & faſſi ſunt: quia excæcati non erant paſſione auaritiæ & crudelitatis, quemadmodum ipſe herus. Quem tamen paulò pòſt diuina iuſtitia comprehendit: ſiquidem in ſuæ crudelitatis pœnam, *emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis, & poſt dies decem percuſſit eum Dominus, & mortuus eſt.* Hoc ipſum itaque ſuo quodam modo euenit diuitibus huius ſeculi; illiſque omnibus, qui à ſua cupiditate & crudelitate raptati, cum non agnoſcunt, qui per os pauperis & egeni petit eleemoſynam, verum ſcilicet Dauidem Ieſum Chriſtum Seruatorem noſtrum, quemadmodum ipſe aſſeuerauit, dicens: g *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis: & quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* mihi, ait ipſe, denegas eleemoſynam, quam petenti pauperi non tribuis; Mihi, qui te ex nihilo creaui, qui tibi dedi quicquid habes, & idem conſeruo; mihi, qui ſum murus, tuarumque rerum omnium protector in huius vitæ deſerto, ſine cuius protectione omnia tibi deficerent: cur ergò me nõ agnoſcis? cur tantis beneficiis ingratum te præbes? cur mihi ita inurbanè reſpondes, dicens meis pauperibus iniurias: qui mei ſunt, mihique incumbit, eos ſuſtentare? quomodo qui adeò es effuſus in tuis facultatibus expendendis ob tuam voluptatem & vanitatem, & erga tuos domeſticos: adeò es parcus & auarus ad faciendam eleemoſynam iis, qui in domo mea neceſſitate premuntur. an non ex tuorum conuiuiorum ſuperfluis poteras meos pauperes ſuſtentare? Sed quandoquidem cor lapideum erga eos geris: cor tuum emorietur intra te, fietque ſicut lapis tuâ culpâ induratum. pœnæ non tibi incutient timorem, quo humilieris &

f 1 *Reg.* 25. 10. 37.

g *Matth.* 25. 40. 45

Immiſericors indurat tur.

ſub

subijciaris; sed stuporem, quo omninò abijcias animum; & viuens rebus terrenis, eris tanquam mortuus & absque corde ad cœlestes: donec in tua duritie moriaris, & gratiæ vitam in æternum amittas. O supplicium horrendum! *ô iudicium sine misericordia iis, qui non faciunt misericordiã!* ô cæci insipientis Nabal imitatores, *si sciretis donum Dei, & quis sit, qui in ipso paupere vobis dicit*, sicut Samaritanæ: *da mihi bibere*: daretis ei procul dubio quicquid peteret: & tunc tantundem ab eo petere posſetis, *ipseq; daret vobis aquam viuam*, quæ vestræ cupiditatis ignem extingueret, animæque maculas elueret, centuplum vobis reddens eleemosynæ sibi datæ. Nam pro gratiarum actione, quod pauperis vocem audiuistis, vocabit ipse vos tali vocatione, vt eam audiatis, & pro eleemosyna bonorum terrenorum, copiosissimam faciet vobis bonorum cœlestium.

h *Iacob. 2. 3.* *1 Ioan. 4. 10.*

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM RATIONVM, OB QVAS DEI vocationi sit parendum: & solutio inanium excusationum, quas ignaui & pusillanimes pro se afferunt.

MEDIORVM, quæ ex nostra parte adhibentur, ad vocationem diuinam ita audiendam, vt efficacitatem suam reipsa habeat, suauissimum & efficacissimum est attenta & profunda rationum, quas ad id hactenùs adduximus *Meditatio*. Quæ rationes ex se ipsis sunt adeò fortes, vt absque vllo dubio intellectum conuincant, & voluntatem permoueant eius, qui magno spiritu bonoque desiderio eas perpenderit. Quod quia non fit, innumeri sunt, qui diuinæ vocationi resistant, ac pereant. quod sensit Ieremias Propheta, cùm dixit: a *desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est, qui recogitet corde*, quia scilicet non incumbunt seriò, cum attentione & affectione cordis, vt cogitent mala, quæ patiuntur; remedia, quæ habent; voces que Dei vocantis, vt eos ab eis liberet. Si enim cum Spiritu hæc recogitarẽt, adesset lux cœlestis, tales in eis sensus efficiens, vt eorum corda mutare valerent. Vt itaque eas rationes aptè noueris meditari, earum summam hic tibi proponemus, in sex puncta distributas: quis videlicet sit *Dominus*, qui vocat; & quis *tu*, qui vocaris; ad *quid* voceris; & qua *ratione*: quàm deindè sint leues & inanes *excusationes*, quas adfers, ne DEI vocationem exaudias: ac denique *damna*, & incommoda, quæ ex non audita tibi prouenient.

Meditatio peccatori necessaria.

a *Ierem. 12. 11.*

Sex considerationes.

§. 1 *Particularis quatuor harum rationum consideratio.*

PRIMVM itaq; considera, eum, qui te vocat esse Deum, sapientiam infinitam, amatorem ẽternũ, immensum, omnipotentem, infinitè bonũ,

Primum punctum. Quis vocatur Deus.

pulchrum, ac diuitem: qui si te ad suum obsequium vocat, nõ id facit, quòd te indigeat; sed quòd tu ipso indigeas: ipse verò delectatur cum benè tibi facit: quia ipse bonus est. Qui te vocat est creator, qui ex nihilo te condidit; Pater, qui tibi dedit, vt esses; Redemptor, qui proprio sanguine te redemit; prospector omnium, quæ ad tuam vitam sunt necessaria; Magister qui tuas ignorantias discutit; Medicus, qui tuis medetur morbis; Iudex, qui te in hora mortis est iudicaturus; ac denique Rex, qui te sit remuneraturus, aut puniturus pro meritis. Quid igitur magis est rationi consonum, quàm *creaturam*, sui creatoris vocem audire; *filium*, parentis; *seruum*, Domini sui; *egenum*, eius, qui necessitati possit subuenire; *discipulum*, sui magistri; *infirmum*, sui medici; *reum*, sui iudicis & *subditum*, sui Regis: à quo & præmium & pœna æterna dependeat? quòd si hoc adeò est rationi consentaneum: quàm eidem aduersabitur, quòd illius Domini voci obsurdescas, in quo tot sunt nomina ac tituli, quibus verè obstringaris, vt illum audias? si *ouis*, (quemadmodum Christus Dominus ipse dixit) cùm sit animal rationis expers, proprij sui pastoris vocem audit, eumque præcedentem sequitur: cur tu homo ratione præditus vocem Dei, tui proprij, ac veri pastoris nõ audis, nec ei statim pares, vt facias quicquid tibi præcipit? & si (vt ait Ieremias) b *perdicum pullus*, quem falsa mater incubans eduxit, cùm primùm veræ matris vocem & illicem audit, ficta matre relictâ, eam sequitur: tu qui falsis illecebris per tyrannidem à Dæmone detineris, cur non audis IESV Christi veri tui Patris vocem, falso & fraudulento prædatore relicto? pudeat itaque te, lumine rationis & fidei illustratum, non facere quod aues illæ instinctu solo naturæ faciunt: disce ab eis supremi huius Imperatoris vocem audire, quem audiunt, & obediunt Angelorum Hierarchiæ. est enim infinitè dignus, cui infinita obedientia, si ea esset possibilis, obediatur.

b *Iere*, 17. 11.

2. *Punctum* c *Mat.* 18. 12. *Luc.* 15. 4. *Quem! Peccatorem*

Hvic obligationi noua alia accedit ex vilitate eius, quẽ DEVS dignatur vocare. si enim attentè desideres, quis sis, inuenies, ex te ipso c *ouem* te esse scabiosam, turpem, & à reliquo grege *errantem*, absq; proprij pastoris protectione, ab infernalibus lupis circumdatam, qui fame & siti insatiabili animam tuã deuorare, & sanguinẽ exhaurire contendunt: à quorum rabido & furioso ore proprijs viribus te non possis liberare. Es veluti *drachma*, siue nummus cœlestis Regis imagine cusus: adeò tamen defædatus & obscuratus, vt solus, qui te creauit, reformare possit, primæq; figuræ & pulchritudini restituere. Es deniq; *homo* quidã quoad spiritum pauper, infirmus, claudus, & cœcus, Dæmonis mancipium, peccatorum tuorum catenis constrictus, & secundùm præsentem iustitiam, ad inferni tenebras damnatus manibus pedibusq; solidissima obstinationis catena adstrictus, libertate & spe amissa inde in æternum exeundi. Et quamuis sis talis, sicut iam dixi, lo-

co pœnæ, quam es promeritus, dignatur vocare te semel & sæpiùs ad suum obsequium. Quomodo ergo prætermittes, eius vocationi parêre, nisi adeò es excæcatus, vt propriam miseriam non agnoscas? *O d surdi* (ait DEVS per Isaiam) *cur non auditis? ô cœci, cur non intuemini ad videndum? sed quis cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios misi? quis cæcus nisi qui venundatus est*, & tradidit se *peccato*, cùm teneretur *seruus esse Domini*? Tu es ille cæcus, nisi necessitatem, in qua es constitutus, agnoscas; & tu idem es surdus, nisi vocem huius Domini audias, qui vult tibi subuenire.

d *Isai.* 42. 18

ET nisi omninò sis cæcus, tertiam rationem considera, ad quantam scilicet felicitatem te vocet, & aduertes quanto beneficio, gratiaque te afficiat, cùm dignatur vocare. Vocat enim ad gratiæ vitam, ad virtutum pulchritudinem; ad pacem, quæ exuperat omnem sensum; ad Spiritûs diuini gaudium, & ipsummet Spiritum S. accipiendum, qui habitet in te tanquam protector & consolator tuus, & tamquam sponsus animæ tuæ. Vocat etiam vt membrum fias viuum Ecclesiæ, particeps meritorum IESV CHRISTI, eiusque Sanctorum; ad cænam regiumque conuiuium, quod iustis instituit DEVS. Et vt dignè cænæ illi adsis, nuptili, hoc est charitatis veste te induet: dabit oculos viuæ fidei, feruentium affectuum pedes ac vires ad heroica sanctitatis opera præstanda. Et quid vis amplius? etiam vocaris ad hæreditatem cœlestem, ad societatem Angelorum, ad claram ipsius Dei visionem, & fruitionem ad ingressum in gaudium Domini tui, & bibendum vsque ad satietatem de torrente voluptatum eius. Ac denique ad omnia bona possidenda, quæ præparauit DEVS diligentibus se; quæ adeò sunt copiosa & magna, vt neque oculus viderit, neq; auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit, quàm sit excellens eorum magnitudo. Et quandoquidem tam es addictus proprio bono, ostende hunc tuum animum, respondendo vocationi, quæ fons est adeò grandium bonorum.

3. *Punctum Ad quid? Gratiam & gloriam.*

NEC minus alliciet te ad respondendum huic vocationi, si modos perpendas quibus vocaris. Nam ipsemet DEVS descendit de cœlo, vt te *quæreret*, quasi nullam aliam præter te ouem haberet: *vultq; te imponere in humeros suos* adeò *gaudens*, vt ab *amicis, & vicinis* petat sibi *congratulari*, quòd te inuenerit. Et quamuis tibi sit iucundum in tui pastoris humeris portari, ipse tamen haud dubiè sensit onus adeò graue, vt fecerit ipsũ flectere, vitamq; in cruce exponere. Cur ergò nõ sinas te à tã bono pastore portari? eius oculi te ducũt, pedes portant, manus tenẽt, humeri sustentant, suoq; collo tanq̃ torquẽ coniũgit, honori sibi tribuens, q̃ te eo afficiat honore: vt & tu honorẽ tuum reputes, quòd eum sequaris, qui suũ reputat, quòd te vocet: Attende etiã quot faces accẽderit, vt per mille vias te quæreret, per miracula, exẽpla

4. *Punctum Luc. 15. 4 Quomodo? Per se ipsũ.*

sermones ac libros variis deniq; illustrationibus tenebras tuas illustrando. Quoties ad ostium tuum pulsauit, aduersitatibus tam proprijs, quàm aliorum ad te excitandum? quot beneficiorum catenas in te coniecit, vt ad suũ obsequium pertraheret? Quot benevolas inspirationes in cor tuum, vt illud emolliret, est iaculatus? Quid igitur est, quòd necdum te illi dedas, & ad præstandum, quod petit, subijcias? si vilis aliquis homo esses & abiectus, Rexque terrenus te vocaret, vt in aula sua & propria camera illi seruires, magna tibi offerẽs stipendia; gratiasque promittens magnas: fortunã procul dubiò tuã hic agnosceres, & in momento, quod tibi proponeretur, amplectereris: quantò igitur maior fælicitas tibi est reputãda, quòd talẽ te DEVS, & Dominus talis te vocet, & ad rem tantã vocet? si hoc non intelligis, dico, te non esse *hominem*; si non magni, vt par est, æstimas, dico, te esse *bestiam*; quòd si contemnas: quid dicam, nisi quòd videaris esse *dæmon*. si enim aliquid hominis habeas, nec Dæmon cordis tui dominium acceperit, cedes procul dubiò firmis adeò rationibus, summæque fælicitati tribues, quòd requirat DEVS obsequium tuum in domo sua.

§. 2. *Contra pigrorum excusationes.*

CVM ea, quæ diximus, ita se habeant, quam excusationem afferre poteris, ob quã diuinæ vocationi non acquiescas? & quamuis ex prædictis oẽs, quas afferre possis, solutæ maneant ac refutatæ, audi tamen quid tibi dicat Sapiẽs, per cuius os Spiritus S. loquebatur: *f appropia te ad me indocti, & cõgregate vos in domũ disciplinæ. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his* quæ hactenùs vobis dixi, quas excusationes afferre potestis? *animæ vestræ* aridissimæ sunt, *sitiunt q; vehementer* rorẽ cælestẽ. *Aperui os meũ & locutus sum*, vt vos doceã: *comparate vobis sine argento & collũ vestrum subducite iugo*, obediẽtes meis consilijs: *suscipiat anima vestra* libenter *disciplinam* & adhortationes meas: *in proximo est enim inuenire eam*, modò seriò & ex animo quærere velitis. *Videte oculis vestris*, & exemplũ in me capite: *quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem: operamini opus vestrum* antequam *tempus* elabatur; *& dabit vobis mercedem vestram in tempore suo*. Hæc sunt Spiritus S. verba per os huius Sapientis, quæ omnia sufficientes sunt rationes ad cõfutandas tuas excusationes; & te permouendũ ad quærẽdam veram sapientiam, gratiã scil. & amicitiam Dei. Audi itaq; insipiens, si cupis talem esse desinere: appropia ad Deum, qui est vera lux, vt suâ te gratiâ illuminet; ingredere domum disciplinæ, quam S. Augustin. dicit esse Sanctam Ecclesiam: in qua tanquam in aliqua Vniuersitate & Scholis cœlestib⁹, Sãctorum scientia prælegitur, quæ consistit in vera fide, & inflammata Charitate, cum cæteris virtutibus, quæ sanctum faciunt habentem. Quam scientiam si discere refugias, cedo, quę sit causa? si dicas, tibi non esse magnopere necessariam, nam tibi sufficere cor-

f Eccl. 51. 31.

Opusc. de dom. disciplinæ.

poris

poris bona: Ignorantia tua clamat contra te; & animæ tuæ ingens ſiccitas teſtimonium profert, quòd huiuſmodi temporalia bona non ſatis ſint ad tuum explendum deſiderium: Quod (vt ſupra ſatis oſtendimus) vacuum erit ſemper & inane, niſi quæras æterna bona. Si proferas quod non ſit tibi argentum & aurum, aut aliæ facultates ad præſtantiſſimam eam gratiam comparandam: reſpondet tibi Magiſter ipſe: ſe gratis, & ſine vllo g *argento* eam tibi daturum: nec tuas facultates, ſed voluntatem tantum, liberumque conſenſum tuum requirere; & ſatis ſibi eſſe, quod audire eum velis, eique parere. Quod ſi adhuc obijcias, magno tibi labore longoque tempore opus eſſe ad cœleſtem hanc ſcientiam addiſcendam: Sapiens ipſe hanc deceptionem retegit, dicens: *in proximo eſt inuenire eam*, modò *collum tuum* eius obedientiæ *iugo ſubijcias*, teque ſuo exemplo ſecurum facit, ac certum, dicens, *quod modicum laborauerit, & inuenerit multam requiem*. Idem verò tibi h eueniet, cũ dicat Sapientia ipſa incarnata, h *iugũ ſuũ ſuaue eſſe, & qui illud tulerit ſuper ſe, inuenturum requiem animæ ſuæ*. Quod ſi tandem adijcias: ſufficiens tibi tempus ſuppetere ad eam comparandam, eò quòd vita ſit longa & quocunque tempore ad Deum te conuerteris, te ab ipſo recipiendum. hanc adeò temerariam ſententiam reiecit ipſe Sapiens vltima ſententia, qua libro ſuo finem imponit dicens: *operamini opus veſtrum ante* quàm *tempus* elabatur: & *dabit vobis* DEVS *mercedem veſtram in tempore ſuo*. Quaſi moneret: attende, quòd nullum opus adeò ſit tuum, atque propria ſalus, ad quã aſſequendam conditus fuiſti: ad id viuis in terra: ſi hanc negligas, fruſtra laboras: & licèt totum mundum lucreris, parum tibi proderit, niſi illam aſſequaris. Ad hoc autem opus peragendum huius vitæ tempus tibi conceditur: niſi ergo in eo opere labores, & occuperis, tempus amittis dignusque es, qui vita priueris. Cùm ergo neſcias, quamdiu illa ſit duratura; iurè teneris totum eius tempus in hoc opere expendere: quo enim ampliùs in terra laboraueris, eò erit merces tua copioſior in cœlo. Denique ſi adhuc in adferendis excuſationibus perſiſtas, nec rationibus & ſolutionibus allatis des locum, citò tuæ pertinaciæ damnum experieris: DEVS enim non rationibus ſed flagellis; non argumentis, vt te conuincat, ſed ſupplicijs, vt confundat, reſpondebit. Et eueniet tibi, quod inuitatis ſe excuſantibus ad cœnam euenit: contra quos grauiter iratus paterfamilias iurauit, quod i *nemo virorum illorum qui vocati erant cœnam eius*. Nam, vt ait S. Gregorius, qui non accedit ad Deum quando vocatur: fortè cùm acceſſerit, repelletur; & experietur in ſe horrendas illas diuinæ Sapientiæ minas: k *quia vocaui & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, aduenietque tempus, quo *inuocabitis me, & non exaudiam: ſed in interitu veſtro ridebo*. Nam cæli l *ianua clauſa* dicam vobis, quod fatuis Virginibus: *Neſcio vos*.

g *Iſa.* 55. 1.

h *Mat.* 11. 30

i *Luc.* 14. 24 *Homil.* 3. *in Euang.*

k *Prou.* 24.

§. 3. *Aduersus excusationes eorum qui pusillo sunt animo, ac diffidunt*

SVPEREST ad aliorum excusationes respondere, qui in alio sunt extremo, diffidentiæ scilicet de diuina misericordia; siue id ex magna melancholia, pusillanimitate, & scrupulis proueniat; siue ex mala conscientia, quæ abstulit illis fiduciam: persuadens illis, se esse iam reprobos, sicut Esau; sibique nec vocationem superesse, nec veniam peccatorum: præcipuè si iam aliquoties eam impetrarunt, & tamen in eadem reciderunt, nec in bono cepto perseuerarunt. Contra quos, etsi in precedentibus omnibus capitibus, & nominatim 3. & 11. allatæ fuerint multæ & efficacissimæ rationes, prophetiæ & parabolæ, quæ apertè satis proponũt, & ostendunt ingens desiderium Dei, vocandi & iustificandi omnes peccatores: volo & nunc alterius Sapientis testimonio eos conuincere, qui ab ipso Deo inspiratus, cuius cõditionem satis perspectam habebat, sic cum eo loquitur: a *Misereris omnium quia omnia potes, & dissimilas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt; & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid cõstituisti, aut fecisti: quomodo aũt posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? parcis autem omnibus quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* O verba amore plenissima, vereq; efficacia ad quemuis etiã pusillanimẽ peccatorem consolandum; qui in ei sdẽ aduertere potest infinitam DEI in suas creaturas bonitatem, eius amorem, sine odio; misericordiam, sine crudelitate; omnipotentiam, sine tyrannide; liberalitatẽ, sine pœnitentia: patientiã & longanimitatẽ, sine vllo limite & mensura: Talia igitur habens pignora, cur nõ benè speres? & cur nõ exultes, cõfidens, te vnũ fore ex ijs, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ? ideoq; à Deo vocandum, vt iustificeris & glorificeris sicut illi. Cedo itaq; pusillanimis peccator, si verè ita est, quemadmodum ipsamet veritas asserit: quod Deus misereatur omnium, eò quod omnia possit, & nullam faciens iacturam bonorum suorum possit eis remedium afferre: Cur nõ etiam tui miserebitur, cùm ei non desit potentia ad te reparandum? Cum Deo abstuleris omnipotentiam ad subueniendum tuis miserijs; tunc etiam poteris auferre misericordiam & commiserationem earum. Aequè enim proprium est Dei esse misericordẽ, atque esse omnipotentem; & ipsa Ecclesia canit: DEVS qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas, &c.

a *Sap.* 11. 24.

QVOD si anxiè adhuc times, te non perseueraturum in eo quod incipies; attẽde quid Sapiẽs ipse dixerit: *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quo à te vocatũ non esset, conseruaretur?* verè enim Domine, perseuerantia nostra à tua pendet voluntate; & sanctitas nostra, nisi continuè eam vocatione tua conserues, permanere non poterit; sed quoniam es verus animarum, quas cõdidisti, amator, nõ statim vltionem sumes de peccatis eorum;

sed

sed iram tuã dissimulans expectabis, vt pœniteat: & tunc lubens eius remittes: quia opera sunt manuum tuarum; cupisque eas finem consequi, in quẽ sunt conditæ. Quis prudens domum aliquam ædificat in suam habitationẽ: quam sine vlla causa mox diruat? aut quis plantat vineam siue hortũ in suã recreationem: quem sine causa, & pro libitu extirpet & comburat? & quis nam pulchrã aliquã picturã, aut personæ sibi charissimæ imaginẽ ad viuum depingi curat, quam statim sine vlla causa pro suo tantùm libitu inficiat, & per terram trahat? si igitur harum rerum artifices, opera sua cupiũt permanere, & vsui esse in eum finem, in quem facta fuerunt: cur Dominus DEVS noster, b *cuius dona & vocatio* (vt ait Apostolus) *sunt sine pœnitentia* non volet opera sua permanere & finem assequi, in quem fuerunt creata? anima tua *domus* est à Deo ædificata, vt in ea æternum habitaret: quia c *delitiæ eius esse cum filiis hominũ*. Est quoque *vinea* plantata à manu eius dextera, vt fructu eius sese oblectet; *imago* est & figura diuinitatis eius: quã ipse dilectissimam habet, ac plurimi facit. Quare ne timeas, Deum gratis & suo tantum libitu destructurum quod fecit, & odio habiturum opus manuum suarum: cùm omnia ex amore, & sine vllo odio fecerit. Hic amor eum impulit, vt te crearet: idemq; nunc impellit ad te vocandũ, gratiæq; vitã donandã; ac permouebit, vt etiã det perseuerantiam ad coronæ gloriã consequendam: d quia *qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet*. Quod opus cùm non cœperit ob tua, sed ob Iesu Christi filij eius merita; propter eadẽ perficiet illud, si tu volueris. e *Qui filium suũ* (vt ait Apostolus) *tibi dedit: quomodo non etiam cum illo omnia tibi donabit? quis accusabit aduersus electos Dei? nũ Deus ipse, qui eos iustificat? quis est, qui eos condemnet? an Christus Iesus qui pro eis mortuus est, qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiã interpellat pro nobis?* si itaq; *patrem* habes adeò liberalem, vt suum tibi det filium; & *redemptorem* adeò profusum; vt totum suum sanguinẽ tibi tradat: *aduocatum* adeò potentem, vt sit æqualis potentiæ cum supremo ipso iudice: quam habes huius defectionis causam & rationem, quasi ex numero sis reproborum? si ob tua peccata dignus es, quẽ Deus oderit ac repellat; per dilectum hunc eius *filium* ab eo diligeris; si tua ipsa peccata contra te vindictam clamant, *sanguis* eius filij clamat misericordiam: Et, si Deus vellet opus destruere quod condidit, interponet se, qui illud *redemit*: &, vt filio suo gratificetur; & in eo, quod iurè petit, satisfaciat: exhibebit seruo misericordiam: nisi ipse tibi deesse, & obicem ponere velis. Ideoque quod filius est promeritus remunerabit in seruo.

SED vlterius adhuc fiduciam tuam progredi par est, quemadmodum diuina ipsa misericordia se vlterius effundit: à qua sperare licebit, quod non solum peccata tua condonabit, sed etiam ad amicitiam & arctissimam necessitudinem admittet; quemadmodum Episcopo cuidam magno peccatori,

b *Rõ.* 11. 29.

c *Prou.* 8 31.

d *Phil.* 1. 6.

e *Rõ.* 8. 32.

Apoc.3.19. tori, quem ad relinquenda peccata exhortabatur, dixit: *æmulare & pœnitentiam age: Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* O promissionem dignam Deo, pignusque certum ac securum perfectæ nostræ reconciliationis! Perpende itaque frater, qualis hæc sit promissio, quis eam faciat & cui? & cognosces quantam habeas causam & rationem, plenissimam tuorum peccatorum veniam, nouorumque donorum cœlestium augmentum sperandi. Cogita enim potentissimum aliquem Regem ex aula & palatio suo exeuntem, ad miserrimi cuiusdam hominis casam peruenire, qui ob admissum læsæ Maiestatis crimen, crudele supplicium esset promeritus: inueniens verò occlusam ianuam pulsat, vt sibi aperiatur: qua aperta ipse ingrediatur: sed videns hominem lacrymantem, suæque proditionis pœnitentem ac dolentem: mox illi crimen condonet, & in suam amicitiam admittat; addens, se in signum huius remissionis ac reconciliationis velle nocte illa apud ipsum hospitari, & statim iubeat mensam sterni, Regiæ suæ personæ accommodatam: Cui mox iubeat ipsum hospitem assidere, & ex eadem qua ipse parobside vesci cum quo amicam etiam familiaritatem & consuetudinẽ, atque si ipsi esset æqualis, ineat, spondeatque, se ipsũ semper amicum habiturum ac familiarem, ac frequenter ad ipsum rediturum, & magnificè hospitalitatem recompensaturum. Si inquam Rex aliquis cum proditore suo subdito hæc faceret: quis nobilem illam & magnificam beneuolentiam, & necessitudinem non admiraretur? Quis non à tali Rege veniam speraret, si eum offendisse contigisset? & quis non in eius amicitiam, se insinuaret, & omni conantu ad eam venire contenderet; si is suam propensionem ostenderet, ad eam cum omnibus ineundam? O Rex æterne, quàm aptè tibi tribuitur, quòd de Rege hoc terreno est dictum! Tu DEVS meus de cœlo ad terram nostram descendens, ad peccatoris domum accedis, lenibusque ac dulcissimis inspirationibus eius fores pulsas vt tibi aperiat: qui si, tuam vocationem audiens, aperuerit; mox ad cor ipsius penetras: quem si flebilem, suique peccati pœnitentem videas; mox culpam remittis, & ad arctissimam tecum amicitiam admittis, remanesque tanquã hospes in eius domo, tota tristis huius vitæ nocte: in cuius amoris signum vis cum illo cœnare, & vt ille tecum cœnet: vtroque eidem mensæ assidente, atque si duo essetis valdè æquales amici. Ibi indulges ei, offerendo vitæ cibos delibãdos, quibus tu ipse vesceris, iucũda suauiaq; inis ibi colloquia, secreta tua illi communicando; ac pollicebis, te semper illum amicum habiturum, ac frequenter inspirationibus tuis eum inuisurum, ditando illum semper cœlestibus donis. Quis igitur, ô Rex benignissimè, non rapiatur in admirationem, attendens quid erga peccatores facias? quis non

speret

sperera te omnium suorum peccatorum veniam ? & quis non resumat animum, vt ad arctissimam tecum necessitudinem aspiret : qui omnes ad illam inuitas? nolo animum abijcere, etiamsi magnus sim peccator; cùm videam talem promissionem factam Episcopo non iusto, ac feruenti; sed superbo, hypocritæ, arroganti, adeoque suijpsius amore ebrio, vt se g *diuitem & locupletem* reputaret, *cum* verè *miser esset & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; adeoque DEO horribilis, vt parum abesset, quin *nec frigidum, nec calidum ex ore suo euomeret*. Ita nobis suadet deuotissimus S. Bernardus: Omnis, inquit, animal licèt onerata vitijs, peccatis irretita, capta illecebris, exilio captiua, corpore carcerata, luto hærens, infixa limo, confixa curis, distenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, sollicitudinibus anxia, suspicionibus inquieta, & postremò aduena h *in terra inimicorum* (iuxta Prophetæ vocem) *coinquinata cum mortuis, deputata cum descendentibus in infernum*. Licèt inquam sic damnata, & sic desperata, potest tamen in sese aduertere, non modò vnde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat: sed etiam vnde audeat aspirare ad nuptias verbi: cum DEO inire fœdus societatis non trepidet: suaue amoris iugum cum Rege ducere Angelorum non vereatur. Quid enim non tutè audeat apud eum, cuius se insignem cernit imagine; illustrem similitudine nouit. Quid vereatur de maiestate, cui de origine fiducia datur? tantum est vt curet naturæ ingenuitatem, vitæ honestate seruare imò cœleste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdã studeat morum affectumque venustare & decorare coloribus. Hæc S. Bernardus. Ex quibus id colligo, quòd quamuis tuas aspiciens miserias, meritò debeas te demittere; & quemadmodum filius prodigus magnã DEI gratiam reputare, quod te h *facias sicut vnum ex mercenarijs suis*: eò quòd dignus non sis, qui filius eius voceris: conijciens tamen oculos in cœlestis huius Patris misericordiã infinitam, licebit plurimùm illi confidere. Et quemadmodum idẽ S. dixit, *quatenus in bonis Domini, fiduciæ pedem porrexeris eatenus possidebis*: quẽadmodum eidem filio prodigo euenit : qui quamuis decreuerat, à Patre suo petere, vt ipsum faceret sicut vnum ex mercenarijs suis : quando vidit, se adeò amanter ac benignè à parente excipi, non id petijt : confidens se ad primam filij dignitatem admittendum : sicut reuera fuit admissus; & admittet Pater hic cœlestis quemcumque simili fiducia ad eius misericordiam accedentem, acceptantem eius vocationem; &, quod ipse iusserit, exequentem.

ALIA pusillanimitatis ac diffidentiæ motiua solent habere peccatores, propter horrendas tentationes, quibus Dæmõ volentes diuinam vocationem sequi, & in bene cœptis perseuerare, oppugnat: Sed quoniam de ijs omnibus inferius specialis instituetur tractatio, ibi licebit videre, quàm debile sit fundamentum, propter illas diffidere.

g *Apo.* 3.17

Serm. 84. *in Cant.*

h *Bar.* 3.10.

h *Luc.* 15.19.

Serm. 32. *in Cant.*

CAPVT XIX.

DECEM TITVLI OBSTRINGVNT NOS AD excellentem Conuersionem: & qua ratione perfectius Dei vocationi respondeatur.

QVI ob rationes prædictas decreuerunt, vocationem diuinam acceptare: eisdem tenentur, lege gratitudinis, ad conuersionem, vitæque perfectissimam mutationem: faciendam per Sacramentum pœnitentiæ, tam quo ad contritionem & confessionem peccatorum; quam quo ad vitæ nouæ instituendæ rationem, quam sint imposterum secuturi: amplectentes in his omnibus quod Baruch Propheta populo suo dixit: a *sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.* quasi dicat: decuplam in Dei obsequio adhibete diligentiam, quam posuistis in offensione: exerentes omnes vires vestras, totumque talentum, & facultates, quas diuina vocatio vobis communicabit; & orantes eundē Dominum supplices, vt illas dignetur in vobis augere, & efficere: vt, vbi abundauit delictū, decies tantùm reipsa abundet gratia, vt magis gloria eius augeatur. Nec gratis & sine causa vsus est Propheta verbo illo: *decies tantum*, quod ex scripturæ sacræ stylo omnem possibilem perfectionem significat; idque propterea fortè, quod decem sint nomina actituli, quibus ad eam præcipuè obligamur.

a *Baruch* 4. 28.

Iacob. 19. 3 *Apoc.* 2. 10

1. *Pœna æterna.*

PRIMVS titulus est, quoniam inferni pœnæ, à quibus te DEVS liberauit, decies millies omnem laborem excedunt, quem in tua ad ipsum conuersione, & perfectissimo per totam tuam vitā obsequio ei præstando collocare posses: siquidē hic & omnes alij, qui in hac vita tolerantur, tanquam picti & vnius momenti censentur, si comparentur ad eos, qui sunt in altera tolerandi: eo maximè nomine, quòd sint æterni. Quod si oculos conijcias ad æterna præmia, quæ tibi promittuntur, si conuertaris, vt seruias Deo: deprehēdes, ea centies millies excedere labores omnes, quos possis in eius obsequio collocare. Vt. n. Apostolus ait: b *non sunt cōdigne passiones huius tēporis ad futuram gloriā, quæ reuelabitur in nobis.* c *Id enim quod in præsenti est momentaneū & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternū gloriæ pōdus operatur in nobis.* Quod si ita ipse Apost. sentiebat, qui tamē ob Dei obsequiū magnos & prolixos labores sustinebat, quemadmodū ipse in suis Epistolis narrat: non multum facies, si & tu ad similes & maiores etiam subeundos te offeras; vt ei Domino seruias, qui talia promittit præmia. Descendens aūtab' æternis ad temporalia, cogita quā sint innumera & horrēda mala temporalia, à quibus etiam te DEVS liberauit, ac liberat; & porrò liberabit, si fueris in eius obsequio fidelis: quæ, si cum ijs laboribus conferas, quos in mortificandis vitijs es positurus: intelliges, hos decuplo esse minores. Nam

2. *Æterna præmia*

b *Rom.* 8. 18. c 2. *Cor.* 4. 17.

2. *Corint* 11

3. *Temporalia mala.*

omnes

omnes pœnas temporales, quas Deus alijs peccatoribus inflixit, aut nunc infligit, potuisset tibi ob tua peccata meritò infligere: siquidem vel vnicum lethale peccatum omnibus illis est dignum. rectum itaque est, vt ei etiam cum aliquo labore seruias, qui te à tot malis liberat ac præseruat, non ob tua merita, sed ex sua sola misericordia.

4. *Bona temporalia.*

HINC transire potes ad innumera bona temporalia, quæ etiam tibi hactenus dedit, dabitq; & adijciet, si ei seruias: quæ etiam superant decies omnes labores corporis, quos ei seruiendo sustinebis. Neq; hoc in genere tantũ, & cõfusè cõsidera; sed attende, quicquid ab eo recipis vna die; & quid Deus egerit, agatq;, vt bolum panis, quem comedis, tibi det: Motus sc. cœlorũ & Elementorum; labores eius, qui terram coluit, frumentum seminauit, messuit, triturauit, & collegit; eius item, qui illud moluit, pinsuit, & ad tuã mẽsam portauit; Eorum item Mechanicorum labores, qui instrumenta siue ferrea, siue lignea confecerunt, ad hæc omnia necessaria; & quod ipse Deus fecit ad ferrum illud, siue lignum creandum; & alia innumerabilia, quæ ab ipso mundi exordio cũ his omnibus fuerũt connexa. quæ omnia in hodiernũ vsque diem, in tuum vsum, victum, vestitum, & habitationẽ; cæteraq; omnia, quibus vita tua conseruatur & sustentatur, ipse conseruat ac sustentat. Qui ergò fit, vt non iudices valdè modicum, quicquid pro Deo tuo feceris? etiamsi facias, quicquid poteris: si aspicias plurima, quæ ab illo recipis.

5. *Bona spiritualia.*

VERVM ad spiritualia bona conscende, quæ ab eodem Deo accipis, quo die te iustificat: & intelliges, ea decies millies excedere, quod in ipsius obsequium tu præstiteris: d *Nam* (vt Sapiens ait) *omne aurum in comparatione sapientiæ cœlestis, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, & omnes diuitiæ nihil sunt in comparatione illius: ipsa est bonorum omnium mater, & infinitus eius thesaurus hominibus*, qui nõ potest dignè æstimari, *quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Aequum est itaque te agnoscere bonum, quod à Deo accipis, excellentiam scilicet ac dignitatem Filij Dei; & quod anima tua eius sit sponsa, dareque operam, vt infinito hoc thesauro cum omni possibili perfectione vtaris: etiamsi enim eam totam adhibueris, adhuc ad eam non peruenies, quam tale donum talisque dignitas exigit.

d *Sapi. 7. 9.*

6. *Centuplũ.*

HVC accedit spiritualis præmij, quod Deus in hac vita tibi largietur, magnitudo, si feruenter ei deseruias: quod præmium non tantùm decuplum, sed centuplum etiam erit, quam tu pro illo efficias. ipse enim dixit: e *quicunque propter ipsius nomen aliquid reliquerit, centuplum accepturum.* tantam sc. lætitiã, tantã pacẽ, saturitatem, & spiritualium consolationum abundantiã, vt centies millies superent id, cui, perfecti eius obsequij causa renunciauit.

e *Matt. 19. 29.*

7.

QVOD si etiam velis omni generi lucri & commoditatis ex diuino ob-

Christi incarnatio.

sequio renunciare; etiam nomina & titulos ostendemus, quæ te ad id obligẽt. Conijce.n. oculos in excelsissimũ Incarnationis verbi diuini beneficiũ, & in ea, quæ totius vitæ tuæ decursũ pro te fecit, ac perpessus est & intelliges ea incomparabiliter excedere & præstare ijs, quæ tu eius obsequij causa feceris, & passus fueris: licèt solus præstare posses, quicquid præteriti omnes sancti fecerunt. Si igitur DEVS summum potentiæ suæ in glorioſissimo opere, remedij tui causa, perficiẽdo tibi ostendit: te quoq; par est summum facere, quod possis, eius obsequij causa. Ille decies millies plus fecit ac pertulit, quã ad tuam salutem esset necessariũ: siquidem ad eam, minimum operum & laborum eius sufficiisset: Rectum ergo erit, te multò plura facere, quàm tenearis: siquidem etiam quicquid poteris adeò est modicum.

8. *Sacræ communio.*

NE verò diceres, beneficium hoc semel peractum, iam transijsse; voluit idem Dominus recenti nomine te quotidie obligare, veniens verè ac realiter ad Sanctiss. Altaris Sacramentum, ad faciendã inuisibiliter in anima tua officia illa; quæ, dum viueret in hoc mundo, præstitit. Imò vel vnica sacra *communio* in tota vita tua sufficiens esset nomen & causa, cur totam illam expenderes in seruiendo cum omni perfectione ei, qui tali te esca dignatur. quid igitur si eam singulis mensibus, aut hebdomatis, aut etiam quotidie proponat? Quod si mundo aut Dæmoni adeò diligenter pro vili aliqua esca paruisti: consonum omninò est seruire DEO decies millies diligentiùs, pro esca adeò præstanti ac pretiosa.

9. *Dei dignitas.*

SED addamus quod summum est, & quod omnia prædicta nomina eminenter complectitur: quantum sc. infinitæ Dei maiestati debeatur, non iam ob præstita tibi beneficia, sed propter id, quo eius diuinitas digna est: cuius comparatione est decies millies nihil, quicquid tu in eius obsequium facere possis: Ideoque iustissimum est, nihil omninò detrahere ex ijs, quæ præstare possis, memor eius, quod S. Iob dixit. f *si voluerit homo* disputãdo *cum Deo contendere, non poterit ei respondere vnum pro mille*; & quod dixit Ecclesiasticus: g *terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius: glorificate quantumcumque potueritis, superexaltabit enim adhuc*: quià multò pluribus est dignus. *Benedicite & exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude.*

f Iob. 9. 3.
g Eccl. 43. 3.

10. *Dei attributa circa nos.*

SED quoniam hic titulus adeò est excelsus, nec solet ab ignorantibus eius præstantiam, æstimari: adiungamus ei vltimum, qui alios innumeros complectitur, ob innumeras sc. Dei perfectiones, quæ in creaturarũ eius cõmodũ expenduntur. Attẽdè itaq; infinitã eius *sapientiã*, & immensitatẽ, qua est in omni loco, cernitq; quicquid vbiq; fit: propter q̃ solum intelliges, te obstrictũ, ad nihil faciendum, supremi huius regis præsentia indignũ. DEINDE cogita eiusdẽ *omnipotentiã* adesse tibi ad nutũ, ad omnes tuas actiones tecum cragẽdas, seruata tamẽ in omnib⁹ tua libertate: atq; si tu solus esses eas per-

acturus

acturus: Ex quo intelliges, quã iustu & æquu sit, no abuti tua libertate ad aliquid mali, sed ea semper vti ad faciendum, quod est perfectissimum. Nam simul cum omnipotenti adeò adiutore æquè poteris maximum atque minimum perficere. Quid autem dicam de suauissima eius circa res omnes *prouidentia*, qua summè te obstringit, ad summam curam in eius obsequium adhibendam, sicut ipse habet ad tibi prospiciendum? & vt semel cõcludam, perpende infinitam eius charitatem, & amorem, quo tot in te contulerit & conferre desideret beneficia, quæ retulimus: & hoc solum impellet tead ei seruiendum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus tuis: Amor enim non sit continere se intra aliquos terminos, vt non faciat quod possit, & eius dilectus petat.

§. 1. *Qua ratione sit exactè Dei Vocationi obediendum.*

HIs adeò efficacibus rationibus excitare te debes, ad respondendum diuinæ vocationi promptè ac diligenter, feruenti quadam & perfectissima conuersione: certò tibi persuadens, Deum neque approbabare obedientiam & conuersionem, quę in specie tantum ad nutũ & prompta esse videtur, si reuera tepida sit, rudis & inconstans; neque reprobare tardam & aliquo modo reluctantem, si reipsa feruens sit, benè radicata, & constans: quemadmodnm CHRISTVS D. N. significauit in iucundissima quadam parabola Pharisæis proposita: a *Homo* (inquit) *quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, Domine, & non iuit. quis ex duobus fecit voluntatem Patris? dicunt ei: Primus. Dicit illis* IESVS: *Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Quæ vocatio iucundior esse potest, & quæ verba molliora, quàm quæ Pater noster cœlestis dicit peccatori: *Fili, vade hodie operare in vinea mea.* Quid enim hoc aliud est, quàm, fac, quod tibi mando, ad quod mille nominibus es obstrictus? Memor esto, te esse Filium meum, & me tuum Patrem: filios verò teneri suis parentibus obedire, præcipuè si thesaurorum eorum hæredes esse velint. Attende, me non petere labores multorum annorum, sed HODIE: tempus enim laboris, etiamsi per totam vitam duret; adeò tamen breue existimandum est, atque si vnius tantũ esset diei; & hodiernùm tantum, quo laboras, certum habes: nescis enim, an tibi supersit crastinus. Si igitur hodie te voco, b *noli obdurare cor tuum*, nec obedientiam differre in crastinum. Attende, quòd non te vocem, vt in aliena vinea labores, sed in mea: quæ etiam est tua: in anima enim tua, eiusque facultatibus est laborandum; conando copiosos bonorum operum fructus proferre in vtilitatem tuam, & gloriam meam. quod si dicas, te iuri tuo cedere, nec velle animam tuam

a *Matt.* 21. 28.

b *Psal.* 94. & *Heb.* 3. 7. 13.

colore, quia tua est; ego verò iuri meo non cedam: anima enim tua, plus est mea, illam, quàm tua: siquidem ego illam creaui, illã redemi, conseruo & sustento: & plus curæ in ea colenda adhibere debes, eo quòd mea sit, quàm quòd tua; pluris æstimando meum velle, quàm tuum. Quodnam erit cor adeò durum, vt suauissima huiusmodi vocatione non molleſcat! benè hoc ostendit alter filius, cùm subitò eam audiens, eius æquitatem intellexit: nam conuictus, respondit: *Vado Domine*; & statim ire cœpit, vt parentis mandatum exequeretur. Sed ô humani cordis in constantiam! statim atque itineris laborem sensit, & culturæ vineæ difficultatem olfecit, oblitus est eius quod audiuit; nec eius rationem aliquam, habuit; nec vlterius progredi voluit, vt Patris voluntatem exequeretur, qui tantum ei amorem ostendit. Contrà verò primus filius difficultatibus, quæ cum ipsam vocem audiuit, ei occurrerunt; adeò parum reueritus est parentem, vt verbis impudentibus responderet: NOLO: quamuis transacto illo primo impetu, impudentiam suam animaduertens, ac dulcissima parentis verba perpendens, statuit ei obedire. totaque die in vinea colenda laborare, vsque ad ipsam noctem. Ideoque alteri fratri, qui liberaliter promiserat, se laboraturum, fuit prælatus. In regnum enim Dei non illi admittuntur, qui solis verbis absque operibus, obedientiæ satisfaciunt, quemadmodum Pharisæi; neque qui tepidè incipiunt, & mox à labore desistunt: sed illi eminentiorem obtinebunt locũ, qui tarditatis ac resistentiæ suæ pœnitentes, magno eam feruore ac diligentia compensare studeant. O si DEVS oculos tibi mentis aperiret, vt in hoc exemplari videres, quid hactenus feceris; quidque facere debeas; cùm te ipse ad suum vocat obsequium! ô quoties diuinis inspirationibus, & vocationibus respondisti cum secundo filio: *Vado Domine*, nec tamen iuisti! multum offers, sed parum facis: obedire incipis, sed mox defatigaris; producis flores bonorum desideriorum, sed non profers fructus bonorum operum sed quemadmodum apud Iob dicitur: es c *quasi vinea, cuius botrus in primo flore læditur. & quasi oliua, proiiciens florem suum.* Alias verò impudentior fuisti imitando primum filium, respondendo diuinis inspirationibus, illud NOLO apertè, ne tuas vinceres repugnantias: aut saltem respondisti obuelatum quoddã NOLO, dum excusationes mille prætexuisti, d *fingendo laborem in præceptis*, & prætextus quærendo dilationum, aut ipso opere ostendendo, te nolle facere quod iubet DEVS; vt facias quod Dæmon suggerit, & caro tua. Illud verò pessimum esset, si quemadmodum primum filium imitatus es in illa verbi NOLO resistentia, non eum imitareris in bono obedientiæ. qui enim peccanté est imitatus: meritò emendati imitabitur, pœnitentiam agendo de sua repugnantia; & incipiendo seruire Deo cum magna cura & perseuerantia.

Finis melior principio.

c *Iob.15.32. S. Greg.l.12. Moral.c.24.*

d *Psal.93. 20.*

ACCIPE

ACCIPE itaque ab vtroque filio quod bonum est, relicto malo. Ab altero accipe promptitudinem ad bonum propositum concipiendum; ab altero verò virtutem & efficacitatem ad illud exequendum: ab altero accipe bonum initium, sed reijce eius inconstantiam; ab altero accipe bonum progressum, omittens moras eius ac dilationum in incipiendo. Imitare saltem, quos Christus Dominus Noster tanquam exempla proponit, cum dixit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*: quia eorum pœnitentia & conuersio adeò fuit feruens, vt præcederet iustos, qui non tantum atque illi peccauerunt. imò illorum pœnitentia tanquam exemplar iustis proponitur, vt eos in feruore imitari conentur. Talis fuit conuersio S. Matthæi, & S. Magdalenæ. nam ille fuit e *Publicanus*, hæc f *publica peccatrix*. Matthæus, etsi tardè vocatus, decuplo tamen plus laborauit, quàm eius antecessores. nam g *vndecima hora diei veniens ad vineã*, vna hora laboris plus est promeritus, quàm qui decem horas citius venerunt. At Maria Magdalena adeò feruentem fecit conuersionem, vt eius exemplo conuicerit Christus D. N. Pharisæum qui ipsum inuitauerat, & iactabat se esse iustum: & iuxtà sententiam Baruch, h *quemadmodum fuit eius sensus vt erraret à Deo. decies tantum conuertens requireret Deum.* decem enim insignes virtutes exercuit in sua conuersione.

QVARVM prima fuit rara HVMILITAS, qua in præsentia eorum, qui inuitati erant contemnens opprobria & quæcunq; de se dici poterant, prostrauit se ad pedes Christi, & quamuis ex colloquio Christi D. cum Pharisæo cognouit se ab illo irrideri, & contemni, ipsa tamen summo silentio mansit, propriæ causæ, ob quam venerat, intenta.

SECVNDA virtus fuit, summain præsentia Saluatoris MODESTIA, non enim est ausa ad eius aspectum accedere, sed retrò i *stetit secus pedes eius*, quasi puderet diuinũ vultum aspicere, quẽ agnoscebat se grauiter offendisse, plenaq; rubore quemadmodũ publicanus ille, k *nolebat*, nec audebat, *oculos ad cœlum leuare*. Ex quo orta est profunda illa REVERENTIA, qua se ad Christi pedes postrauit, adorans eũ in spiritu & veritate, & confitens ipsum esse suũ Medicum, & vnicũ reparatorem, non solũ secundũ l *diuinitatem* per caput significatam; sed etiã secundùm *humanitatem* per pedes iudicatam. Et quamuis propria indignitas eam contrahebat, FIDVCIA tamen præualuit: vt non procul, sed ad ipsos sacratissimos pedes se poneret, à quibus opem & solatium sperabat: sciens, quod m *qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius salutem & vitam.* Prostrata itaque loqui cœpit non verbis sed *affectibus*; non rationibus linguę, sed singultibus, & oculorum lacrymis, quæ summi doloris & CONTRITIONIS cordis eius fidẽ faciebant, & hæc fuit quinta virtus, qua peccatorum suorum maculas eluit. Sed quoniam lachrymæ nostræ, etiamsi guttas maris excedant, si per se sumantur,

non

2.

Bene incipe, melius desine.

e *Matt.* 9. 9.
f *Luc.* 7. 38.
g *Mat.* 20. 8

h *Baruch.* 4 28.
Decem virtutes B. Mariæ Mag.

1.
Humilitas.

2.
i *Luc.* 7. 38.
Modestia.
k *Luc.* 18. 13.

3.
Reuerentia
l 1. *Cor.* 11. 3.

4.
Fiducia.

m *Deut.* 33 3.
Iacobi. 4. 8

5.
Contritio.

non sufficiunt ad eas maculas lauandas, fundebat illas ad pedes Christi, quibus coniunctæ, ex ipsius Christi meritis virtutem acciperent, quam ex se ipsis non habebant: & ita purgarentab iniquitatibus quas ipsa habebat.

6. *Christi meritorum applicatio.* Et mox capillos manibus arripiens tersit pedes, quos lacrymis rigauerat, insignum ingentis DESIDERII, quo ipsas effusas in pedes Christi lachrymas, in cor suum traijcere iterum cupiebat, vt sic redemptoris sui dolores, & quicquid suis gressibus ille fuit promeritus, sibi ipsa applicaret. Quid verò est *capillo* suos *manibus* arripere, nisi cogitata ac desideria cum operibus coniungire; vt omnia virtutem & sanctitatem Christi participent. quemadmodum linteum, quo res aliqua humida tergitur, humiditatis eius sit particeps. Et quoniam hoc totum non ab spiritu timoris procedebat, eminere voluit in septima virtute quæ est CHARITAS, quam manifestabat sacratissimorum pedum Christi frequentibus osculis, ex intimo cordis optans, totam se Redemptori suo coniungere, eaque amoris vnitione vnum cum illo spiritum fieri.

7. *Charitas.* Et vt intelligeretur, eum amorem non solum esse in affectu, sed etiam opere, VNGVENTO pretiosissimo & fragrantissimo eius pedes VNGEBAT; feruentissima cõcipiens desideria, & animi decreta firmissima, omnes suas facultates, & quicquid haberet, in huius Domini sui obsequium expendendi vt n *quæ prius iniquitati seruierant, nunc seruirent iustitiæ in sanctificationem.* Noua virtus, quæ reliquas omnes comitabatur, fuit purissima solius gloriæ Dei INTENTIO in omnibus quæ faciebat. In cuius rei fidem non dicitur de illa, quod pedes Christi terserit, postquam eos vnxisset, sed prius, ne quid pretiosi illius & fragrantis vnguenti sibi adhæresceret. significare enim voluit, nihil se velle recipere eorum, quæ Christo semel obtulisset: nec gloriam aut honorem ex eo facto sibi accedere: sed vt quicquid illud esset, dilecto suo tribueretur.

8. *Liberalitas.*

n *Rom.6.9.*

9. *Intentio.*

Denique fuit constantissima, donec voti sui compos euaderet. etsi enim colloquium Christi D. cum Pharisæo diutius protraheretur, ipsa tamen, *ex quo intrauit non cessauit osculari pedes eius*: sed repetiuit, milleque amoris affectus replicauit; donec dulcissimum illud verbum à dilecto suo ad se conuerso audiuit: *dimittuntur tibi peccata: vade in pace.* Hunc ergo in modum feruens illa peccatrix *decies tantum conuersa Deum requisiuit*, quàm ab eo discedens, eum offendendo *errauerat, cui* (vt Christus dixit) propterea *remissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Eius ergo conuersionem meritò tanquam exemplar tuæ accipies imitandam in decem prædictis virtutibus: de quibus fusior erit sermo in tractatu tertio, qui erit de pœnitentia.

10. *Constantia.*

§. 2. *Prædicta confirmantur exemplo feruentis Ruth conuersionis.*

HVIC Tractatui, & ijs, quę hactenùs diximus, finem imponamus, proposito exemplo feruentis RVTH conuersionis, quæ multò magis

eminet,

eminet, si cum ORPHÆ sociæ eius inconstantia conferatur: in quibus veluti sculptū apparet, quod Christus D. N. dixit in parabola duorū filiorum, quam retulimus. Nam quemadmodum duo illi filij eodem vocationis modo, licet cuentibus contrarijs, vocati fuerunt: Ita ORPHA & RVTH eisdem medijs vocatæ sunt à Deo, vt ex terra Moab exirent, idololatriā suam desererent, & cum Noëmi in Bethlehē pergerent: vbi verum Deū Israël adorare, eiq; seruire possent. Et vtraq; quidē ex patria sua, & materna domo exire cęperunt; vtraq; & cū lacrymis dicere: *a tecum pergemus ad populum tuum, nec te deseremus*: sed paulò pòst Orpha imitata secundum filiū inconstantem, mentē mutauit, nec reipsa Socrum suā est secuta. amor enim patrię, parentū, ac Deorū, quos adorare cōsueuerat, eam impulerunt, vt ad locū, vnde exiuerat, reuerteretur. RVTH verò feruentiori animo firma & constans perseuerauit in suo proposito, oblita patriæ suæ, populi sui, ac domûs parētum suorū; & Deorum, quos antea coluerat: dixitq; ad NOEMI: *ne aduerseris mihi, vt relinquā te & abeam: quocunq; enim perrexeris, pergā: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibiq; locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit.* O mulier, plus quàm mulier, in qua diuina vocatio admirandam vim & efficacitatem suam ostendit! eosdem patitur conflictus & congressus quos Orpha; nec tamen cedit sicut illa: videt ad oculum sociæ suæ inconstantiam & malum exemplum, nec mutatur: exhortatur eam NOEMI, vt ad populum suum redeat; negat illa se alium populum habere, quàm ipsius NOEMI: & quamuis incipiens & nouitia in obsequio diuino, offert se viriliter ad æquè currendum cum veterana: Ac denique ita seriò & ex animo patriæ suæ, moribus, ac legibus, dijsque ipsis, quos prius adorauerat, renunciat; vt ex tunc statuerit, non nisi vnicum solum Deum agnoscere, eiusque sanctam legem amplecti, tanta firmitate, vt etiam iuramento se obstringat, ad perseuerandum in his omnibus vsque ad ipsam mortem & sepulturam. Adeoque exactè promissionem suam impleuit, vt inter Messiæ progenitores connumerari meruerit: voluerit; Seruator noster eam recenseri in Sancto Euangelio inter suos progenitores, in exemplum peccatorum pœnitentium; & confusionem rebellium, videntium, idololatras præcedere ipsos in regnum cœlorum: eò quòd cum obedientia amplectantur, quod ipsi pertinaciter reijciunt. quemadmodum his verbis mirificè perpendit S. Hieronymus: ostendamus in Israel gloriam peregrinam; & benedictionis germen in ligno fluxisse non suo dicimus RVTH, quo magis confundantur in fœmina. Promittitur per Prophetas de *radice Iesse virga*, pro nostra salute proditura, in quam flos conscenderet, qui vel

a *Ruth.1. 16.*

Matt.1.5.

Libro de vera Circumcisione vltra mediū to. 9.

b *Isai.11.1.*

solus vtique pleni agri odore fragraret præ consortibus suis : quem in
» odorem vnguentorum super omnia aromata lætitiæ oleo pater vnxisset.
» Hic tamen Iesse auiam non Israeliticam habuit, sed Moabitam. Cui tantum
» peregrinæ cõceditur, quantum nulla de Patriarcharum germine promere-
» tur: vt suo vtero destinatæ benedictionis semen accipiat, & Israeli non Is-
» raelita parturiat dignitatem: cornuque populi sui, in alterius populi bene-
» dictionibus aliena sustollat. vnde istud, oro, promeruit? Credo, quia dixit
» socrui suæ: Populus tuus, populus meus est : & Deus tuus Deus meus est.
» O virtutem viris etiam præferendam. Abrahæ fidem in circumcisæ gentis
» mulier imitatur, quam virilis circumcisio dereliquit; & per aliena vestigia
» meritum iustificationis ingreditur, à quibus maiorum cæca hæreditas de-
» uiauit. Deos suos Moabita contemnit, cùm tu Israel desideres alienos. Illa
» enim vnum Deum, suorum iam oblita, coniurat; & tu post multitudinem
» fornicaris idolorum: hinc eligitur à Domino, hinc fit Israelita, mente, non
» genere; Fide, non sanguine; virtute, non tribu: hinc vsque adeò benedici-
» tur, vt Prophetarum tuorum mater vocetur, & regum. Lucet prorsus die
» clariùs, regnum cœlorum vim pati; & à vim facientibus inuadi, diripi, pos-
» sideri: nec iustificationem gentis esse, sed vitæ: quando non circumcisi per
» frugem probitatis, aulam sanctificationis introeunt: & circumcisi in eadẽ
» aula geniti per pudenda gestorum sceptrum sanctificationis amittunt. Hæc
S. Hieronym. quod totum in malorum Christianorum pudorem & con-
fusionem cedit, qui Deum viuum deserunt, vt suis operibus falsos vitio-
c *Mat. 12. 41.* rum suorum Deos adorent. Et quemadmodum c *Niniuitæ, & Regina Saba surgent in iudicio* (sicut ipse Redemptor noster dixit) vt eos arguant & con-
demnent, qui eius voci obedire noluerunt, nec ad eius doctrinam audien-
dam venire: Ita hæc mulier erit tunc tanquam exemplum constituta, ad
rebelles diuinæ vocationi confundendos, & condemnandos, eò quòd face-
re neglexerint, quod illa fecit: cum tamen maiora ad id præstandum subsi-
dia habuerint, quàm illa. Sed multò est melius, vt eam nunc in exemplum
accipias ad feruentem eius conuersionem & obedientiam imitandam stu-
dendo ab ipsis initijs generosum induere cor, ad magna quæque aggredié-
da: etsi enim sementis primæ vocationis non statim proferat fructum
centesimum; statim tamen animum adijcit ad eum procu-
randum, quemadmodum in proximo
Tractatu dicetur.

Finis Tractatus Primi.

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS,

DE SANCTIS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTIS, ET PERFECTIONE, QVAM EA SVSCIPIENTES PROFITENTVR.

VOCATIONES, de quibus hactenùs diximus, & de quibus in posterum acturi sumus, inducere solent ad suscipienda Sacramenta, vtpotè præcipua instrumenta quibus (quemadmodum Concilium Tridentinum definiuit) Christus D. N. ad quam nos vocat, Gratiam & perfectionem communicat. Quia omnia septem (quorum superiùs meminimus) tanquam septem *vasa* sunt, in quibus IESV Christi D. N. sanguis collectus continetur, ad emundandas peccatorum nostrorum maculas, passionumque nostrarum vulnera sananda; & tanquam septem *scrinia*, in quibus pretiosissimi gratiæ ac virtutum cœlestium thesauri reconditi manent, ad omnes homines ditandos ac beandos. Sunt quoq; septem a *fontes*, quos Isaias *Saluatoris* vocat, ex quibus *haurimus in gaudio* viuarum *aquarum* abundantiam, ad extinguendam sitim cordium nostrorum; purificando, irrigando, & implendo illa bonis spiritualibus: Ac denique sunt septem externa *signa*, quæ efficaciter efficiunt internam sanctitatem, quam significant. Nam (teste S. Thoma,) etsi vitia & virtutes in anima, quæ purus est Spiritus, præcipuè sint: quia tamen illa carne circumdata est, nec inuisibilia, nisi per similitudinem & inditia rerum visibilium cognoscit: voluit Christus D. N. eam purgare, & sanctificare per Sacramenta; quæ signa sint visibilia mundiciei, & sanctificationis internæ, quam efficiunt. Et quemadmodum b *Pharao vidit in somno septem spicas pullulare in culmo vno, plenas & formosas*; quæ panis abundantiam in tota terra Aegypti futuram significabant: Ita Christus D. N. septem horum Sacramentorum *spicas* produxit, non vacuas, quemadmodum erant in anti qua lege; sed plenas gratiarum & virtutum, quas copiosissimè filijs Ecclesiæ communicant. Dicuntur verò *formosæ*, eò quòd tangentes corpus, animam gratiâ formosam reddunt. Caro, ait Tertullianus, abluitur, vt mundetur anima; caro chrismatur, vt anima roboretur; caro inungitur, vt ma-

Sess. 7. can. 6 cap 7. §. 2.

Septem Sacramenta.

a. Isai. 12. 3

3. p. q. 61. a. 5.

b *Gen 41. 5.*

Lib. de resurrect. carn.

neat anima consecrata; caro alitur speciebus panis & vini, vt anima tametur alimento, quod Christi corpus & sanguis ei impertitur. Et quandoquidem peccata incipiunt à carne, rebusque sensibilibus, quibus illa pascitur & fouetur: rationi consentaneum est, vt etiam antidota à carne incipiant; & vt homo subijciat se demisse, ad suorum malorum opem in rebus corporalibus quærendam suumq; intellectum, ad credendum, Deum D. N. in rebus adeò vilibus, quales sunt aqua, & oleum, posuisse rerum adeò sublimium, quales sunt ipsius gratiæ thesauri, communicationem. Ac similiter credat, statim atque Sacramenti Minister verba illa externa profert: EGO TE BAPTIZO, &c. CONSIGNO TE CHRISMATE SALVTIS, &c. aut ABSOLVO TE, &c. DEVM interiùs in anima efficere, quod illa verba significant. Vtque hoc suauiùs crederetur, constituit, (vt S. Chrysostom. perpendit) vt in horum Sacramentorum institutione, aut vsu, initio nascentis Ecclesiæ euenirent aliqua signa prodigiosa, quæ ostenderent admirandos effectus, in cordibus suscipientium efficiendos: quamuis eadem signa cessarent, nec ita in posterum apparerent.

Homil. 12. in Matt.

Effectus mentorum.

HI effectus ad duos magis præcipuos reducuntur: Alter est, quòd omne genus peccatorũ, eorumq; reliquiæ aut pœnæ dimittantur; primaque gratiæ vita ei communicatur, qui conuenienti dispositione ea sacramenta suscipit: Alter effectus est, quòd eam gratiæ vitam conseruet, augeat, iuuetque ad insignes aliquos virtutũ actus exercendos; & aduersus nostros inimicos tam in vita, quàm in morte strenuè decertandum, vsque ad coronę consecutionem. Quare quemadmodum Elisæus prodigiosè multiplicauit oleum, quod pauper vidua in vase quodam habebat, implens illo multa alia vasa; & iubens, ex eo tùm c *debita creditoribus solui*; tum *ipsam, & filios eius viuere de reliquo.* Ita Christus D. N. sacramentalis gratiæ nobis dat oleum: quo Ecclesia & eius filij debita peccatorum nostrorum exsoluamus, capiẽtes ex infinitis eius satisfactionibus ac meritis (quibus opera nostra adiungamus) vtilitatẽ; & gratiæ vitã, alimento & fortitudine nobis ab hoc oleo diuino collata, foueamus ac viuamus. Et quemadmodum oleũ illius viduæ nunquã manare destitit, quamdiu vasa in prõptu fuerunt, in quibus reciperetur: Ita oleũ gratiæ, quã tribuunt Sacramenta, nunquã ad finem vsque mundi cessabit, dum fuerint homines, qui ad eã recipiendã, vt par est, se disponant: fons enim, ex quo illud fluit, virtutẽ habet infinitã. Cuius rei figuram vidit Zacharias Prophèta in d *candelabro illo toto aureo*, in quo erant *septem lucernæ* oleo plenæ, quæ septem Sacramenta significant, vt suprà notauimus. In cuius candelabri capite lampas erat aurea pulcherrima, ex qua per duas oliuas siue rostra oleũ in septem lucernas fluebat. quæ lampas, Christi D. N. erat figura, & vtriusque eius naturæ diuinæ & humanæ, ex quibus

c 4. *Reg.* 4. 7. *Oleum gratiæ.*

d *Zach.* 4. 2. *vide Riberà ibid.*

cap. 7. § 2.

fluit,

fluit, fluetq; omnis gratia, quæ per septem hæc Sacramenta hominibus cõmunicatur. Quamuis autem Sacerdotes & ministri illa conferentes, mali sint, non propterea oleũ gratiæ fluere cessabit: Cùm enim præcipuus fons, qui Christus est, sit perpetuus, non impedietur fluxus propterea, quod tuba siue aquę ductus, per quam aquas gratię deducitur, cupreus sit aut testaceus. ad eum modũ (ait S. Gregorius Nazianzenus) quo duo annuli, alter aureus, alter ferreus, si vterq; incisam habeat eandem imaginem, & regia insignia; æquè vnus atq; alter ea exprimet impressus: sic inquam eadem gratia cõfertur per Sacramentum ab aureo Sacerdote, qui insigni splendet sanctitate, administratum; & à ferreo, malitia in fami: quamuis honoris causa sublimium horum Sacramentorum, velit Devs omnes eorum ministros aureos esse, oleoq; gratiæ plenos, quam alijs sunt communicaturi. In cuius figuram idem Propheta Zacharias vidit e *duas oliuas* fructibus redundantes; *alteram à dextris lampadis* aureæ, *alteram à sinistris*, quæ (vt Angelus eidem Prophetę declarauit) *erant duo filii olei, qui assistebant dominatori vniuersæ*. ad significandum, ministros Christi tam Episcopos, qui à dextris eius; quàm inferiores Sacerdotes, qui sunt ad sinistram, debere esse gratiæ filios, & oliuas in domo Domini plantatas; non solum verborum foliis, sed fructibus præcipuè bonorum operum ornatas: vt semper in conspectu Dei, in feruentissimis Meditationibus & orationibus versentur, quemadmodũ suo loco videbimus.

Tridenti. sess. 7. can. 12.

Oratio in Sanctum Baptisma. S. Aug. lib. 4. contra Crescon. 20

c Zach. 4. 3, 14. *Sacerdotes sint aurei.*

Ex horum Sacramentorum celsitudine, & stupendis eorum effectis prouenit necessitas nostra, qua opus habemus, speciali vocatione à Deo vocari; & ita ad ea suscipienda iuuari, vt eorum fructum sentiamus. nisi enim ab ipso Deo auxilium & opem habeamus, ex nobis ipsis vires & facultates necessarias non habemus. Ipse verò Devs inspirationibus suis sese per mundi plateas effundit, infideles ad *Baptismum* suscipiendum inuitans; & per vicos Ecclesiæ fideles vocans, & hortans, vt suis temporibus accedant ad Sacramenta, quibus indigent. Recens Baptizatis inspirat, vt *confirmationis* Sacramentum accipiant, quo fortiores & constantiores euadant; in aliquas culpas lapsis, vt ad *pœnitentiæ* Sacramentum, quo peccata purgentur accedant; reliquis, vt sacram *Communionem*, qua sustententur frequentent; infirmis, vt extrema *Vnctione* in vltimo periculo se muniant, vt transitum in cœlum reddant sibi securiorem. Quæ vocationes omnibus Christianis communes sunt, & generales. Hæc enim quinque Sacramenta (vt loquitur Concilium Tridentinum) ad spiritualem perfectionem diriguntur, quam quisque vt sibi obtineat, studere debet. Ac propterea de ijsdem agetur in equentibus tractatibus, & in hoc secundo ea afferemus, quæ ad Baptismum & Confirmationem spectant; per quæ ingressus fit in Ecclesiam; & Christiani hominis status suscipitur cum perfectione & constantia. Cuius vesti-

Dei vocatio ad Sacramenta.

gium quoddam) vt glossa aduertit in ijs præcessit, quæ NOEMI facere instituit RVTH, cùm agebat, de ea nuptui tradenda Booz: f *lauare* (inquit) *& vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream.* Area Christi D. N. quem Booz significabat, (quemadmodum posteà dicemus) est Ecclesia Catholica, ad quam à Deo vocantur animæ, quas ipse est in sponsas acceptu-rus: ad quæ sponsalia lauantur illæ Baptismi Sacramento; vnguntur Confirmatione; pretiosisque virtutum ac insigniũ earum actionum vestibus exornantur: vt ita perfectam vitam ducant, quemadmodum excelsi adeò Regis sponsas decet.

f *Ruth.* 3 5.

CAPVT. I.

BAPTISMVS, EIVS EXCELLENTIAE, & effectus, & ad eum percipiendum Vocatio.

In oratione in Sanctum Chrisma.

SANCTVM Baptismi Sacramentum (quemadmodum S. Gregorius Nazianzenus dixit) adeò inter cætera diuina beneficia elucet, vt omnium præstantissimum & præclarissimum dici possit: Continet enim tanquam sementis ea omnia; aperitque viam ad fruendum illis, cæterisque Sacramentis, quemadmodum discurrenti per innumera mala, à quibus nos liberat; & per ingentia & mirabilia bona, quæ ab eo nobis suauissimo & excellentissimo quodam modo proueniunt, apparebit. in quo efficacia ostenditur Incarnationis, Passionis, ac Mortis Iesu Christi D. N. qui venit in hũc mundum, vt eum redimeret, & à tribus grauissimis malis liberaret; tribusque excellentibus bonis ditaret ac exornaret. Nam teste S. Thoma, præcipuè venit, vt nos ab *originis* peccato liberaret, quod est totius humanæ naturæ, Adami culpa infectæ, peccatum; & in omnes eius posteros transit; eosque inficit in eodem momento, quo in vtero materno concipiuntur: adeò vt Iob dixerit: a *Nemo mundus à sorde, & si vnus dies sit vita eius super terram.* Nam, vt ait Apostolus, b *omnes nascimur filii iræ*, DEI inimici, eiusque gratia priuati. Et quoniam hoc peccatum adeò est vniuersale, ita Christus ad illud præcipuè reparandum venit. Quamobrem S. Ioannes Baptista de eo dixit: c *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Mundi (ait Beda) peccatum vocat illud, quod instar est pestis toti humanæ naturæ communis.

Baptismus

Semen gratiæ tribus medetur

3. *p. q.* 3. *a.* 4. *Originali.*

a *Iob.* 14. 4. *iuxta.* 70.

b *Eph.* 2. 3.

c *Ioan.* 1. 29.

2. *Actuali.*

Ex quo secundum procedit, quod *Actuale* vocamus, & propria peccantis voluntate committitur. Sed, cum voluntatem hanc omnes habeant valdè corruptam, omnes quoque illud inficit, quod insinuauit Dauid, cùm di-

xit: d

it:d *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum*, & vidit quòd *omnes declinauerunt*, & errauerunt; & *non esset qui faceret bonum, ne quidem vnus*. A qua miseria vt etiam nos liberaret, factus est Deus homo, & in cruce mortuus: in qua omnia peccata crucifixit, ac iugulauit: vt gratiæ vitam peccatoribus largiretur.

d *Psal.* 13. 2

Et quoniam eius Redemptionem decebat esse copiosissimam, eruit quoque homines à tertio quodam grauissimo & horrendo malo complectente reliquos *effectus* & miserias, quæ ipsa peccata in hac & in futura vita comitantur: quales sunt cœcitas mentis, obstinatio, cordisque duricies & æternæ ac temporales pœnæ, quæ culpis meritò infliguntur. In cuius adeò insignis redemptionis signum, voluit ipse noster Saluator, ante suam passionem tribus mortuis vitam reddere; quibus triplex hoc peccatorum genus, eorumque peccata significantur. Primum resuscitauit e *puellam filiam Iairi* secretò in domo paterna. quæ puella infantes significat mortuos ob culpam originalem. Deinde resuscitauit f *adolescentem filium viduæ apud portam ciuitatis Nain*, cùm efferretur ex ciuitate, vt sepeliretur. vt sic significaret, se etiam venisse ad resuscitandos peccatores, actualibus peccatis extinctos: à proprijs scilicet passionibus raptatos. cohibente ipso gratia sua torrentem propriæ voluntatis eorum. Denique g *Lazarum resuscitauit* non solùm iam mortuum, sed carceri etiam sepulchri inclusum, *ligatum manus & pedes institis*, & lapide sepulchrum operiente, qui eius exitum prohibebat. Qui figura erat miserrimi status peccatorum, qui inueterati & indurati sunt in suis peccatis: ob quæ promeriti sunt in inferno sepeliri cum diuite illo epulone, ligati pedibus & manibus, æternæ obstinationis compedibus. At Christus Seruator noster infinita sua misericordia facilè hæc mala intercidit, communicata per Sacramenta gratia sua. per duo præcipuè, quæ ad vitam peccatoribus restituendam ordinantur.

3. *Effectibus peccati.*

e *Mat.* 9. 25 *Marc.* 5. 22

f *Luc.* 7. 14

g *Ioa.* 11. 43. *Tres mortui à Christo suscitati.*

§. 1. *Quinam sint effectus Baptismi?*

Hinc licèt incipere stupendam Baptismi efficacitatem intelligere, per quem Christus D.N. à tribus prædictis miserijs nos liberat. Ex omnibus enim Sacramentis solum hoc virtute pollet delendi culpam *Originalem*, & à spirituali morte, quam animæ illa inurit, liberandi: idque tanta profusione, vt etiam infantes rationis vsu destitutos iustificet. Cùm enim ipsi nec peccassent, nec mortui essent propter aliquem propriæ voluntatis actum, sed Adami primi eorum parentis, in quo ipsi tanquam in capite suo erant: voluit Deus D.N. vt sine proprio etiam suo actu, per merita sui capitis Christi Seruatoris nostri, quæ per hoc Sacramentum illis applicantur, gratiæ vitam reciperent. Siquidem vt Apostolus ratiocinatur, non debuit

1. *Originale S. Thom. 3. p. q. 68. a. 9.*

buit esse efficacius delictum Adami terreni, quã gratia sit Adami cœlestis. Quod si is, qui baptizatur, peccatis etiam *actualibus*, etsi innumerabilibus & grauissimis sit infectus, in ipso momento ab ijs omnibus emundatur: omnia n. virtute sanguinis Iesu Christi demerguntur in aqua baptismi, (quæ vt ait idem Apostolus) eius mortem & sepulturam refert, sicut etiam scriptum est a *deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundũ maris omnia peccata nostra*: vbi, quemadmodum Aegypti; submersa & mortua manebunt, vt amplius nunquam compareant, nec pristinum locum recipiant.

2. *Actuales Rom. 6. 3.*

a *Mich. 7. 19*

ET quod maiorem affert admirationem, & voluptatem, est, quòd non solum à culpis liberet; sed etiam à *pœnis* omnibus æternis, & temporaneis, quas peccator propter illas erat promeritus. adeò vt nullam satisfactionem disciplinarum, aut aliorum operum pœnalium adhibere sit necesse, ad omnia debita etiam maxima exoluenda: Adeò vt qui, statim atq; baptizatus est, animã exhalat, ei neque infernus, neque purgatorium, neque lymbus supersit: quia omnia remouet impedimẽta cęlũ ingrediẽdi. Id ꝙ suauissima & stupenda persit celeritate, neque. n. propriũ sanguinẽ effũdere opus est, quemadmodũ in circumcisione: sed satis est, corpus aqua abluere in nomine *Patris & Filii & Spiritus S.* Nec opus est septies lauare, quod fecit b *Naaman* ille, vt a *lepra mundaretur*. Nam vel semel ablui satis est ad totam culpæ lepram expurgandam. Et quamuis in primæua Ecclesia ter abluerẽtur, qui baptizabãtur. id tamen (vt docet S. Thomas) non erat necessarium, sed adhibebatur ad significandum trium diuinarum personarum mysteriũ; diesque tres, quibus Christus D. N. iacuit in sepulchro. Aut etiam generalem mortẽ triũ generum peccatorum, *cogitatione* sc. *verbo*, & *opere*; aut *ignorantia*, *imbecillitate*, & *malitia*; aut *concupiscentia carnis*, & *oculorum*, *ac superbiæ vitæ*. omnia enim hæc peccata ita in hoc Sacramento moriuntur & abolentur, vt exuamur operibus veteris hominis; & à dæmonis, mundi & carnis tyrannide vindicemur. Sequentibus verò temporibus vna tantum fiebat ablutio, ad significandum tam diuinæ essentiæ, quàm ipsius baptismi vnitatem. Cuius efficacitas (teste S. Augustino) tanta est, vt statim atque tangit corpus, eleuetur à DEO, vt animam ipsam abluat, c *niueq;* reddat *candidiorem, lacte nitidiorem, rubicundiorem eboreantiquo, & Saphyro pulchriorem*: prodit enim sole Iustitiæ induta, stellis cœlestium suarum virtutum coronata: magnus enim DEVS noster neminem à magnis malis liberat, quin eidem ingentia largiatur bona. Quare per ipsum Baptismum tria alia insignia bona communicat, quorum symbolum præcessit in ipsius Saluatoris baptismo: cùm cœli sunt aperti, & Spiritus S. sicut columba super ipsum descendit: & vox Patris audita est dicentis: d *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hæc enim omnia eò dirigebãtur, vt intelligeremus primo baptismum cõ-

3. *Pœnæ.*

4. *Baptismi facilitas*

b *4. Reg. 5. 14.*

3. p. q. 68. a. 8

Cur prisciter abluerint.

Nunc semel.

Tract. 80. in Ioan.

c *Thren. 4. 7*

Tria Baptismi bona.

d *Mat. 3. 17.*

Bonum

mnnicare

municare nobis diuinam *iustificationis* gratiam, qua filij Dei efficimur, regnique eius cœlestis hæredes: & animæ fiunt puræ, mansuetæ, & pulchræ sicut columbæ, Spiritus S. sponsæ, eiusque templum & habitatio, cum omnibus virtutibus, donis, ornamentis & excellentijs in priori tractatu positis. Sed hæc omnia efficit excellenti & præstantissimo quodam modo, quem Christus D. N. *renascendi* voce expressit, cùm dixit: e *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, quæ *natiuitas* priorem, quæ naturalis est, tantum excedit, quantum Spiritualis natiuitas excedit carnalem; & quantum habere Patrem DEVM, qui rerum omnium est creator, excedit, habere patrem hominem, qui est vilis creatura. Et si f *spiritus Domini, cum* in prima creatione, *ferretur super aquas*, adeò illas fœcundauit, vt innumera ex eis viuentia eduxerit, cùm ea pulchritudine ac varietate, quam nunc in auibus & piscibus cernimus: quantò magis ad Ecclesiæ suæ erectionem easdem fœcundauerit, ad producendum aliud genus viuentium vita supernaturali & diuina? propterea enim Apostolus dixit: g DEVM *secundum suam misericordiam saluos nos fecisse per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per* IESVM CHRISTVM. vocat autem *regenerationem & renouationem*, quatenus primam gratiam ei communicat, qui nunquam eam habuit, renouando eum ad quoddam esse adeò purum, & ab omni culpa, & pœna mundum, atque si maculam vllam nunquam habuisset. In hoc autem Baptismus plurimum excedit Sacramentum Pœnitentiæ: quòd peccatorem iustificat, sicut qui resuscitat mortuum, relinquendo scilicet illi reliquias aliquas, & pristinas miserias: quia non semper pœnas omnes remittit. Ex quo apparet h *Baptisma* (vt ipse Apostolus dixit) *esse vnum*, nec posse nisi semel in vita suscipi. Cùm enim vnica tantùm sit naturalis natiuitas, nec erit (vt ait Sanctus Augustinus) nisi vna spiritualis. Ac propterea Baptismus signum quoddam animæ imprimit, quod Theologi CHARACTEREM appellant, qui nulla culpa deleri potest. Vult enim D. N. perpetuò in anima testimonium manere obligationis, cui se Baptizatus obstrinxit, conseruandi fideliter acceptam gratiam; & in signum etiam voluntatis diuinæ, qua DEVS ex parte sua nunquam gratiam illam velit subtrahere: si is, qui accipit, constans in ea esse velit. Nam, vt Apostolus dixit: i *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.*

HINC *secundus* procedit bonorum thesaurus, quem baptismus efficit, *cœli* portas baptizato *aperiendo* ad tres fines. in signum scilicet, quòd, quemadmodum diximus, ita omnia impedimenta remouerit, in gloriam intrandi, vt, si baptizatus nullum aliud apposuerit, statim atque obierit, infallibiliter in eam ingrediatur. Propterea siquidem CHRISTVS Dominus noster dixit: k *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* modò

Natiuitas Spiritualis.
e *Ioan. 3.5.*
f *Gen. 1.2.*
g *Tit. 3.5.*
Baptismus pœnitentiæ sacramentũ superat.
Repeti nequit.
Ephe. 4.5
h *Tract 11. in Ioan.*
S. Tho. 3 p. q. 66. a 9. Character.
i *Rõ. 11. 29*
2.
Bonum. Cœli aperti. 1. vt intremus.
k *Mar. 6. 16*

2. vt gratia descendat. V. de Suar. p. disp. 26. sect. 2.

perseueret is semper in conformanda vnà sua cum ijs, quæ fides docet ac dictat.

Sed præter hoc manet cœlum semper apertum, vt aliqui descendant effectus gratiæ sacramentalis ipsius baptismi propriæ; aliqua scilicet auxilia & subsidia cœlestia, quæ D. N. baptizatis summittit; vt in perfectione, quam in baptismo promiserunt, progrediantur, pugnantes aduersus vitia, & conseruantes, augentesque virtutes, sicut mox dicemus.

3. vt cum Deo communicemus.

Ac denique semper cœlum patet, vt baptizatus possit Spiritu eò peruenire, volans Orationis & Meditationis alis ad familiaritatem cum Patre suo cœlesti, qui in cœlis est, habendam. Nam si in Baptismo datur baptizato, vt sit Filius DEI, dabitur quoque titulus ad ingrediendum in conspectum Patris & colloquendum, gratiasque & beneficia petendum: iuxta illud Apostoli: *quoniam estis Filii, misit* DEVS *Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* id significans, quòd Orationis Spiritus, sit Filij Spiritui annexus & coniunctus: imò fortè propterea CHRISTVS Dominus noster (vt Sanctus Lucas refert) orationem cum Baptismo coniunxit: quasi nos doceret, in ipso baptismo donum dari benè orandi: per quod donum etiam aperiuntur cœli, vt noua dona ad baptizatos descendant, quibus possint nobile illud ESSE, quod acceperunt, exornare, ac perficere. proprium enim est parentum & sponsorum, multa dona Filijs & sponsis mittere, ea petentibus; si pro acceptis fideles, gratosque se ostendant.

Luc. 3. 21. Iesu baptizato & orante.

Baptismo nectenda oratio.

§. 2. *Baptismus est vnica Ecclesiæ porta.*

1. AD omnia prædicta multum confert alia baptismi excellentia, quòd scilicet sit vnica porta ad ingrediendum in Catholicam Ecclesiam, & fruendum Sacramentis, sacrificijs, indulgentijs, ac thesauris, quos ex Sanctorum communione in se habet: Nihil enim horum prodesse cuiquam potest, nisi baptizato; nec quisquam erit mystici huius corporis membrum, nisi ei per hoc Sacramentum coniungatur; nec priuilegijs gaudebit Regiæ diuinæ Sapientiæ, nisi per hanc portam fuerit ingressus.

a Gen. 6. 6

b 1 Pet. 3. 20.

NAM quicumque per eam ingredi dedignantur, infallibiliter peribunt: est enim nostra hæc Ecclesia sicut Arca Noë, quæ vnicum tantum a *ostium* habebat. & (quemadmodum Sanctus Petrus dixit) quotquot in arcam illam se recipere contempserunt, prædicationi & monitis Noë resistentes, perierunt, superueniente diluuio; & cum eis etiam ipsi infantes. Nam b *pauci, id est, octo animæ* in ea *saluæ factæ sunt per aquam.* Eodem modo, quicumque diuinæ Voca-

tioni

tioni & Euangelij prædicationi resistentes, nihil faciunt baptismum, peribunt, diluuio suorum peccatorum submersi. Nec solùm resistentes, & contemnentes, sed & ipsi infantes, qui per cœlestem hanc portam ingressi non fuerint, exulabunt perpetuò à cœlesti Patria, & sepelientur in perpetuo lymbi carcere, ob Originalem culpam, in qua sunt nati: à qua non possunt alio medio quàm baptismi purgari, iuxta ipsius Christi Seruatoris nostri sententiam dicentis: c *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum* Dei, quæ est Ecclesia militans, & Triumphans.

Baptismus Arca.

c *Ioa. 3. 5.*

2:

Hæc est generalis vocatio, qua omnes homines ad ingrediendum per hanc Baptismi portam vocantur, & inuitantur. Cuius vocationis suauitas est mirificè in ea arca depicta & illustrata: in quâ tũ ipse Noë, tanquam Dux & caput, tũ septẽ alij ingressi sunt, omnes spontè & libero consensu, scientes quò & cuius rei causa ingrederentur, obedientes mandato & vocationi Dei, qui per seipsum Noë, & per eum cæteris id mandauit. Plurimi autem alij, bruta scilicet animalia in eandem sunt ingressa, cùm non scirent, quò aut cuius causa à Noë ducerentur: cui Deus præceperat, vt secum illa in arcam induceret, quem tamen in executione Angeli iuuerunt. Et hoc secundo modo inducuntur infantes per Baptismum in Ecclesiam, non scientes, neque intelligentes quantum à Deo accipiant beneficium, Et quoniam ipsimet vocationis & inspirationis cœlestis capaces non sunt, tenentur eorum parentes, aut tutores, aut ipsius Ecclesiæ Ministri eos inducere: illis enim Deus mandat, committit, & inspirat, vt eos baptizent; quos per custodes Angelos dirigit, docetque rationem & media id exequendi. Et sæpè per vias extraordinarias curat, aliquos baptizari in mortis articulo, quos ad Cœlum prædestinauerat.

Suauitas Baptismi.

Infantes ignorantes baptizãtur.

Sed non erit rationi consentaneum, vt qui inter Christianos est natus, & in sua infantia baptizatus, obiter & cursim hoc beneficium pertranseat, absque debita gratiarum actione ei, qui ex infinita sua misericordia, ipso nihil tale promerito, illud contulit. O Pater Misericordiarũ: si propterea quòd me nihil scientem in hoc mundo condidisti, adeò sum tibi obstrictus: quantò magis ero, quòd in esse gratiæ intra Ecclesiam tuam, me id non intelligẽtem constitueris! quid mihi natum esse profuisset, si nunquam fuissem baptizatus? & quæ vtilitas mihi fuisset in mundo nasci, si vixissem & mortuus fuissem extra Ecclesiam, vt fomentum essem ignis æterni? præstitisset sane non esse; quam cùm essem, in peccato mori. Sed infinita tua misericordia ab ipsis cunis me præuenit; & antequam potentijs & facultatibus meis vti liceret, eas tu infusis virtutibus exornasti; vt cùm eis

Baptismi beneficium. in paruulis.

vti liceret, gratia tua eas præuentas & corroboratas inuenirem. Concede mihi, Domine, eo feruore donis hisce tuis vti, vt reliqua obtineam, quæ te largiturum promisisti.

3. *In adultis.*

SED veniamus nunc ad eos, qui iam adulti & in ætate discretionis constituti in Ecclesiæ arcam per Baptismum ingrediuntur; agnoscentes beneficium DEI, eiusque præceptum de Baptismo suscipiendo sponte amplectentes; seseque ad Sacramenti gratiam suscipiendam dolore aliquo præteritorum peccatorum, & proposito vitæ mutandæ disponentes iuxta illud Sancti Petri: c *pœnitentiam agite, & sic Baptizetur vnusquisque vestrum*, Id autem totum præcedit specialis DEI vocatio, quæ tum id eis inspirat, tum ad præstandum fert opem. ad eum modum, quo Christus D. N. d *videns hominem cæcum à natiuitate*, misericordia motus, *fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius, & dixit ei*: *Vade laua in natatoria Siloe*; vt, se in ea lauans, videret. In quo (vt Sanctus Augustinus ait) depinxit nobis ipse miserrimum statum hominis in cæcitate tenebrisque Originalis culpæ nati: cuius mali remedium ab eo incipit: quòd DEVS misericordiæ suæ oculos in eum conijciat, eius miseriæ compatiens; & sputo ex eius ore exeunte (quæ est inspiratio & illustratio Spiritus S.) linit oculos animæ, superponens lutum peccati, in quo hæret, vt illud agnoscat; iubetque se conferre ad *natatoriam Siloe*, quod (vt ipsemet S. Ioannes ait) interpretatur *missus*; significatque Baptismum Christi, qui in mundum missus est, vt virtutem aquis impartiretur iustificandi animas. Cui inspirationi, qui paret, lauatque in illis aquis, visum recipit perfectum, gratiæque splendorem.

c *Act.* 2.38.

d *Ioa.* 9. 1 6.

Tract. 44. *in Ioan.* *S. Amb. li.* 3 *de Sacram.* c. 2 *& epistol.* 76

4. *Baptismus in voto.*

SED ne silentio prætereamus infinitam DEI nostri liberalitatem: qui noluit, animarum sanctificationem actuali baptismo adeò seuerè alligare; vt nisi actu & re ipsa susciperetur, nemo posset iustificari. Siquidem legimus: f *adhuc loquente Petro, cecidisse Spiritum sanctum super Cornelium Centurionem, & omnes qui audiebant verbum*, antequam Baptizarentur: vt intelligeretur, omnes qui veram fidem, & peccatorum suorum contritionem haberent, cùm efficacia ipsum Baptismum, statim atque licebit, suscipiendi ita verè iustificari; vt, si repentè morerentur, non sint propterea damnandi. Propterea enim CHRISTVS Dominus noster cùm dixisset: g *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*; adiecit: *qui verò non crediderit, condemnabitur*. vbi non fecit ipsius baptismi mentionem, vt intelligeretur, neminem sine fide saluari posse; posse tamen absq; ipso aquæ baptismo, cùm non ex contemptu, aut negligentia baptismum omittit; nec ipsi deest efficax illum suscipiendi voluntas, si posset: tunc enim huius defectum supplet baptismus *ignis*, qui est contritio; aut

f *Act.* 10. 44. 48.

g *Mar.* 16. 16.

S. Tho. 3 *p. q.* 68. *a.* 2.

san-

sanguinis, quod est martyrium: cum v.g. martyr rapitur ad tormenta, antequam possit baptizari. Nam diuina prouidentia non denegat gratiæ suæ dona, ita seriò se ad eam recipiendam præparanti? quæ gratia ad eam præparationem habendam ipsum præuenerat.

Baptismus ignis & sanguinis.

5.

Remedium pro dubitationibus de suo baptismo

Hac veritate amoris plenissima, licebit tentationi illi mederi, qua aliqui scrupulosi interdum à Sathana vexantur, importunis scilicet ac molestis imaginationibus, quasi non sint baptizati: adductis ad id varijs rationibus, quibus dubitationes illæ innituntur: quas prudens prætereo, propterea quod idem sit omnium illarum antidotum: quod fundatur in diuina prouidentia, qua Christus Dominus Noster prospicit de medijs aptis, vt baptismus conferatur ei, qui de sua salute est solicitus: si fortè illum non suscepisset. Scriptura Sacra huius rei exemplis abundat. Nam h *Eunucho reginæ Candacis* prospexit de baptismo, inspirando *Philippo, vt adiungeret se currui*, quo ille vehebatur, illumque doceret baptismi necessitatem ad salutem: quem etiam credenti statim contulit. Alius Angelus dixit Cornelio Centurioni: i *mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere*; & veniente ad ipsum Petro, baptizatus est. Et, quando Saulus dixit Saluatori: k *Domine, quid me vis facere: Dominus dixit ad eum: surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*; & ille iussit, Ananiam ad illum ire, & baptizare. Et ipsemet Apostolus videns Ephesi aliquos discipulos, qui se existimabant esse Christianos, inspiratione cœlesti motus, dum rem examinat, deprehendit, eos l *baptismo tantum Ioannis fuisse baptizatos: ideoque iussit eos Christi baptismo baptizari.* Ponat itaque se scrupulosus cum humilitate, & animi resignatione coram Christo Domino Nostro dicens illi: *Domine, quid me vis facere* in hac dubitatione, quæ me adeò vexat, & statim aliquem Ananiam Ecclesiæ, virum scilicet aliquem prudentem, doctum, ac sanctum adeat; cui candidè rationes & causas scrupuli sui reddens, certus sit ac securus, magnaque fiducia de prouidentia diuina, quòd per eum virum significabit, quid ipsi sit faciendum. Quare, si is ei dixerit, quod iam sit baptizatus, acquiescat, nec dubitationi amplius det locum. Si enim reuera baptizatus non esset, ad prouidentiam Dei spectabat, modum aperire, quo res illa manifestaretur: quemadmodum per ipsum Apostolum aperire dignatus est, quòd baptizati non essent ij, qui bona intentione in eo erant decepti.

h *Act.* 8. 29.

i *Act.* 10. 5.

k *Act.* 9. 6.

l. *Act* 19. 3.

Prouidentia Dei.

(∴)

§. 3. *Cur Baptismus non remoueat prauas animi propensiones.*

ALIA est dubitatio, quæ non minorem quàm proxima adfert anxietatem, premitque alios, curiosos potiùs quàm humiles, graviter ferentes, quod Baptismus non auferat à baptizato alias pœnas, & affectus, seu passiones ab originis peccato promanantes, sicut aufert pœnas, de quibus suprà diximus. Cum præcipuè eius generis sint hæ propensiones, vt quemadmodum effectus fuerunt peccati, ita ad peccatum impellant, ob carnis aduersus Spiritum rebellionem. Sed his respondere possumus, cùm Sancto Apostolo. a *O homo, tu quis es*, vt rationem à Deo exigas, dicasque: *quid me fecisti sic?* b *quis enim cognouit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* potuisset sanè Saluator noster efficere; vt in aqua baptismi passiones suffocarentur, sicut ipsa peccata moriuntur; & vt ipsa caro renouata prodiret, quemadmodum Spiritus verè prodit renouatus: eius enim redemptio copiosa satis, & ad id efficax erat. Sed voluit hunc fauorem ad futuram vitam differre. si enim illum in hac vita tribuisset, multi homines (ait Sanctus Augustinus) baptismum accepissent potiùs, vt his corporis fauoribus gauderent, quàm vt consequerentur spirituales; potiusque proprij commodi causa, illum quæsiuissent, quàm sui creatoris obsequij. nec ita innotuisset fidei puritas & præstantia, quæ, non visis externis effectibus, confitetur internos.

a *Rom. 9. 20.*

b *c. 11. 34.*

1. *Ne terrena sectemur.*

3. *de Trinit. c. 4.*

Prætercà (vt Sanctus Thomas ait) satis honorificum est seruo, quòd sit Domino suo similis; & discipulo, quòd suum imitetur Magistrum. Cùm ergo CHRISTVS Dominus Noster, & Magister nostri causa carnem assumens, acceperit animam gratiâ & sapientiâ plenam; corpus verò mortale & passibile, donec dies peruenit suæ resurrectionis, quam ingentibus suæ passionis laboribus fuit promeritus: Æquum erat, vt Christiani, cùm per Baptismum ei incorporantur, nascerentur quoad animam fide & gratia renouati, cum omni perfectione, quam Christiani status exposcit, ad explenda scilicet omnia, ad quæ ille obligat: corpore tamen mortali & passibili, sicut ante baptismum, remanente; vt per exercitationem patientiæ, gloriæ coronam assequerentur; & suo tempore etiam resurrectionem eiusdem corporis glorificati, quemadmodum fuit ipsius Magistri, iuxtà illud Apostoli: c *qui suscitauit* IESVM CHRISTVM *à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra; erimusque hæredes Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & glorificemur.* Et quamuis verè passiones ad peccandum

3. *p. q. 69. a. 3.*

2. *vt Christo similes simus.*

c *Rom. 8. 11. 17. Rom. 7.*

impellant;

impellant, per gratiam tamen Dei, ipsæ (vt idem ait Apostolus) peccatum aut culpa non sunt: nec propter eas aliqua pœna digni efficimur, potiùs præbent occasionem, coronam nostram augendi; & vt gratiæ diuinæ, redemptionisque Saluatoris nostri efficacius, quæ per Sacramenta applicatur, magis emineat. Nec adeò feliciter primis nostris parentibus cessit quies illa, qua, ob originalem iustitiam, sine pugna & conflictu passionum gaudebant: vt eorum filijs expediret, statim per baptismum similem pacem restitui: sed magis è re ipsorum erat, horum domesticorum hostium pugnam experiri; qua se magis in humilitate continentes, & frequentibus orationibus ad DEVM recurrentes, externis hostibus, qui sunt Dæmones, animæ suæ portam occluderent: siquidem illi ob superbiam suam, quia in pace & quiete viuebant, ab hostibus sunt superati. Nobiscum loquitur (ait Cassianus) quòd Moyses dixit populo suo: d DEVS *magnus & terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes: non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.* DEVS enim est, qui per gratiam Sacramentorum sit nobis opem laturus, ad appetitiones sensuum, carnisque propensiones omnes euincendas. Noluit tamen, vt vno quasi ictu per baptismum omnes delerentur: quia fortè alia insurgerent infensiora vitia superbiæ; & quæ otiositas gignit in eo, qui aliquos inimicos, à quibus impugnetur, non habet.

DENIQVE multò magis eminet gratia Saluatoris in auxilijs, quæ largitur ad prodigiosam illam coniunctionem & cohabitationem obtinendam, quam prædixit Isaias, e *habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit vitulus & leo & ouis simul morabuntur; nec tamen eis nocebunt.* Feræ enim passionum, quas caro profert, non nocent spiritui. nam potiùs in medio earum manet tanquam ouis mansueta, agnus innocens, & vitulus siue bos Deo obediens, dum eius iugum tollit super se. quamuis enim hæ feræ rugiant, insurgant, eumque dentibus & vnguibus furiosarum tentationum aggrediantur: Ille tamen virtute gratiæ, quam hoc Sacramentum illi communicat, omnibus resistit: & reliqua sacramenta ad victoriam referendam potenter adiuuant. Nec permisisset CHRISTVS Dominus Noster, (vt inferiùs dicetur) tales tentationes insurgere, aut eas feras in baptizatis permanere; nisi statuisset sufficientissima auxilia eis dare, vt vincere eas possent: maiusque lucrum ex felici pugna acciperent, quàm optata ab ipsis pace fuissent habituri.

(∴)

Trident. sess. 5. Decreto de pec. cat. cr. g. c. 5. Passionum vtilitas.

Collat. 5. c. 14.

d *Deut. 7. 22*

Otium vitiorum fomes

e *Isai. 11. 6.*

Spiritus passionibus superior.

§. 3. *Quæ auxilia Baptismus conferat.*

SVPEREST iam postremam baptismi excellentiam explicare, quæ in specialibus auxilijs consistit, ad has passiones superandas, & omnia implenda quæ nobis incumbunt: & ipse Christus D. N. expressit, cum suis Apostolis ait: a *Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Te quibus verbis deducimus, quòd Baptismus ad duo præcipuè nos obliget: Alterum est, vt firma *fide* credamus, quicquid Ecclesiæ suæ Deus reuelauit: qua de causa Sanctus Dionysius baptismum appellat *Sacramentum illuminationis*: Alterum est, vt cum vera *obedientia* impleamus, quicquid ipse in lege sua Euangelica præcepit: Quam ob causam S. Augustinus Sacramentum appellat *incorporationis cum Christo*, alij *fœcunditatis*, significatæ per aquas, quæ terram fœcundam reddunt, cuius etiam figura est, quod Spiritus S. in Baptismo datur tanquam columba, quæ auis est valdè fœcunda: & quod de eodem ait Scriptura, b *ferebatur super aquas.* S. Hieronymus ex Hebræo ait significare: *incubabat*, siue *consonebat* in similitudinem volucris, ouacalore animantis, ita vt statim atque pulli ex ouorum putamine prodeunt, huc illuc celeriter discurrant, vt intelligamus, Spiritum S. per Baptismi aquam, singularem spiritûs calorem & feruorem baptizato communicare: vt propterea Christiani hominis opera alacriter exercere incipiat. Ad cuius rei maiorem declarationem est aduertendum, quòd omnia nouæ legis Sacramenta, (vt ait S. Thomas) præter habitus gratiæ, & supernaturalium virtutum, quæ illam comitantur, specialem quoque aliam gratiam suscipienti tribuant, hoc est auxilium quoddam Dei particulare, ad eum proprium finem obtinendum, in quem ipsum Sacramentum est institutum: ac proinde Baptismis propriam communicat gratiam baptismalem, quæ specialia auxilia complectitur, necessaria ad ea credenda & exequenda, ad quæ ipse baptismus obligat & dirigitur, incorporando baptizatum CHRISTO D. N. Quemadmodum enim caput duplices spiritus vitales influit in corpus: alios qui sensus iuuant ad cognoscenda, quæ ipsis sunt necessaria; alios qui eosdem iuuant ad motus necessarios, ad eadem procuranda: ita (ait idem Angelicus Doctor) caput nostrum Christus Dominus duplicia spiritualia auxilia tribuit per Baptismum: alia ad credenda & cognoscenda, quæ ipse reuelauit illustrando intellectú cœlesti lumine, quo fides ad actus suos, cùm opus est excitatur; alia verò ad ea præstanda, quæ nobis præcepit, voluntatem inspirationibus Spiritus, Sancti impellendo: vt ea velit opere exequi. In cuius rei signum, ait Sanctus Ambrosius, Sacerdotem baptizantem, digito suo sputo intinctu ba-

ptizan-

Benum Sp. S. in specie columbæ.

a *Matt. 28. 19.*

Baptismus obligat ad Fidem & obedientiam c. 2. de Eccl Hierar p. 1. & 2. Lib de Baptismo parvulo. c. 26. Glos. in Psal 22.

b *Gen 1. 2. in quæst. Hebrai. super Genesim.*

3. p q. 62. 2. a. Sacramentorum effectus particulares.

3. p. q. 69. a 5. Duplices spiritus vitales. Lib de Sacramen. c. 5.

ptizandi aures tangere, dicentem: *Ephetæ*, quod est *adaperire* quo significatur, Deum aures eius animæ aperire, per quas fides & obedientia ingreditur; ipseque baptizatus debet propterea eadem aperire, non solùm ad credendum, sed etiam ad obediendum, & operandum. Nam & fides, & Baptismus, & ipsa gratia, & virtutes, quæ in ipso infunduntur, omnes præcipuè tendunt ad exequendum. Quemadmodum Sanctus Augustinus iucundis his comparationibus mirificè declarauit. sicut vulnere (inquit) claudicans ideò curatur, vt sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus Medicus sanat, vt illa iam non sint; sed, vt de cætero per viam virtutum rectè ambulare possimus: quod quidem etiam sani non nisi illo adiuuante, poterimus. Nam medicus homo, cum sanauerit hominem, iam de cætero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, vt eadē sanitas conualescat atque persistat, Deo dimittit: ipse autem Deus, cùm spiritualiter sanat ægrum, vel viuificat mortuum, id est iustificat impium, non deserit, si non deseratur, vt piè semper, iusteque viuatur. Sicut enim oculos corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitùs adiuuetur, rectè non potest viuere. Credere autem debemus, cùm aliquid boni facimus, nos Deo idem facienti cooperari: quia misericordia eius præuenit nos, vt sanemur; & subsequitur, vt etiam sanati vegetemur; Præuenit, vt vocemur; subsequitur, vt glorificemur. Præuenit, vt piè viuamus; subsequitur, vt cum illo semper viuamus: c *quia sine illo nihil possumus facere.* vtrumque enim scriptum est. &: d Deus *meus misericordia eius præueniet me.* &: e *misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Hæc Sanctus Augustinus.

Aures Christiani.

Lib. de nat. & grat. c. 26 Medicus sanat in futurum.

Deus nunquam dimittit sanatum.

Deus lux nostra. Eodem lib. c. 31.

Deus præuenit & subsequitur.

Ex quibus apparet, quantoperè indigeamus gratia, & auxilio, quod in Baptismo Deus nobis offert; & quam obstricti simus ad eidem cooperandum. Tunc enim f *vocamur* ad Ecclesiæ *vineam*, vt animas nostras colamus, ac perficiamus. Ad eum modum, quo Deus Dominus Noster, cùm primum condidit hominem, gratia & iustitia originali exornatum, g *in Paradiso voluptatis constituit, vt operaretur & custodiret illum*: terram eius colendo, & arbores vt copiosiores fructus proferrent, putando; ipsumque paradisum tam à bestijs, quæ intus; quàm à feris, quæ extra erant, custodiendo: ne ingressæ, illum, instigante eas Dæmone ob inuidiam ac rabiem, qua hominem oderat, deuastarent. Nam quamuis ipse Dominus noster potuisset hæc per seipsum facere: voluit tamen Adamum in eisdem occupari, eò quòd occupatio esset ipsius statui conformis. Hunc itaque in modum, non te per baptismum iustificauit Deus, & in Ecclesiæ suæ paradiso collocauit, vt otiosus in ea vitam traduceres: sed, vt in animæ tuæ cultura, quæ

c *Ioan.* 15. 5.
d *Psal.* 58. 11.
e *Psal.* 22. 6.
f *Matt.* 20. 1.
g *Gen.* 2. 15. Homo natus ad laborem.

paradisi huius est pars quædam, laborares: sancta scilicet opera exercendo, eamque à bestijs & feris defendendo, quæ eam peruertere conantur: siue illæ tibi sint innatæ, & intra teipsum versentur, quales sunt prauæ propensiones *carnis*; siue extra vagentur, qualia sunt praua huius *mundi* exempla: quia vtrasque Dæmon ex odio in nostram perniciem vehementer instigat. Quæ omnia fusiùs in progressu, distinctiusque explicabuntur.

Carni & mundo resistendum.

CAPVT II.

VOCATIONEM CHRISTIANORVM PROPRIAM per sanctum Baptisma eò dirigi, vt fiant Milites Christi, eiusque crucem, & legis Euangelicæ iugum tollant.

PROPRIA Christianissimi vocatio, quæ in ipso Baptismo promulgatur, & intimtaur, duo præcipuè requirit officia: designat enim nos in Christi *milites* ad spiritualem militiam contra omnia vitia, omnes Dæmones, infernum ipsum, eorumque fautores, mundum & carnem; Et vt imitatores simus vitæ glorioſi nostri Ducis, sub cuius Crucis vexillo, eam eius partem, quæ nobis continget, legisq; Euangelicæ iugum, quod ipse nobis imponit, portemus. Et vtrumque munus simul nobis incumbit. quemadmodum enim Hebræi Milites a *vna manu sua faciebant opus, & altera tenebant gladium*, & pugnabant contra hostes, qui ædificium impedire conabantur. Ita milites Christi vocati sunt, (vt ipsemet dixit) ad b *turrim* vitæ Christianæ, & Euangelicæ perfectionis *ædificandam*; & ad pugnandum contra regem filiorum superbiæ, qui turris illius ædificium conatur impedire. In cuius rei testimonium cùm Sanctum Baptismi Sacramentū suscipiunt, vnguntur oleo in pectore, & Scapulis; & Chrismate in capite, ad significandum, (vt Sanctus Ambrosius ait) eos vocari, vt sint contra Dæmonem, Mundum, & Carnem luctatores. Nominatim verò vngantur in *pectore*, vt strenuum induant propositum aggrediendi, quæcunque e sint diuini obsequij, luctantes contra hostis tentationes: Vnguntur quoque in *scapulis*, vt firmissimū concipiant propositum tollendi legis, crucisque Christi iugum & onera, etiam repugnantibus carnis passionibus: *vertex* denique capitis inungitur, vt tertium aliud generosius induant propositum, ponendi supra caput suum omnia, quæ ad CHRISTVM Dominum nostrum spectant, honori sibi ea ducentes, nomenque, & opera Christiani præ omnibus mundi huius pompis ac dignitatibus. In cuius rei testimonium (vt expendit S. Dionysius) ter interrogantur: *renuncias Sathanæ, & omnibus pompis eius?* & toties respondent: *Abrenuncio*, cui propterea sta-

Milites & operarij sumus.

a 2. Esdr. 4 17.

b Luc. 14. 28.

Lib. 1. de Sacram. c. 2 & lib 3. c. 1. S. Thom. 3. p. q. 66. a. 10 ad 2. & q. 71. a. 2. & 3.

Trina vnctio & abrenunciatio.

c. 2. Eccle. Hier.

reà statim bellum indicunt, adscripti sub vexillo Ducis sui Iesv, qui in hocipso Sacramento armaillis præbet interna, quibus strenuè pugnare, omnesq; suos hostes vincere possint. Quia omnibns animæ facultatibus virtutũ supernaturalium, & Spiritus S. donorũ arma tribuit: hac ratione manifestans suam erga tales milites curam, & amorem: quemadmodum Ionathas ingentem amorẽ, quo Dauidem prosequebatur, declarauit, cùm b *expoliauit se tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauidi; & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsq; ad baltheum.* Hunc ergò in modũ noster supremus Dux suum erga nos amorem ostẽdit, tribuens nobis per baptismum pretiosam gtatiæ diuinę *tunicã*, & pulcherrima charitatis & supernaturalium virtutũ *indumenta*: arma etiam donorũ Spiritus S. cum auxilijs huius Sacramenti proprijs; & *gladium* & *arcum* inspirationum, & verborũ internorum ijs similium, quæ in Scripturis diuinis continentur, ad pugnãdum contra hostes vniuersos: imò & *baltheo* nos cingit, quo nos tanquam suos milites designat, vt sub eius vexillo perpetuò militemus: ac propterea animæ imprimit *characterem* baptismi, qui (teste Sancto Basilio) signum est militum Christi. qui character adiuncta gratia, milites Christi à Dæmonis militibus discernit, quod signum, vbi militiæ cælestis Angeli cernunt, mox accurrunt, vt suos iuuent commilitones, cùm eos à suis hostibus oppugnari & vexari vident.

Arma Christiani.

b 1. *Reg* 18. 3

S. Tho. 3 p. q. 62. a. 2.

Character. In exhort. ad Baptis. quæ hom. 3.

Sed ne singulare adeò diuini nostri Ionathæ in nos studium, qui propria sua tunica, eisdemque vestibus nos induit, quibus ipsemet fuit indutus, ita properanter pertranseamus: hæreamus in eius consideratione nonnihil: O altitudo charitatis Christi! ô vocationis Christianæ magnitudo! quid existimas, ô Christiane, egisse erga te Christum die, qua fuisti baptizatus? nisi quod eisdem vestibus te induerit, quibus ipse indutus est? & quid dico vestibus? ipsemet fit vestis tua; coniungens se tibi per amorẽ, vt dulcissimo eius comitatu protegaris, ac defendaris: tuaq; vita eius vitæ sit similis. c *An ignoratis* (ait Apostolus) *quia quicunq; baptizati sumus in Christo* Iesv, *in morte ipsius baptizati sumus, & consepulti cum illo per baptismum*; vt *quomodo Christus surrexit à mortuis*, ad vitam glorioſam: *ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, adeò illi similes, vt ipsum d *Dominum* Iesvm *Christum* verè *induamur*. iuxtà illud, quod idem Apostolus alibi dixit: e *quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quare non oportet amplius veteris hominis vitam ducere, cuius veteres vestes iam exuistis, vanisq; eius pompis renunciastis. Estote, ait *S.* Ambrosius, promissionis memores, quam fecistis: nec ad reiectas semel pompas redeatis. Induite purissimam ipsius Christi vestem, quæ veste *candida* significatur, qua vos induunt in Baptismo. & studete (ait Sanctus Cyrillus) eius candorem & puritatem tanta sem-

Christus vestis nostra candida.

c *Rom.* 6. 3

d *Rom.* 13. 14.

e *Gal.* 3. 27.

Lib. de Sacr. 2 & *li. de iis qui myst. initiantur.*

per perfectionis excellentia conseruare, vt ipsi Christo similes esse videamini. Dic mihi, quæso, quid sit Dauid vestitus & armatus sicut Ionathas, nisi alter Ionathas? & quid Christianus Christi Domini vestibus & armis indutus, nisi alter CHRISTVS? Hæc (ait Sanctus Gregorius Nyssenus) est perfecta forma hominis Christiani: vt in vita sua sit *alter Christus*: non æqualitate sed imitatione perfecta: cùm dixerit ipsemet Christus: f *non esse discipulum supra Magistrum: perfectum autem omnem futurum, si sit sicut Magister eius.* Et Apostolus: si g *qualis est Adam terrenus, tales sunt & homines terreni*: quid mirum, quòd *qualis est Adam cœlestis, tales sint & homines cœlestes*? qui h *conformes fieri debent imaginis filii Dei* crucifixi ac mortui, vt prodeant renouati, sicut ipse Christus cùm resurrexit. Id autem totum per Sanctum baptisma obtinetur.

Alter Christus efficiaris. Homil. de perfecta forma hominis Christi.

f *Luc. 6 40.*

g *1. Cor. 15. 47.*

h *Rom. 8. 29.*

§. 1. *Vocatio ad crucem tollendam, ad imitationem Christi.*

EX prædicto fundamento deduces primùm, Vocationem tuam, qua es Christianus, esse ad ipsius Christi crucem tollendam, tanquam proprium ipsius insigne. propterea enim (teste S. Dionysio) omnes vnctiones & Benedictiones super ipsum baptizatum, & aquam baptismi fiunt in modum crucis: vt intelligas, semper te debere crucem ipsam portare; cùm ipsa te regeneret, faciatque Christianum, ad similitudinem Christi crucifixi; qui dixit: a *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: hoc est, imitetur me, abnegando seipsum, quemadmodum ego me abnego: & portando crucem suam, sicut ego meam: faciendo, quod viderit me facientem, aut patientem propter iustitiam.

c 2. Eccles. Hier. Ad crucem vocatus es.

a *Matt. 10. 24.*

FINGAS teipsum quasi duplicem hominem, alterum carnalem Adami terreni; & alterum spiritualem cœlestis Adami filium: &, quòd carnalis homo petierit, debere spiritualem ei denegare. si itaque caro tua ad aliquid propendeat, quod sit spiritui contrarium, ne acquiescito: sed potenter reprime; si sensus aut propria voluntas aliquid petent Christiani hominis professioni contrarium, denega & repelle: & si tuipse aliquid concupieueris contra id, quod mandat DEVS: abnega teipsum. id enim est esse Christi militē, pugnare cōtra teipsū, vt te mortifices; vincasq; in omnibus, quæ nō sunt glorioſi tui Ducis voluntati conformia. Hac abnegatione portare incipis crucē tuam. quæ protereà *tua* dicitur, q tu ipse debeas illā tibi fabricare, & super humeros tuos tollere. Et quemadmodū materialis crux ex duobus coniūctis & affixis lignis fit: ita spiritualis ex duabus rebus conficitur: reiectione scilicet dulcium, & magnificarum rerum, quæ prohibet Christus, quamuis appetat eas caro; & amplexu rerum acerbarum & humilium,

Spiritus carni cuncta neget.

Crux tua.

milium; quas iubet Christus, quamuis eas horreat & fugiat caro: & contra vtrasque carnis repugnantias fortiter, tanquam strenuus miles, qui subijpsi vim & violentiam infert, pugnare debes. Quod si fortè alius quispiam crucem hanc tibi imposuerit, denegando tibi quicquid iucundum appetis; & compellendo te ad aspera, quę horres, amplectenda: debes eam crucem magna patientia ferre, & licèt aliena manu fabricatam, eam facere tanquam propriã; eademq; animi tui oblectatione accipere, atq; si tu ipse eam elegisses: faciens ex necessitate virtutem, quæ semper patietur persecutionem, & contradictionem: nec eam assequi licebit, nisi hanc tuleris crucem.

Crux spiritualis.

Nec tamen satis est, crucem quocumque modo tollere, nisi Christum Ducem tuum eo spiritu sequaris, quo ipse suam; & in eum finem, quo illam in montem vsque Caluarium portauit: vbi ei confixus, & mortuus fuit. Non est crux tua portanda, (ait S. Gregorius) sicut b *Simon* ille *Cyrenensis* qui quasi coactus, & pro mercede, Christi crucem post ipsum portauit; & statim, atque in Caluarium montem peruenit, eam ibi abiecit, nolens in ea mori: Christiani enim hominis vocatio non *seruorum* est, qui ex timore seruiunt; nec *mercenariorum*, qui pro temporali mercede laborant: sed est vocatio *filiorum*, qui ex amore patri suo obsequuntur, cum spe hæreditatis, quæ filiorum est propria. Si itaque tuam crucem post Christum tollis, id fac ob amorem erga illum; & quoniam ipsa crux medium & via est ad filiorum Dei hæreditatem consequendam: quæ tunc tantum obtinetur, si etiam in ea cruce moriaris: de qua dixit Apostolus. c *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* caro itaque moriatur, vt spiritus viuat; & Christo crucifigaris, vt viuas Deo; & per imitationem eius perfectam eò verias, vt sis *alter Christus* crucifixus: ita vt liceat tibi cum Apostolo dicere: d *semper mortificationem Iesu in corpore meo circumfero, vt eius vita manifestetur in corpore meo*; & e *vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci: viuo enim iam non ego: viuit vero in me Christus*: f *ego enim stygmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Quid verò totum hoc significat, nisi quod sis imago viua Christi mortificati, crucifixi, ac vulnerati, cùm tanta in corpore & spiritu similitudine, vt vita tua, Christi ipsius vita potius sit, quàm tua; & per tuam veniatur in vitæ eius cognitionem: quemadmodum per hominis imaginem, & viuum exemplar ipse homo cognoscitur.

Lib. 8. Mora c. 26.
b *Matt. 27 31.*

In cruce moriendum.

c *Gal. 5. 24.*

d *2. Cor. 4. 10.*
e *Gal. 2. 19*
f *Gal. 6. 17.*

Viuat in te Christus.

Vt autem ad hanc Vocationem acceptandam magis anheles & exciteris: adde & illud quod ipse Christus te sua cruce præcedat, vt tu sequaris cũ tua: quemadmodũ insignis ille Dux Abimelech, vt suos milites ad propositam sibi expeditionem magis animaret, g *ascendit cum illis in mõtem Selmor, & arrepta securi præcidit arboris ramũ; impositumq; ferens humero, dixit ad socios: quod me vidistis facere, cito facite, qui certatim ramos de arboribus præcidetes, se-*

Christum præuntem sequer
g *Iudi. 9. 48*

quebantur Ducem: nō dedignātes adeò vilem & molestum laborem arripere qui tale sui Ducis exemplum videbant. Hunc ergo in modum glorioſiſſimus Dux noſter IESVS, cupiens ad Euangelicam perfectionem amplectendam nos animare, mortificationis ſecuri in ſua manu arrepta, grauiſſimam ſibi crucem aptauit, quam ſuſtulit, ducens vitam ſuam in magnis laboribus, & horrendis cruciatibus: eamque amittens, vt peccata, omneſque hoſtes noſtros vinceret, ac profligaret. Et ſuis militibus intus in corde ſuggerit ſtatim: *quod me* lumine fidei *vidiſtis facere; cito facite*: abnegate vos ipſos, tollite crucem veſtram, quemadmodum me facientem vidiſtis; & ſequimini me, imitantes quicquid ego facio. Eſt adeò efficax hoc verbum cum tali exemplo, quando lux cœleſtis illud manifeſtat, vt feruentes huius Domini milites, abſque mora, & magna celeritate aſcendant poſt ipſum h *ad montem Myrrhæ*, magnaque promptitudine ſecurim manu arripientes toti in eo ſint, vt ſeipſos mortificent, ſibique fabricent crucem ſui Ducis ſimilem: vt & viuant & moriantur in ea; & ſancta quadam æmulatione de eo contendunt; non quis maiorem honorem aut delitias aſſequatur; ſed quis plures ramos ſecet, maiusque onus portet, non contenti mortificationibus à DEO præceptis; ſed alias ſponte addentes, ad eiuſdem ſequenda conſilia: magnam felicitatem reputantes, quod ſuum Ducem in omnibus imitari poſſint, quæ ipſe ad noſtrum exemplum fecit.

h *Cant.4.6.*

Crux tibi exemplo Chriſti fabricanda.

§. 2. *Vocatio ad Chriſtianæ perfectionis iugum tollendum.*

QVONIAM verò prædictæ nunc Vocationis ratio ſeueritatem quandam præfert in ipſis verbis, quæ ſolet debilia corda terrere: voluit Dux noſter ſuauiori alia ratione ſeueritatem illam mitigare, ac dulcorare. a *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me; quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* O ineffabilis dulcedo Chriſtianæ vocationis! quomodo hæc cohærent: tollite crucem veſtrā, & ſequimini me: & venite ad me, qui onerati eſtis, & ego reficiam vos. ſi onus eſt crucis, quomodo eſt leue? quod ſi leue, quomodo eſt crux? ſed vtique quod caro non aſſequitur, & ipſa natura ſatis diſcernere non poteſt, id ſpiritus cœleſti lumine illuſtratus facilè intelligit, quomodo Chriſtus D.N. eum vocet, vt portet ſuum iugum, legem ſcilicet Euāgelicam cum onere præceptorum eius, & auctario conſiliorum: quæ ad facilius pleniusque implenda ipſa præcepta, valdè conducunt.

a *Mat.11.28.*

I. NAM ſi rationes perpendas, quas ipſamet Vocatio pro ſe affert; intelliges imprimis, nullum onus grauius eſſe peccato; nec iugum horrendum magis, quàm Dæmonis ſit, ac mundi ipſius: quorum leges & onera ſub-

eunt

eunt peccatores. Audi ipsos damnatos: b *lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* subierunt enim innumera mala, & pœnas ex suis peccatis ortas. Si igitur in humeris tuis centenarium portabas, quo ablato quinquaginta tantum librarum pondus tibi imponitur; & si iugum ferreum aut plumbeum, quod tuas ceruices premebat, tibi auferatur, imponatur verò ligneũ, idq; valdè subtile: an non existimabis, onus esse leue, iugumq; suauissimũ, quod nunc portas, si cũ illo priore conferatur? quo die hoc te Devs beneficio affecit, vt sua gratia iustificaret: abstulit à te grauissimum tuorum peccatorũ onus, & à Dæmonis tyrannide liberauit: qui quasi alter Pharao affligebat te lateribus crudis conficiendis, qui miseram tuam animam grauissimè premebant, cum periculo ad abyssum vsque inferni deprimendi: Cuius oneris loco, iugum suæ legis, quæ gratia appellatur, imposuit: eò quòd Sacramenta, quæ in ea sunt, tantum ad onus illud portandum gratiæ conferant, vt fiat leuissimum, tantoque deuotionis oleo iugum ipsum inungit, vt suauissimè feratur, inxta illam Prophetæ sententiam: c *auferetur onus de humero tuo, & iugum de collo tuo: & computrescet iugum à facie olei.* si enim Sacramenta ipsa, vt oportet, accipias: tantum ex eis feruoris spiritum ac deuotionis accipies, vt magna tua oblectatione, Dæmonis iugum excutias, vt Christi suscipias: qui iuuabit illud portare cum gratia vocationis, quæ propria est Christianismi: quemadmodum per aliũ Prophetam promisit, dicens: d *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum, vt vesceretur.* Sic enim fiet, vt iugum graue non sit; nec eos premat; daboque eis spiritualem cibum, vt eo vescantur, quem per ipsa Sacramenta distribuo: ex quo tantum proficient, tantamque induent fortitudinem, vt laborem non sentiant. Ne itaque animo deficias, frater, cùm vitã Christianam audis esse crucem, & iugum imbecillitati carnis tuæ contrarium: non enim tuis, sed Dei viribus illud portabis, qui suam tibi gratiam impertiet; nec solus feres, sed concomitante Christo, qui onus alleuiabit; & refectio, quam tibi offeret, sufficiens est, ad cor tuum commutandum, & ex debili ac timido, impauidum, robustum, strenuumque faciendum.

A Derrorem tuum ampliùs retegendum, attentiùs perpende, quid tibi promittat, cùm dicit: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* An non vides, obtulisse se eum ad remouendam omnem tuorum onerum intolerabilem molestiam; dandum verò summum in eisdem leuamen? Nihil enim adeò intolerabiles efficit huius vitæ labores, atque *impatientia & superbia* repugnantia, quæ inferni est viuum exemplar: nec quicquam magis eosdem minuit, quàm *mansuetudo, patientia, & humilitas*; quæ eos in purgatorium,

b *Sap.5.7.*

Iugum Christi leue respectu aliorum.

2.

c *Isa.10.27.*

Sacramenta iugum Christi sit leue.

d *Osee.11.4*

3.

& non-

& nõnunquã etiam in paradiſum cõuertit. Exiſtimas fortè, filios huius ſæculi non ferre ſua onera, & cruces? audi Eccleſiaſticum dicentem: e *iugum graue impoſitum eſt ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ.* quis in mundo euadit morbos, lites, perſecutiones, paſſionũ rebellionem, & innumera alia mala? & quid ea omnia reddit grauiora, & moleſtiora, quam impatientia, & ſuperbia: eò quòd propriæ voluntati aduerſentur? at patientia, & humilitas admittit ea libenter: imò ſi illę perfectæ ſunt, etiam gaudenter: gaũdent enim & exultant cum talia eis imponuntur. Quamobrem S. Leo Papa: *nihil*, inquit, *arduum humilibus, nihil aſperum mitibus*: DEVS enim copioſa ſua gratia omnia reddit illis facilia. Si igitur Saluator ipſe te ad impatientiam & ſuperbiam deponendam; ſuam verò mãſuetudinem & humilitatem amplectendam inuitat; & ad vtrumque præſtandum gratia vocationis, & admirando ſuo exemplo adiuuat: quomodo non erit onus eius leue, & iugum ſuauiſſimum? & quomodo animę tuæ requiem non inuenies, ſi pondus adeò graue ab ea reijcias? & quid aliud ſunt manſuetudo & humilitas, niſi Spiritus Sancti alæ, quibus ad quietis locum volatur? & rotæ currus Euangelicæ legis, quibus iucundiſſimè poſſis eam vehere: & arma, quibus milites Chriſti hoſtes ſuos oppugnant, & vincunt. Ita enim ipſe dixit ſuis diſcipulis: f *ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Nec tamen mittit illos inermes: ſi enim ſicut agni eunt, manſuetudine & humilitate veſtiti: his armis ipſos lupos ſuperabunt, & inuenient optatam ſuis animabus requiem.

c Eccl. 40. 1.

In mundo maior preſſura.

Ser. 1. de Epiph.

Manſuetudo & humilitas crucem mitigant.

f Luc. 10. 3.

4. *Præmium crucis magnum & velox.*

DENIQVE præmij ſpes iucundum facit laboris onus: & quò præmium eſt vicinius, eò labor redditur leuior. Quomodo ergò iucundus non erit legis Euangelicæ labor: poſtquam baptiſmus cœleſtes portas aperuit: adeoq; propè eſt requies æterna? hæc requies eſt, quam Redemptor ipſe clariùs promiſit, cùm dixit: g *qui mihi miniſtrat: me ſequatur & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Vbi autem erat tunc ipſe Dominus, cum hoc promiſit: vt intelligamus, vbi futuri ſimus, ſi eum ſequemur? erat quidem ipſe corpore in terra; ſed ſpiritu in Paradiſo; patiebatur, & ſuſtinebat labores tanquam peregrinus in hoc mundo: ſed ſummis gaudijs plenus erat, tanquam perfectè beatus. Quod idem proportione quadam & ipſe habebis ſi perfectè eius veſtigijs inſiſtas. Duplex enim animæ tuæ leuamen obtinebis; alterum in futura vita, cum iam de facto cũ Duce tuo eris in cœlo; alterũ verò in hac vita, vbi ſimul cum afflictionibus corporis, quas ſuſtinẽt Viatores, aliquas ſpiritus iucundas oblectationes percipies: illis ſimiles quibus beati fruuntur. Nam eiuſdem Domini promiſſio eſt, quod ſit h *nunc in tempore hoc centies tantum daturus ſimul cum perſecutionibus*, vt eas faciles reddat ac iucũdas.

g Io. 12. 26.

Etiam in hac vita.

h Marc. 10. 30.

CONSIDERA itaque, ô Chriſtiane, ſuauitatem vocationis, qua Chriſtus

D. N. ad

D.N. ad iugum & onus (quæ ipse Sva appellat) portandum inuitat; & experieris, optimè tecum agi, si annuas. Ipsius ast iugum, quia ipse est huius legis, horum præceptorum, & consiliorum Euangelicorum author: ipsius est: quia ipsemet super se illud tulit, omnia ea opere explendo in nostrum exemplum: Ipsius est, quia ipsemet tuo collo illud imponit; sed simul tecum illud portat, adiuuans te sua potente gratia: Ipsius etiam est crucis onus, quia primus eam tulit; & ipsius ordinatione, aut permissione pars illa, quam tuleris, tibi continget: ipso tamen tecum eandem tollente, ne sub ea deficias. Cùm igitur, qui te vocat, mitis sit, & humilis: mitis in tolerandis peccatorum iniurijs; humilis in conuersando cum paruulis: simulque Deus est infinitus, auxiliator, omnipotens, duxque solicitus: qui nunquam non aspicit suos milites, nec suum eis subtrahit subsidium: gratias ei age, quod sancta sua Vocatione te ad sequendum vocauerit: & stude, i *eius vestigia*, quàm possis proximè *sequi*: pedem scilicet tuum, vbi suum ille posuit, imponendo. Quid autem est *proximè* illum sequi, nisi magno amore sequi? amor enim rei nos amatæ cõiungit; & amoris frigiditas separat ab eadem. Et quemadmodum qui alium à longè sequitur, facilè eius aspectum amittit; nec potest ipsius vestigia, vt ea terat, inuenire; qui verò proximè sequitur, facilè eadem terit: ita si Christvm omninò remotè sequaris, corde scilicet tepido, aut frigido: citò ille tuum conspectum effugiet: ac proinde facilè in eius imitatione deficies. quemadmodum euenit Sancto Petro in nocte passionis eius, de quo dicitur, k *Petrus autem sequebatur eum à longè*, animo scilicet valdè in amore frigido, ideoque tentatione accedente, ex magna timiditate negauit, se eum agnoscere. Quòd si magni te facias, quòd strenus sis miles, magnoque amore Ducem tuum Iesvm prosequaris; amor efficiet, vt prope ipsum semper ambules, gressibus & vestigijs eius semper inhærendo, ita vt cum S. Iob dicere possis l *Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui, & non declinaui ex ea. à mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius*: ne aliquid contra ea facerem.

Iugum & onus Christi.

i 1. *Pet.* 2. 21.

Christum proxime sequaris.

k *Mat.* 26. 58. *Non à lõge.*

l *Iob.* 23. 11.

CAPVT III.

RATIO VERITATEM ET EIRMITATEM Vocationis examinandi ad Christum sequendum, & Baptismum & quemcumque alium in Ecclesia statum suscipiendum.

QVAMVIS Vocatio ad Christum D. N. sequendum, sanctumque baptismum suscipiendum, adeò sit necessaria, sicut diximus: non vult tamen diuina Maiestas, omnes potẽtes sub ipsius vexillo recipi; statim admitti, quin prius eorum animus, dispositioq; explorentur, quam ad id afferunt. Et quoniam hoc punctum magni momenti est ad ea, quæ imposterum sunt dicenda de reliquis Ecclesiæ statibus: operæ pretiũ erit, fundamenta hic iacere, p ijs omnibus, ex ijs quæ dicemus de baptismo, quo in primo hominis statu, qui etiam perpetuus est, constituimur: super quem *quatuor* alij etiam perpetui fundantur i *Religiosorum* scilicet, & *Ecclesiasticorum*, qui ordine sacro initiantur; & *Episcoporum*, ac denique *coniugatorum*. qui proinde omnes perpetuò adstringuntur ad propria onera portanda. Ex quo prouenit, ad quemcumque eorum prudenter adeundum, iacienda esse fundamenta ita solida, vt sint ex se perpetua. Si enim fundamentum temporale sit, ac mutari possit: non erit stabile ædificium. Nam quemadmodum a *statua* illa, *quam vidit Nabuchodonosor*, quæ quatuor mundi Monarchias significabat: etiamsi ex quatuor solidissimis Metallis conflata esset, *auro, argento, ære, & ferro*; sed quoniam *pedes eius partem vnam habebant fictilem; abscissus lapis de monte sine manibus percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum*: Ita si tua circa hos status electio temporali fragilique fundamẽto innitatur: nec firma erit, nec stabilis. deficiente enim fundamento, statum ipsum deseres; dolens, cum magno tuæ conscientiæ detrimento, quòd illum fusceperis. Quamuis autem stabilitas hæc à diuinæ vocationis gratia præcipuè oriatur; exigit tamen etiam ex parte hominis conditiones aliquas valdè necessarias.

Quinque status perpetui.

a *Dan. 2. 3.*

4. Conditiones eorum.

1. Intentio pura.

PRIMA Conditio est, vt eum vitæ statum acceptes, & suscipias ob fines non temporales & perituros; sed firmos & æternos: intendendo in eis gloriam præcipuè DEI, & animæ tuæ salutem. Nam quò hæc *intentio* purior erit, minusque de fine aliquo terreno admixtum habebit: eò proposita tua firmiora erunt & stabiliora. Et hinc SECVNDA oritur conditio, quæ priorem firmitatem confirmat voluntate quadam firmissima ac resoluta, vocationem ipsam acceptandi, & in ea vsque ad mortem perseuerandi, eò

2. Constantia.

quòd

quòd rationibus ac circumstantijs eius vocationis, eò sis deductus vt certò statuas, ad æternos fines, in quos tendis, expedire tibi, vt te ipsi Vocationi dedas. Et hanc firmam resolutionem (ait S. Basilius) esse firmam b *petram, super quam vir Sapiens ædificat domum suam*, ne cadat. Huic TERTIAM coniunges Conditionem, vt scilicet statum suscipias cum magna spiritus *libertate*, non ob violentiam, aut vim; nec ob humanum metum, aut preces importunas: quia nihil violentum, est perpetuum: & quod facis inuitus, nunquam diu durare potest, & lex ipsa gratiæ, non seruorum est, sed liberorum filiorum: quorum vocatio suauissimam quandam vim inferre consueuit, quæ tantum abest, vt adimat libertatem, vt eam potiùs augeat. Perficit denique rem totam cordis *humilitas*: qua te indignum agnoscis, qui à DEO voceris, & ad ipsius obsequium in eius domum eligaris. Nam supra fundamentum adeò altum semper est firmum ædificium.

b *Mat.* 7. 24.

3. *Libertas.*

4. *Humilitas.*

CVM his quatuor Conditionibus suscipiendi sunt perfectionis status, & præcipuè Christiani. quòd cùm adeò sit necessarium, vult Christus D. N. suos ministros, omnium quatuor conditionum examen instituere, cùm ab aliquo petitur Baptismus, aut Religiosus status; & operam dare, vt intelligant, quis sit, qui eos verè vocet; qua intentione accedant, & quem animum præ se ferant in eo perseuerandi, quod petunt. Esto enim, quod bonum est petant: fieri tamen potest, vt id faciant minus recto fine, aut cum fictione, vel animi leuitate, aut supra ipsorum vires, aut cum defectu alicuius alterius dispositionis. Nam c *cor hominum* (ait Ieremias Propheta) *prauum & inscrutabile*, quod sæpè malitiosè suas intentiones & proposita occultat, vt alios decipiat; aut ignoranter seipsum decipit, existimans, ea proposita à bono spiritu suggeri, quæ reuera suggeruntur à malo. Quamobrem dixit S. Ioannes: d *non esse omni spiritui* leuiter *credendum sed prius probandum, si ex Deo sit.* Nisi enim huiusmodi examen præmittatur: alterius ex duobus erroribus valdè pernitiosis periculum est: vt approbetur scilicet & admittatur suggestio Dæmonis, quasi DEI sit vocatio; aut vocatio DEI reijciatur, quasi sit Dæmonis suggestio. Nec minus periculi est, si repellatur is, qui vocatur à DEO; quàm si admittatur, qui ab eo non est vocatus. Nam in primo ei fit iniuria, qui dixit: e *omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras; quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdã ex eo.* In secundo verò damnum infertur ipsis non vocatis: nam cùm non intrent per portam, malumque gerant animum: non perseuerant, & euadunt peiores, f *reuertentes* (vt ait Sapiens) *sicut canis ad suum vomitum* resumẽdum, & g *sus lota, in volutabro luti* sese volutantes, ex quo videbantur exiuisse; &

c *Iere* 17. 9.

d 1. *Ioa.* 4. 1.

e *Ioa* 6. 37. *Par periculum male admittere, aut reijcere.*

f *Prou.* 26 11 g 2. *Pet.* 2. 22.

suo fœtore inficiētes eos, qui desiderabant perseuerare. & ideò Christus D. N. Apostolis suis dixit: h *nolite dare Sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Qua ratione nos monuit; aliquos venturos ad suam Ecclesiam & status Religiosos cum fraude & larua, ad petendum panem Sacramentorum, & margaritas diuinorum mysteriorum, & perfectorum statuum. Quemadmodum Magus ille i *Simon*, qui fortè acceperat cum hypocrisi & fictione Baptismum: & alter ille Magus, de quo refert Sanctus Gregorius, quòd fictè fuerit Religionem ingressus. Et alij ad Confessionem accedunt, vt aspicientibus satisfaciant, sine animo remouendi occasiones, quæ ipsos ad peccata pertrahunt. Quamobrem eosdem probare & cognoscere necesse est. Quia neque iustum est, diuinum hunc panem filijs denegare, qui vera eius fame laborantes, eum in suam vtilitatem quærunt & petunt: nec eundem licet canibus dare, mox eum reiecturis, aut cum dantis iniuria discerpturis: Nec cœlestes hæ Margaritæ humilibus, & spiritu pauperibus denegandæ, quibus ditari cupiunt; nec porcis offerendæ, eas calcaturis, suorumque errorum, carnisque voluptatum cœno immersuris.

h *Matt.7.6.*

i *Act 8.21.*

Lib.1. Dial. c.4.

§. 3. *Ratio Vocationes examinandi.*

VT autem appareat, quantùm referat examina hæc & probationes vocationum adhibere: idem ipse Magistrorum Magister Christus D.N. earum exemplain duobus hominibus, qui ad ipsum sequendum sese offerebant, proposuit. Alter cupiditate & ambitione motus ait illi: *Magister sequar te quocunque ieris.* cùm enim videret Christum D. à plebe adeò amari, tantique fieri, vt Messias crederetur: fore existimabat, vt in Regem illum eligerent; ac preptereà magnos honores, dignitates & diuitias habiturũ, quas in suos Discipulos distribueret. cuius hominis mentem, cùm cognosceret ipse Saluator, respondit quod ille erat promeritus. a *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suũ reclinet.* quasi apertius diceret: Valdè erras, quòd in eum finem me sequi velis: mea enim paupertas, & est, & erit tanta; vt nec habitationẽ habeam, quam vel vulpes, vel volucres cœli habent. Quod si in corde tuo vulpini mores, & sæculi huius astutiæ foueam inuenerunt, & nidũ, ambitiones & vanitates mundi: nõ potero ego habitare in eo: nec tu me poteris sequi: Quare nec vocaris, nec traheris à Patre meo; sed à dæmonibus, vulpiũ instar Callidis; & auiũ superbè se in altũ extollẽtibus, qui hãc tibi metẽ suggesserũt. Alter homo dixit; b *sequar te Domine: sed permitte mihi primũ renũciare his, quæ domi sunt.* sed, quoniã hac sententiã ostendit, se non adeò firmã, atque par erat voluntatẽ habere, cùm se periculo exponeret domi hærendi: ait ad illum IESVS: b *nemo*

1. *Ambitio malesuada*

a *Mat 8.20. Luc.9.58.*

b *Luc.9.61.*

b *Luc.9.62.*

mittens

mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. quasi apertius ei diceret: qui non statuit, firmiter in Schola mea permanere, non est aptus, vt sit meus Discipulus: ideoque nec ad eam admittendus: quemadmodum nec aptus erit agricola, qui cùm incepit arare; mox retrò aspiciens, sine causa ab arando desistit. Et quamuis Euangelistæ non referant, quid isti duo homines, auditis Saluatoris responsis, fecerint: certum tamen videtur, cùm ipse eorum corda & dispositiones penetraret, eos non admisisse; nisi mente mutata, meliusque dispositi, ad sequendum ipsum se offerrent.

Perseuerantia necessaria.

Ex his vtcunque licet necessitatem cognoscere, qua Prælati & Euangelici Ministri, qui humani cordis secreta penetrare non possunt, teneantur, diligentem operam dare, vt varijs industrijs, examinibus, & probationibus in lucem proferant, quod intus latet: vt eos tantùm admittant, quos à Deo vocatos intelligent; ac proinde dignos, qui admittantur. Nam officium eorum (quemadmodum de Ieremia dicitur) est, esse c *probatores in populo & scire ac probare vias eorum*; & gratiâ spiritus discernendi, quam Dominus illis largitur, ipsius loco examinare spiritus, quemadmodum metalla probantur, adhibitis probationibus, & experimentis aliquibus, tanquam catinis & furnis, vt deprehendatur, quæ vocatio, virtusque vera sit, & tanquã aurum & argentum solida: quænam verò ficta, & in specie tantùm tanquam æs & stannum. Et quemadmodum Ezechiel Propheta, cùm ex Dei mandato d *parietem templi fodisset*, vt videret *quæ intus agerentur*; *vidit intus esse multos viros & mulieres varia idola adorantes.* Ita (ait S. Gregorius) strenui Magistri & Prælati, vt discernant: an, qui exterius Dei viui templa apparent, interius quoque sint tales: signum aliquod exteriùs, aut opus aliquod, aut verba, quæ loquuntur, obseruare meritò debent: & inde fodere, varijs interrogationibus, & quasi tentaminibus foramen illud amplificando, vt maiora adhuc externa affectuum & propensionum intus latentium signa promant: & sic ad eorum interiora ingressi, videant, an aliqua vitiorum idola, an verò solum verum Deum adorent; talesque sint interius, quales exterius apparent.

c *Ierem. 6. 27.*
Probanda desideria.

d *Ezech. 8. 8*
Lib. 2. Pastor. 6. 10.

Hvic similem industriam suggessit Deus Duci illi Gedeoni: vt milites eligeret, per quos Madian oppugnaret: cùm enim plurimi se offerrent ad eum sequendum, nec tamen omnes apti essent: iussit, illum, cunctis audientibus, promulgare: e *qui formidolosus & timidus esset, reuerteretur.* metus enim retrocedere eos faceret, & sic aliis fugiendi occasionem darent, *recesserunt itaque de populo viginti duo millia virorum, & tantum decẽ millia remanserunt.* iussit verò idẽ Dominus, eos, qui remanserãt, adhuc probari in modo, quo aquas biberẽt ex præterfluente riuulo dixitq; Gedeon, *qui lingua lam-*

e *Iudic. 7. 3.*
Reiecti I. Timidi.

2. *Non perfecte renunciantes.*

buerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genubus biberint, in altera parte erũt: iussitque *omnes eos, qui flexo poplite biberãt, reuerti in locum suum*: quia modus ille bibẽdi ostẽdebat eos valdè esse addictos & agglutinatos bonis, in proprijs domibus relictis: ideoq; timendũ esse futuros illos in pugnæ progressu timidiores. eos verò, qui obiter aquas tantũ lambuissent, se cũ acciperet: signũ enim esse, eos animosiores, & laborum patientes futuros. Huncitaq; in modũ licèt multi se offerant ad Christi militiã, nõ tamen omnes sunt apti ad eam: eò quod non afferant verum illud firmumq; propositum, ipsum sequẽdi, sicut ipse iubet: quod ex nimia timiditate prouenit. adeò enim crucem Christi Domini, pugnasq; & congressus cum Dæmone, Mundo, & carne horrent: vt firmo animo non audeant, eos aggredi, vel perrumpere. Quod si adeò timidi admitterẽtur: ad primam difficultatẽ & impetũ tentationis ex pugna se subducerent, cũ maiori propriarũ conscientiarũ detrimento, & proximorũ scandalo. Alijs quoque firma hæc resolutio propterea deest, ꝙ perituris vitæ huius bonis nimiũ adhæreant: estq; illis adeò graue facultates etiã malè quæsitas, aut prauas societates, sensuumq; voluptates deserere, vt nõ nisi imperfectũ quod dam Christũ sequendi, & salutis animarũ suarum desideriũ, quod *velleitatem* vocant, concipiant. quasi dicerent, vellem saluari, sed non renunciare ijs, quæ possideo. Etnec sic affecti, sunt admittendi. quamobrem DEVS D. N. ita constituit, vt Ecclesiæ suæ Duces examinent eos, qui in hanc suam militiam adscribi volunt, monentes eos veri, solidi, ac firmi propositi Christum sequendi, calcatis humanis omnibus timoribus; & affectionibus inordinatis, quibus hactenus subiacebant. Nec his monitis contenti esse debẽt, sed Gedeonis exemplo probationes aliquas adhibere, quibus certiùs cognoscant, an proposita, quæ lingua proferunt, etiam corde retineant. Quæ ratio examinis & probationis in primæuæ Ecclesiæ initijs, cum propter hostium Ecclesiæ tyrannidẽ pugnæ essent vehementiores, adeò exactè seruabatur, vt dicat Rupertus: quando aliquis Baptismum proprio nomine scripto petebat, consueuisse Ecclesiam, eos per viginti quinque dies detinere: eoq; tempore septem examina, & scrutinia fieri solita, vt veritas & firmitas vocationis, & cõuersionis Catechumenorum magis constaret: Simul verò curasse, eos exerceri in Orationibus, Ieiunijs, abstinentijs à vino & carne, alijsque pœnitentijs: non solùm, vt sic ad Sacramenti gratiam suscipiendam disponerentur; sed etiam, vt suæ constantiæ veræque conuersionis indicia darent. Inde autem ortum habuit mos ille, quo Religiones solent examinare, & per dies aliquot probare eos, qui petunt admitti: seueritatibus aliquibus medijs, quæ refert Cassianus, eos exercendo vt veritatem & firmitatem, qua admitti petunt, manifestent.

Velleitas non est Voluntas.

Lib. 4. de offic. Eccles. c. 18.

Vide Suarez 3. p. q. 71. a. 1.

Probatio prima Religiosorum. Cassian. lib. 4. c. 3.

§. 2. *Pra-*

§. 2. *Prædicta confirmantur exemplo* NOEMI.

OMNIVM prædictorum praxis mirificè apparet descripta ijs, quæ prudens NOEMI vtriq; suæ nurui dixit, cum se offerrent, vellentq; cum ea in Bethlehem se conferre, relicta sua regione Moabitide: a *Ite*, inquit, *in domum matris vestræ, reuertimini filiæ meæ, cur venitis mecũ? num vltra habeo filios, vt viros ex me sperare possitis? Nolite, quaso, filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit*, quàm mea. Non est credendum, (vt aduertit Abulensis) mulierem adeò probam; & scientem suæ Religionis veritatem, sectarum verò gentilium falsitatem persuadere voluisse suis nuribus redire in regionem suam, & ad falsorum Deorum adorationem: sed credendum potiùs, ea verba illis dixisse, animo examinandi, certoq; cognoscendi, an illæ propensiones, quas ad eam comitandam, ipsiusque religionem profitendam præferebant, fictæ essent, & ad oculum tantum, vt satisfacere viderentur: an verò ex corde, veroque amore proficiscerentur. Ostendit verò euentus, ad rem omninò fuisse eas probationes, quibus ORPHÆ incõstantia, RVTH verò constantia & firmitas est deprehensa. In qua re ait glossa ipsam NOEMI fuisse figuram Ecclesiæ, imò & Religionis, *quæ neque indiscretè aliquid agit, neque indiscretè quenquam recipit*: sed potiùs per Prælatos, Ducesque animarũ prudenter examinat Vocationes, & proposita ad se venientiũ, tribus adhibitis probationibus, illis similibus, quas fecit NOEMI.

a *Ruth.* 1. 8.

In hunc locum.

PRIMA probatio est, indicia quædam dimissionis & repulsæ eis dare, quasi non possint voti compotes esse; nec delicias, & viuendi libertatem, in quibus sunt nutriti deserere. Id quod non eo animo est faciendum vt à proposito suo deterreantur; sed vt firmitas, & in eo constantia magis appareat. Quod si, quemadmodum RVTH & ORPHA, cum lacrymis respondeant, se firmiter statuisse, constanter perseuerare: non statim integra est eis fides adhibenda. Nam lacrymæ, & verborum affirmationes non semper sunt certa diuinæ vocationis, cordisque constantis indicia. possunt enim illa à cõtrarijs spiritibus procedere: vt in his duabus mulieribus apparuit. Aliquando enim huiusmodi verba prodeunt ex animo, exteriùs tantum humano more, hominibus, quibuscum agũt, satisfaciẽdi: siue ex reuerentia erga eos, siue ex timore alicuius damni, quod eis inferre possent; aut denique quòd, nisi ea officia offerant, inurbani & rustici habebũtur. Aliquando etiam procedunt ex timore seruili, qualia sunt *nautarum* proposita, cum in periculo, naufragij, & mortis se constitutos vident. Nam animo retinent, cessante periculo, ad pristina sua peccata redire. Aliquando etiam proueniunt ab spiritu vanitatis, & præsumptionis: & tunc offerunt se ad plura, quàm faciant alij; aut ad eadem præstanda, quæ alij: ne illis inferiores esse videantur. quemadmodum S. Petrus feruenti

I.

Non omni verbo credendum.

III.

Nautarum deuotio.

qui-

quidem spiritu actus, sed cum aliqua tamen præsumptione dixit: b *Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*: reliqui verò Apostoli, ne inferiores minusque animatos, quàm Petrus, se ostenderent, c *omnes similiter*, sicut Petrus, *dixerunt*. Aliquando etiam à leuitatis spiritu proueniunt: quia bono tantùm aliorum exemplo ad id mouentur; non profundiùs cogitantes de causa & motiuo illorum; aut quia facilis molliorisque sunt cordis: quod à quauis re externa mouetur. & hac ratione solent etiam lacrymæ ex naturali teneritate fluere; aut ex leui etiam apprehensione damni alicuius proprij vel alieni. Interdum quoque ex hypocrysi, & ficto animo, & varijs alijs spiritibus: quemadmodū alio loco fusius declarauimus. Ex his autem radicibus credi potest, ortas fuisse lacrymas & oblationem illam Orphæ: quæ, & omnes ei similes firmitatem nō habent; nec aliud sunt, quā *flores* quidam apparentes, qui facillimè gelantur, & excidunt. quemadmodum apud Iob dicitur, quod c *in primo flore botrus læditur*. Ac propterea *aliam* interrogationem ac probationem addere opus est: qua imbecillitas siue fictio earum deprehendatur. Quemadmodum prudens NOEMI fecit dicens: d *cur venitis mecum*; quasi diceret, aperite mihi vestrum motiuum & causam, cur hoc iter mecum suscipere velitis: dicite mihi candidè intentiones vestras, finesque qui vos permouent, vt patriam vestram, & quæcunque in ea habetis, deseratis? si nuptias aliquas à me expectatis; non habeo filios, quos in maritos tradam; si facultates temporales aut similem commoditatem optatis: iam perspicitis me solam esse, ac pauperem: *quia egressa est manus Domini contra me*. In hunc itaque modum interrogationes aliquæ, quæ valdè vrgeant, sunt proponendæ: vt in respondendo videant, se cogi ad manifestandam intentionem, aut imbecillitatem, aut imperfectionem interiorem; aut aliquid dicant, ex quo ea conijci possint: aut denique ipso opere eam ostendant: quemadmodum fecit ORPHA, quæ eam interrogationem audiens, ad patriam suam & suorum idolorum adorationem reuersa est: opere ipso ostendens, lacrymas suas verè fuisse fœmineas, & promissa illa ex solo animo exteriùs satisfaciendi prouenisse.

III. NEC tamen ex hoc ORPHÆ in patriam reditu animum abiecit NOEMI, sed potiùs *tertiam* adiecit interrogationem cum singulari prudentia & animi magnitudine, dicens ipsi RVTH: *En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos*: vade cum ea, atque si ei clariùs diceret; quæ eandem habes libertatem cum tua cognata ORPHA, cogita, an tibi expediat, eam sequi; ne præ pudore eam deseras: mihi enim perinde est tecum, vel solam discedere. Satis apparet Deum per hanc Matronam fuisse locutum: siquidem CHRISTVS D. N. simile quid fecit, cùm vidit, e *multos Discipulorum suorum abiisse retro, & iam non secum ambulare dicentes*: *durum esse*

eius

b *Luc.* 22. 33.

c *Mat.* 26. 35

Duris spirit Tract. 1. c. 17

c *Iob.* 15. 33

II.

d *Ruth.* 1. 11.

Intentio exploranda.

III.

e *Ioan.* 6. 67.

eius sermonem: quia eum non intelligebant: Tunc enim conuersus IESVS: *ad duodecim* Apostolos *dixit: nunquid & vos vultis abire?* quibus verbis nõ id volebat Saluator, vt & ipsi Apostoli ab ipso discederent: Nam potius eorum perseuerantiam desiderabat; sed tantùm voluit insinuare, (quemadmodum S. Chrysost. aduertit) liberum illis esse ad parentum domos, & occupationes antiquas redire: eò quod ipse non delectaretur coactis discipulis, aut obsequijs violenter, aut ex necessitate sibi exhibitis. Nam *ex necessitate detineri, par esse, ac si abirent*; neq; enim Deo placet, quod non ex libero corde procedit: & mancipiorum obsequium, quod oritur ex mero seruili timore, est vilissimum: quia nisi pœnam timerent, illud non præstarent: aut mox illud negligerent. Vt itaq; pudorem discedẽdi illis auferret, si ad discedendum propendebant, dixit: *Nunquid & vos vultis abire?* ex quo apparet, quãti Christus D. faciat, suam vocationem cum magna libertate acceptari: siquidem nec discipulos suos, qui iam eam acceptauerant, & quasi in Christianismi tyrocinio versabantur, inuitos volebat in eo manere: quæ libet enim harum coactionum periculum adfert perseuerantiæ. quemadmodum apparuit in vxore Loth, quæ fortè propterea *respexit posti se* Sodomam, quòd Angeli vi quadam *eam cum suo marito & filiabus inde eduxissent*. quamuis ipse Loth, licèt eodem modo ab Angelis eductus, non aspexerit retrò: viri enim fortiores sunt & constantiores feminis; & nouerunt meliùs, quàm illæ, in huiusmodi occasionibus facere ex necessitate virtutem. Nec tamen propterea negamus, diuinam vocationem nonnunquam inchoare à timoribus & flagellis, quæ nonnullam vim inferre videntur, vt suprà est dictum: sed simul tamen cum vera libertate admittitur. pœnæ enim timor, instar est acûs, quæ filum in pannum immittit, ipsa verò exit: sic timor desiderium excitat sequendi Christum, & statum eligendi, quem ille inspirat: sed sequitur tamen, & acceptat, etiamsi pœna cesset: quia videt sibi ita expedire.

Hilarem datorem diligit Deus. Homil. 46. in Ioan. tom. 3.

f Gen. 19. 26. 16.

Timor est instar acus.

SED multò adhuc plus Spiritus latet in verbis Christi D. prædictis ad suos Apostolos. voluit enim illis significare, quàm parum eorũ opera ipsi esset necessaria: siquidem nec turbationem aliquam ostendit, eò quòd alij Discipuli abiuissent retrò; nec ipsosmet contra ipsorum voluntatem retinere volebat. licèt enim omnes eum deserererent: vocare alios posset, qui sequerentur. Quid autem hoc aliud est, quàm omnibus notum facere, quos ad suum obsequium vocat; vt ita liberè venire velint, vt etiam demisse veniant: sibi persuadentes, maius ipsum in eos beneficium conferre, cùm vocat, & in domum suam admittit: quàm ipsi præstent obsequium, volentes venite, & in ea perseuerare. Nam licet Sapiens sis, eruditus, nobilis, & potens in sæculo; non est cogitandum, multum te adulari Deo, quòd eius vocationi pareas: licèt alij eandem repellant. si enim sic cogitas, valdè erras;

Agnoscendũ beneficium vocationis.

breuique à tua vocatione deficies: quia DEVS ob tuam superbiã te deseret, qui non ob vtilitatem suam, sed ob tuam te vocauit: nec admittit te propterea, quòd te ipse opus habeat sed quòd tu ipso indigeas. Et quãuis ad arctam familiaritatem in eius domo peruenieris, dicet tibi, quod Sponsæ: g *si ignoras te, egredere*, & vade ad antiqua tua tabernacula: Hoc igitur humilitatis spiritu cœlestem hunc Magistrum sequi debes, dicens ei quod S. Petrus, reliquorũ Apostolorũ nomine respondit: h *Domine ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus: quia tu es Christus filius Dei viui.* quasi diceret: si à te discedamus, ad quem accedere licebit, vt lucrũ aliquod acquiramus? quò ibimus, ô Patris æterni sapiẽtia, sine qua omnes sumus ignorantes? quò ibimus, o vitæ fons, sine quo omnes infelici morte peribimus? quis, præter te, viam cœlestem nos docere poterit? verba enim tua vitam æternã dant ea accipientibus. De qua re certi omninò sumus, eò quòd tu sis filius Dei viui, in quo totũ remedium nostru: est positũ; magnoque honore nos afficis immeritos, quòd velis in Scholam & societatem tuam admittere. Quando spiritus hic humilitatis deprehenditur, nec probationibus alijs, nec interrogationibus opus est, ad veritatem vocationis Dei cognoscendam: nam vel ipsa sola, sufficiẽs est diuini spiritus eam generantis testimoniũ. Propterea enim non sine mysterio sapientia diuina, cùm suas ancillas misit, vt vocarent ad arcem suã, dixit: i *si quis est paruulus, veniat ad me.* per paruulum intelligens (vt ait S. Gregorius) humilem, qui in oculis suis paruulus est; & indignum se reputat, qui Sapientiæ diuinæ sit seruus. Et cum hoc spiritu accedens, magnum reputat beneficium, quòd in eius domum admittatur.

IMPONAMVS nunc finem hisce probationibus hac admonitione, quæ magni momenti est pro ipsis probatoribus. vt scilicet eisdẽ probationibus spiritum Charitatis adiungant: imitantes prudentem NOEMI: probantem quidem suas nurus grauibus rationibus, vt in suam patriam redirent; sed simul amoris osculum præbentem, illasque illicientem, vt ipsam potius comitarentur. Euitanda sunt tamen ipsis extrema duo vitiosa: attendendo, ne ipsæ probationes adeò sint *molles*, & tanquã in speciẽ, vt oẽs admittant, etiam indignos: nec adeò *seueræ* vt pusillanimes deterreant, etiã à Deo vocatos: sed mediũ prudenter teneant, etiã inclinando magis ad amoris lenitatem, quæ Prælatorũ Euangelicorum velut propria est tessera: imitantes cælestem Sponsum, de quo dicitur: k *quia meliora sunt vbera tua vino*: ad significandum, (vt ait S. Bernardus) vbera Matris, quæ filios suos dulci lacte nutrit, meliora esse puro vino seueritatis, quæ vulneratum & pusillanimem peccatorem pungit; &, vt medicum effugiat, efficit. amor enim illum allicit: qui, etsi fortè frigidus accedat, amabili tamen lenitate exceptus, mutari poterit & accendi.

g *Cant.* 1.8

h *Ioan.* 6. 69.

Humilitas signum veræ Vocationis.

i *Prou.* 9. 4. *Lib* 17. *Moral.* c. 17.

Probatio nec remissa, nec aspera.

k *Cant.* 1.1. *Serm.* 9. *in Cantic. Pinguedo gratiæ, quæ de tuis vberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritualem profectum quã mordax increpatio Prælatorũ.*

CAPVT

CAPVT IV.

Baptismvm alivmve statvm svsceptvros prænoscere oportere onera illis coniuncta, vt maiori firmitate & spiritus feruore illos suscipiant.

ALia magni momenti diligentia supereſt ijs adhibenda, qui Chriſti milites eſſe cupiunt: ad illam animi conſtantiam & firmitatem habendam, de qua in proximo capite eſt dictum. Cùm enim Devs D.N. ſit infinita ſapientia, ſuaque omnia cum ſumma prudentia gubernet, non vult, homines, oculis clauſis & imprudenter ſeſe proijcere ad ipſius diuinam vocationem exequendam, cùm agitur de ſtatu aliquo amplectendo, aut graui aliquo ac difficili munere aggrediendo: præcipuè ſi ſit in eo tota vita permanendum. Niſi enim onus, quod ſibi imponunt, vires que & facultates proprias, ad illud portandum, benè perſpectas habeant, nec promiſſiones, nec propoſita eorum firmitatem habebunt: ideoque facilè fidē frangent; prætēdentq;, ſe deceptos: eò quòd non ſatis rem perpendiſſent, antequā aggrederentur. In cuius rei figuram prohibuit Devs in antiqua lege, offerri ſibi a *quodcunque animal cæcum*, & à Sacerdotibus acceptari. Ille autem *cæcum* animal offerre cenſetur, qui aliquid promittit: aut aggredi ſtatuit difficilè aliquod negotium, priuſquam benè perſpexerit & perpenderit, quæ motiua ad ſic promittendum; & quas vires ad exequendum habeat. Illi quoque Sacerdotes cæcam oblationem acceptant, qui huiuſmodi promiſſa approbant: non prius benè inſtructo ipſo promittente: vt nouerit, quæ onera ſibi imponat. Ex quo fiet, b *vt cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueā cadant*: quia ambo in ijs, quæ agunt, contra prudentiam errant, nec voti fient compotes.

Quapropter iuxtà ea quæ proximo Capite ſunt dicta, ſtatuit Christvs Dominus Noſter, vt homines in ætate diſcretionis conſtituti, priuſquàm Baptiſmum ſuſcipiant, & ad legis Euangelicæ onus ferendum ſe obligent, benè intelligant, quid ſuſcipiant, & quam ſubeant obligationē: iubetque miniſtros ſuos prius tales catechizare, & omnia docere tam c *credenda*, quàm *ſeruanda*, & præſtanda. Et, vt, quanti res eſſet momenti, intelligeremus: ipſemet voluit eius rei rationem reddere ijs, qui eius doctrinam audiebant, & in eius ſcholam ingredi deſiderabant: vt intelligerent cum quanta prudentia & attentione id eſſet faciendum. d *Quis* (ait) *ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt,*

Cæca hoſtia reijcitur.

a *Leuit. 22. 22.*

Conſideratio adhibenda.

b *Matt. 15. 14. Luc. 6. 36.*

c *Matt. 28. 19. S. Thom. 3 p. q. 71. a. 1.*

d *Luc. 14. 28*

sunt, si habeat ad perficiendum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? aut quis Rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus. His duabus parabolis explicuit cœlestis Magister monita & regulas ab ijs seruandas, qui statuunt vocationem Christianismi sequi; ad quem vocantur, ad ædificandam Christianæ perfectionis turrim, & tanquam strenuos duces pugnandum contra vitiorum exercitum.

1. *Virtutes ad cælum euehunt.*

AD id autem præstandum, respicere necesse est huius fabricæ fines, & illa materialia siue opera, ex quibus illa conficitur, quæ non terrena & fragilia esse debent, sed cœlestia ac diuturna; & quæ hominem à terra eleuent in cœlum: quales sunt solidæ Christianæ vitæ virtutes. Fides videlicet rerum à Deo reuelatarum; Spes diuinarum promissionum; Charitas in Deum & in omnes proximos; Obedientia diuinorum præceptorum; peccatorum detestatio; in despectibus humilitas; in periculis fortitudo; & patientia in aduersis. His enim alijsq; similibus exercitationibus e *digne* (vt ait Apostolus) *ambulamus vocatione qua vocati sumus*: donec assequamur finem nostrum, vnionem scilicet animæ cum Deo suo; & postea æternam vitam.

e *Ephes.* 4.1

2. *Renuntiatio omnimoda.*

CVM longa deindè mora, attenteque computandæ tibi sunt facultates ad eius turris fabricam necessariæ; viresque tuæ, ad subeundos in ea labores, explorandæ. Nam hæc turris non aliena manu, sed propria tua est erigenda; nec alterius hominis viribus & facultatibus, sed proprijs tuis, licet à diuina misericordia tibi donatis. Sunt autem hæ facultates, *renuntiatio rerum omnium*, quas possides: tali firmo animi decreto, vt omnes reipsa relinquas, quandocunque ad præstanda Christianæ vitæ opera, in quibus consistit animæ tuæ salus, id esset necessarium. Sine huiusmodi autem proposito, & animi decreto nullæ facultates sufficient ad suscipiendum dignè Baptismi aut Pœnitentiæ Sacramentum; neque vt fias viuum ac perfectum Ecclesiæ membrum; nec vt in æternam gloriam ingrediaris. Quando autem hanc turrim ædificandi voluntas à Deo est inspirata, ipsemet simul gratiæ facultatem & auxilium sufficiens tribuit, ad firmum illud decretum concipiendum, cuius virtute & progredi & perficere possis totum ædificium.

3.

SED quoniam plurimi hostes oppugnant eum, qui de ea fabrica cogitat, & statuit: necesse est, iuxta alteram parabolam, diligenter

per-

peripicere, quantum habeas militem ad hanc pugnam, quantusque tibi sit animus & fortitudo ad eam ineundam, & inuenies quidem, hostem duplum habere exercitum; viginti scilicet millium; cùm tu tantùm habeas decem millia; non quod Dæmones, qui nos oppugnant, plures sint Angelis, qui nos custodiunt; sed quod (vt ait Cassianus) amplior sit vitiorum nos impugnantium numerus, quàm virtutum pro nobis dimicantium: cùm vnaquæque virtus duo habeat vitia extrema, in quorum medio constituta, ab vtroque oppugnetur: ab altero ob excessum, ab altero ob defectum mediocritatis. Nam liberalitatem oppugnat auaritia, & prodigalitas; Spem præsumptio, & desperatio: & sic cæteræ virtutes. Quæ tamē, licèt vitijs numero sint pauciores, sunt tamen natura sua vitijs ipsis potentiores. ideoque fallit hic prouerbium illud: Nec hercules contra duos. Quia vna virtus duobus præualet vitijs; ideoque decem millibus huiusmodi militibus viginti millia tui aduersarij poteris superare, adiuuante diuina gratia, quæ semper stat à parte virtutis. Hæc omnia vult Christus D. N. attentè cōsiderari ab eo, qui incipere velit ipsius esse discipulus: antequam disciplinæ ipsi se subijciat. Si enim cæcè & impræmeditatè rem aggrediatur: breui ipsum facti pœnitebit, & à progressu in turris ædificio desistenti incipient Angeli illudere, imò & ipsi Dæmones, tanquam insipienti: qui, non facto facultatum suarum computo, ædificium cœpit, quod consummare non potuit. Et quamuis non careant culpa, qui non statuerint Christi esse discipuli; maioris tamen culpæ erunt rei, si clausis, vt dicitur oculis eius disciplinæ se addicant, & mox pœniteat facti. Et minus fuisset illis noxium, pacem cum hoste fecisse, quàm ipsam pugnam adeò timidè & inconsideratè aggredi vt in ipsa ex defectu firmitatis propositi; quo accesserunt, succumbant quēadmodum S. Petrus dixit: † *qui refugientes coinquinationes mundi in cognitione D. N. & Saluatoris Iesu Christi; his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius q; illis erat non cognoscere viā iustitiæ: quàm post agnitionem retrorsum reuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato reuertentes quemadmodum canis ad suum vomitum,* in quo magis hauriunt venenum. Cùm tamen & ædificare & pugnare sit necesse, sub æternæ vitæ amissione, etiam necesse erit, ipsas facultates, quas habes; quidque tibi deest benè perpendere; & solicitè ac diligenter operam dare, vt orationibus illud impetres, tuamque vitam feliciter auspiceris. siquidem auxilium D. N. in promptu semper est, tibique ad manum.

Cib. 7 de inst. renunt. c. 15.

Virtutes pauciores sed potentiores.

† 2. Pet. 2. 20

Omnino ædificandum & pugnandum, & facultates quærendæ.

§. 1. *Modus prædicta in praxin deducendi.*

AD exequendum & reipsa præstandum quicquid Christus D. N. nobis iniungit, plurimū referet mancipātem se de nouo eius obsequio,

diligenter inquirere, quæ onera, obligationesque habeat lex illa, status, & officium, ad quod vocatur. Vt enim diximus, vt plurimum non erit firmū propositum illud, cum quo accedit; si confusè & generatim fiat, & non sciēs distinctè præcipua saltem, ac difficilia, ad quæ subeunda se offert. Nequeenim cogitare debes, te esse directorem turris huius & spiritualis ædificij, sed executorem tantum: vt facias omnia iuxta exemplar, quod tibi à DEO est monstratum. Nisi autem consilium Dei, eiusque directionem benè perspectam habeas: facilè in ædificando errabis, & laborem impendes sine fructu. Nec cogites, te in hac expeditione esse qualemcunque militem: siquidē Christus D.N. *Regi* te confert, cui huius expeditionis incumbit cura: tuum enim erit potentias, sensusque tuos regere; virtutes ac Sacramenta, ad congressum cum vitijs ac Dęmonibus adhibere. Nisi ergò leges noueris, quibus te dirigas; & hostium astutias, quibus te impugnant: facilè decipieris; & cōsilia tua euanescent, ac peribis. Necesse itaque est, benè de omnibus informari, interrogando ipsos Prælatos, & Spiritus Magistros, in Ecclesia, & Religionibus ad id constitutos, quibus hoc onus, & obligatio incumbit: vt hæc omnia distinctè eos doceant, quos vocat DEVS: vt nouerint, quid sit, quod sibi proponunt, & aggredi cogitant.

Omnia ante exploranda.

Ez. ech. 2. 9

b *Cap. 3. 1.*
c *Apoc. 10. 9*

Dulce initium, amara executio.

Quemadmodum vnus Angelus dedit Ezechieli Prophetæ a *librum* quēdam *in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ*: quē tamen non clausum & inuolutum dedit, sed *expandit illum coram eo*, iubens, b *quodcunque inueniret comedere*. Et idem fecit alter Angelus S. Ioanni, dicens: c *accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce tanquam mel*. Quo significatur Prælatorum & Magistrorum spiritus munus esse, explicare & manifestare subditis, & ad obsequium Dei, accedentibus, librum legis Dei, & regulas status; & officij, quod aggrediuntur: vt totum comedant, hoc est distinctè intelligant, & præmonere, dulce quidem esse, dum proponitur; sed valdè amarum, dum executioni mandatur. Expedit itaque eos benè scire amaritudines ac difficultates, præceptis ipsis ac legibus annexas: vt clarè percipiant, quanto oneri humeros supponant; & cogitent an tantū animi habeant, vt digerere possint quod comederint; hoc est præstare, quod promiserint præstabit enim librum non comedere, quam sumptum mox reijcere, eò quòd non sciuerint quid comederent.

Oportet itaque eis declarare *carmina* huius libri, actus scilicet studiosos, sed iucundos, quos ille continet, præcipit, & cōsulit; & simul promissa præmia ijs, qui exequētur. Neque hoc sufficit, sed multò magis oportet, *lamentationes & væ* illis proponere: opera scilicet pœnalia, pœnitentiam, & mortificationem, suppliciaque horrenda, quæ peccatoribus minatur. Et vniuersim omnia status, & officij onera, pœnasque, ea non seruantibus constitu-

tas,

tas, distinctè explicare oportet: ne postea deceptos se esse cauiantur: dicentes, se ea non sciuisse: ideoq; retrocedere ab incepto velint.

Ita fecit Moyses proponens populo Hebræo in Deuteronomio omnia legis antiquæ onera: & Esdras iussit d *legi libros legis* Dei *distinctè, & apertè ad intelligendum.* Et Propheta Samuel cùm ab eo populus regem petijt, statim, iubente Deo, e *prædixit eius Regis, qui regnaturus esset supra eos*; & onera, quæ essent subituri in eo, quod petebãt. Et Christvs Dominus noster, cùm legem suam Euangelicam promulgauit, distinctè declarauit præcepta & consilia, quæ illa continebat: frequentius ea repetens, quæ grauiora essent & asperiora; Et in ipsa vocatione inuitans non solum ad f *tollendum iugum suaue*, sed etiam g *ipsam crucem* duram, & ad h *intrandum per angustam portam.*

Ex quo natum est vt Ecclesia sancta ab ipso sui initio (quemadmodum Sanctus Dionysius ait) petentibus Baptismum, Magistrum constitueret, qui distinctè illis declararet tam credenda, quàm seruanda: sufficienti ad hoc tempore constituto. Et idem fuit in more apud Prælatos Religionum: qui consueuerunt, admitti cupientibus librum legum suæ religionis, & quæcunque grauia, & pœnalia illa continet, valdè clarè ac distinctè proponere: quasi illis diceretur: *ecce lex, sub qua militare vis: si potes eam seruare, ingredere: si non potes, discede.* accipe librum hunc apertum & explicatum, nec fidas dulcedini, qua nunc ex sensibili diuinæ vocationis feruore afficeris: affectus enim hic tener citò euanescet, & executionis tempore persenties amaritudinem: quare attentiùs nunc cogita, an habeas animum comedendi, ac retinendi, etiamsi sit amarissimus.

Qvæ nolumus esse dicta ad exterrendos eos, quos vocat Dvvs: sed, vt idem prudenter agant, & animi eorum decretum firmius sit & constantius. Nam suppositio, quòd à Deo vocentur, debent magno spiritus feruore, quemadmodum Sanctus Ioannes, librum accipere de manu Angeli, Prælati videlicet, aut spiritualis Patris: totumque comedere apertum & explicatum, sicut eum acceperunt, scientes quid in eo contineatur. Nec timeant amaritudines & difficultates, quas in eo retinendo sentient. Nam qui eos vocauit, iuuabit ad victoriam. Et quemadmodum ait Apostolus: i *qui cœpit in vobis opus bonum*, etiam illud *perficiet.* Ad hoc enim alia etiam Sacramenta constituit Deus, per quæ, sicut postea dicemus, bona proposita confirmat, & corroborat, magnumque animum addit ad perseuerandum.

d 2. *Esd.* 8. 8.

e 1. *Reg.* 8. 9

Matth 5. & 6 & 7.

f *Matt* 7. 13.

g *Mat* 11. 29

h *Luc.* 14. 27

C. 2. *de Eccl. Hierarchia S. Thom.* 3. *p. q.* 71 *a.* 1. *q.* 76 *a.* 7. & 8. *Ex S. Benedict. Reg* 8.

Magno animo mala superanda.

i *Philip.* 1. 6.

§. 2, *Confirmantur prædicta feruenti* RVTH *exemplo.*

OMNIVM, quæ hactenus dicta sunt, insigne & heroicum habemus exemplum in quatuor feruentibus propositis, quæ insignis illa RVTH generoso animo expressit, quando NOEMI (vt habet paraphrasis Chaldaica) aperuit ei quatuor præcipua capita eorum, quæ agenda ipsi essent, si seriò & ex corde vellet conuerti ad DEVM Israel. PRIMVM erat, quòd si semel ex terra Moab, & materna domo egrederetur, nunquam esset illi ad eam redeundum: nam Israelitas non posse cohabitare gentilibus, ob periculum prauos eorum mores imitandi. Ad quod animo generoso illa respondit: a *quocunque perrexeris pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor:* nec vnquam a tuo contubernio recedam, vt in patriam, aut maternam domum reuertar. *Deinde* adiecit NOEMI, quod populus Israel haberet legem adeò grauem, ac difficilem, vt sexcenta & tria præcepta contineret: quam totã ita seruare oporteret, quemadmodum illa obligabat. Ad quod RVTH, non minori animi fortitudine: populus, inquit, tuus, populus meus. quare sponte me offero: ad legem custodiendam eiusque onus portandum, sicut tu feceris: confidens in DEO, me tantùm virium habituram, quantùm habes tu, ad legem custodiendam. Adiunxit NOEMI *tertium*, quòd non ampliùs oporteret Deos illos adorare, sicut antea: eò quòd essent falsi: nam vnicum esse tantùm, & solum verum Deum, quem omnes teneretur adorare, eique amore summo ac reuerentia seruire. ad quod illa promptissimam se esse ostendit: *Deus tuus*, dicens, erit *Deus meus*: & quem tu adoraueris, ego pariter adorabo; contemnens Idola falsosque Deos, quos hactenus colui. *Quartum* denique proposuit, quod in lege sua grauissima essent constituta supplicia etiam mortis in eius transgressores; & oportere, si eam amplecti vellet, offerre se ad eius obseruantiam vsque ad finem vitæ, &, si opus esset etiam ad vitam pro eius custodia exponendam. Ad quod virili prorsus pectore respondit: quę te terra morientem susceperit, in ea moriar; & quod genus mortis subieris, ego quoque subibo. Et omnibus aduersis ac laboribus, quibus te exposueris, & ego me exponam: etiam si vita sit amittenda, ne meæ desim promissioni. Vt autem intelligas, me hæc omnia ex intimo corde offerre: *hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separauerit*: & oro Deum, vt iram suam in me statim vibret; & horrendis pœnis me puniat, si omnium, quæ dixi, executioni me subtraxero. O virilem animum, ac diuinum potiùs quàm humanum! apparet facilè, Deum hæc vota adeò generosa promouisse: siquidem vel in ipsis conuersionis eius initijs imperterritè adeò, ac viriliter offert se, ad æquè currendum atq; ipsa senior, & adeò in legis custodia exercitata. Cuius exemplum propterea

(vt ait

Vide Iosephum & Lyran.

1. *Constantia.*

a *Ruth. 1. 16.*

2. *Animi fortitudo.*

3. *Abnegatio.*

4. *Patientia.*

(vtait S.Ambrosi⁹)ob oculos nobis proponitur: vt feruorē discamus,quo decet nos diuinā vocationē sequi;& prælatis ac spirit⁹ Magistris respōdere, cùm nobis grauitatē & oneris difficultatē,quod subire volum⁹,proponūt.

Lib.3. in ca. 3.Luc.

Qvamobrem si nouam vitam,tanquam strenuus miles, cogitas inchoare,b *intra*,quemadmodum Dauid, *domum Dei, in holocaustis, reddens ei* quatuor prędicta proposita,magni amoris igne inflammata:constitue te in conspectu Iesv capitanei tui, te ad se sequendum inuitantis:& spiritu illo Ruth dic ei: quocunque tu Saluator mi, perrexeris, pergam, tua vestigia sequens,& tua imitans exempla:& vbi moratus fueris, & ego pariter morabor,te semper comitando.Populus tuus Christianus,erit populus meus; & legibus illis gubernari cupio,quibus ille gubernatur.Iugū,quod ille tollit,tollam & ego lubens;magnam mihi existimans esse felicitatem,quod eius populi pars efficiar,quem in tuum elegisti. Et quamuis Tyro adhuc in domo tua, cupio tamen pariter currere cum antiquioribus eius: siquidem iubes,me facere voluntatem tuam in terra, sicut Angeli, qui tui sunt antiquissimi domestici,eam faciunt in cœlo.Et cum tu Domine,dixeris tuis discipulis. c *patrem tuum esse patrem nostrum, & Deum tuum Deum nostrum*: is erit Devs meus in æternum: idque tanta animi firmitate, vt nunquam Deum alium accipiam; nec idola diuitiarum,voluptatum, aut honorum,sicut solebam,adorem.ad quod meum propositum confirmandum,etiam statuo firmiter, quamcunque aduersitatem mihi euenientem acceptare, etiamsi crucis mortē subire sit opus, quemadmodum tu subijsti:& sepeliri quēadmodum tu fuisti sepultus:quoniā hęc mors erit mea vita;& sepulchrum,requies mea.His quatuor propositis licebit nonnunquam feruentem addere confirmationem,qua Ruth sua confirmauit, edito scilicet graui iuramento,nunquam abijs,quæ proponis, deficiendi vsque ad mortem.Consueuit enim Spiritus S.dum efficaciter aliquem vocat,ad arduum quid pro diuino obsequio aggrediendū,inspirare nōnunquam seruis suis,vt proposita bona & animi decreta,quæ concipiunt,iuramēto aut voto confirment quo se,ad ea exequenda,Deo obstringant:idq; nonnunquā in re, quæ non præcepta, sed consilij erat:& interdum,etiamsi præcepta esset, nouam tamen obligationem ad obediendum,iuramento aut voto sibi imponāt: quemadmodū Dauid dixit: d *iurauí & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ* in æternū:& S.Iob.e *viuit Deus,quia donec superest halitus in me,non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium: donec deficiam non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam,quam cœpi tenere,non deseram.*

b *Psa.* 65.13.

c *Io.*20.17.

d *Ps.*118.106.

e *Iob.*27.2.

In huiusmodi autem promissis conditiones illæ seruandæ sunt, quas Ruth in suis adhibuit.Fuit enim in primis promissio illa *de re sancta*, eiusque animæ vtilissima:exire sc.ex patria sua,& occasionibus Idololatriæ; cō-

Quatuor conditiones voti & iuramenti.

I. *Res bona.*

2. *Prudentia.*

3. *Necessitas.*

4. *Confirmatio.*

2.2.q. 88.a. 4. ad 1.

Li. 1. de Sacramen. c. 2. lib. 2. de officijs Eccl. c. 14.

Vrbanus 1. Epist. decre c. 6.

Epist. 45. ad Armentū.

iungere se verò NOEMI, quæ poterat illā in DEI obsequio dirigere: &, quē admodū ipsa optabat, adiuuare. Deinde nō passionis aliquo impetu abrepta sed cū magna *prudentia* & quiete eā fecit; cū prius ea benè intellexisset, ad quę præstanda se offerebat, ac iudicasset, valdè sibi expedire, si se ad ea præstanda iuramento obstringeret. Adfuit quoq; *necessitas*, promissionē iuramēto cōfirmandi, quò sc. certā & securā redderet ipsam NOEMI, quod ex toto suo corde sese ad DEVM conuerteret, & lubens patriam suam desereret, tantamque vim iuramentum illud prioribus promissis addidit, vt dicat sacer textus: *videns ergo Noëmi, quod obstinato animo* RVTH *decreuisset secum pergere; aduersari noluit, nec ad suos vltrà reditum persuadere.* quando enim constat de tanta vocationis firmitate, cessandum est à probationibus: ne Spiritui S. eā inspiranti resistatur. Ac denique suam illam promissionē fecit RVTH, vt se ipsam in *arrepto proposito confirmaret*, qui (teste S. Thoma) finis est votorum: confirmare nos scilicet in bono, maxima, quæ in hac vita haberi potest, firmitate: ad similitudinē eius, quam habent in cœlo beati. quod maximè propriū est nouæ legis: vt cùm de votis agemus, apparebit. Et propterea fortè S. Ambrosius, & S. Isidorus, alijque S. Patres dicunt, fieri in Baptismo DEO D. N. promissionem, aut ipsum esse in modū promissionis cum duplici obligatione perpetua: altera de fide, altera de lege cum summa firmitate seruandis. Ac propterea diuina vocatio, sicut dictū est, à nobis exigit, vt cum Christo crucifigamur: ad significandū, quòd quemadmodū is, qui cruci est affixus, nō se potest refigere: ita Christiano nō licèt recedere; aut se subtrahere ijs rebus, ad quas hic status illū obligat; nec Religiosus suas potest deserere. Sed *felix* (inquit S. Augustinus) necessitas, quæ impellit ad meliora. nihil siquidem est melius, quàm quòd obliget se quis, vt sit bonus cum maxima, quæ adhiberi potest, firmitate, vt talis perseueret: imitando ducē nostrum Iesum, qui cùm esset cruci affixus, posset q; se refigere, ac descendere: id facere noluit, vt exemplum nobis esse firmitatis in bono, quod cum eius gratia incepimus.

CAPVT V.

QVOD SACRAMENTVM CONFIRMATIONIS COpiosam conferat gratiam, ad crescendum, & firmiter standum in confessione fidei, ac perfectione, quam in Baptismo professi sumus.

QVONIAM Vocatio Christiani hominis ad prædictum duplex egregium facinus cœptumq; tendit, ad *turrim* sc. Euāgelicæ perfectionis extruendam; & cōtra hostes *pugnandum*, qui eam perfectionem impedire moliuntur: voluit Christus D. N. Confirmationis Sacramentum instituere, ad Baptizatos cōfirmandos, nouisque gratiæ suæ subsidijs corroborandos: vt vtrūq; cū maiori perfectione præstarent. quēadmodum & materia & forma hu-

ma huius Sacramenti indicãt. Est. n. Confirmatio vnctio, qua Episcopus in modũ crucis baptizati frontẽ chrismate ex oleo & balsamo confecto, & benedicto inũgit, dicẽs: *signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.* Quorũ verborum, & externorũ signorũ virtute, stupendos in anima producit effectus. cõmunicat. n. inuisibiliter plenitudinẽ & abundantiã Spiritus S. qui in die Pentecostes visibiliter fuit datus Apostolis; & posteà per Apostolorũ manuũ impositionem baptizatis dabatur. Quæ impositio manuũ, vt Conciliũ Florentinũ declarat, multiq; SS. Patres affirmant, idẽ erat q̃ Cõfirmatio. Nũc aũt inuisibiliter datur, vt baptizati inuisibili Spiritus S. præsentia, gratiæq; eius abundantia, quam Sancti septiformẽ appellant, ad Christiani hominis perfectionem propriam perueniant; consequentes excellentiam & perfectionem septem Spiritus S. donorũ, septemq; virtutũ, quæ veluti capita sunt reliquarum. Quamobrẽ S. Clemens Papa q̃ à Magistro suo S. Petro audiuerat, *absq; huius* (inquit) *Sacramẽti vnctione perfectus esse Christianus nequaquam poterit, neq; sedẽ habere inter perfectos.* Quemadmodum. n. vota, quæ in Religione eduntur, religiosũ in statu perfectionis constituunt: nõ quod statim perfectus ille sit; sed q̃ ipse status eũ addicit ac dedicat, vt perfectus esse contendat: & ipsa religiosæ vocationis gratia eũ iuuat, vt talis euadat, vt suo loco videbimus: Ita Cõfirmatio Baptizatos constituit in statu perfectorũ Christianorũ: nõ quòd statim sint tales; sed quòd eos destinet ad perfectionẽ Christianam procurandam: quã Christus D. N. discipulis suis cõmendauit, dans illis specialẽ, & copiosissimã gratiam ad eam perfectionẽ obtinendã. iuxta illud Apostoli: a *Deus est qui cõfirmat nos vobiscum in Christo: & qui vnxit nos, & signauit, deditq; pignus spiritus in cordibus nostris.* quasi diceret: Deus nos cõfirmat, spiritumq; illũ cõmunicat, quẽ Dauid b *principalem* appellat: vt firmi in rebus obsequij ipsius maneamus. ille nos vngit c *vnctione, quæ docet nos de omnibus*; repletq; omni gaudio, vt ei perfectè seruiamus. Ille obsignat nos, accipiens in suos; imprimens animæ characterem, & signum Sacramenti; cordi verò ipsum amoris signaculũ: datq; pignus spiritus, ipsum videlicet Spiritum S. quasi nos certos & securos reddat, quod nostra peccata remittet, necessitates reparabit, orationes exaudiet; eritq; noster patrinus, protector, & in tentationibus propugnator; pædagogus noster, Magister, & auxiliator, ad optatam perfectionem, & gloriæ coronam, quam speramus, obtinendam.

Confirmationis effectia.

Act 8. 17. & c. 9 6. S. Thom. 3. p. q. 72. a. 2. ad 1. Suarez ibi. disp. 33. sect. + Epist. 4. ad Iulium & Iulian. 3.

Confirmatio ad perfectionem impellit.

a 2. Cor. 1. 21

b Ps. 50. 14

c 1. Io. 2. 27.

§. 1. *Duplex effectus finesq; præcipui Confirmationis.*

Pignora hæc & thesauri gratiæ, quæ in Sacramento Confirmationis cõmunicantur, in duos illos præcipuos fines ordinantur, quos insinuauimus. Primus sc. vt iusti in sanctitate crescãt, quã per Baptismũ acceperunt: perueniantq; ad eam Christianæ perfectionis sublimitatẽ, ad quã verè sunt

vocati. Quemadmodum enim infans statim, atque in esse naturali est conceptus, virtutem accipit sensim crescendi, & augendi vsque ad perfectum viri statum: Ita, ait S. Thomas, qui per Baptismum in supernaturali esse est regeneratus, specialem gratiam & virtutem accipit in Confirmatione, ad proficiendum & progrediendum vsque ad perfectum Christiani statum. Et quemadmodum corporum accretio non solùm fit naturalibus animæ facultatibus; sed auxilio etiam spirituum vitalium, qui facultatibus ipsis, ad suas actiones exercendas sunt vsui: Ita propria huius Sacramenti gratia non solùm virtutes includit, donaque supernaturalia, quę in ipsis iustis permanent; sed abundantiam etiam illustrationum, & inspirationum Spiritus Sancti, quibus eos adiuuat, fouetque in exercitatione bonorũ operum: vt crescant in perfectione Christiana eo modo, quem subijciemus.

3.p.q.71.a.1

Confirmatio facit crescere.

ALTER Sacramenti huius glorioſissimus finis est, nos adiuuare in militum officio & munere, armis suis nos muniens, aduersus hostes visibiles & inuisibiles Catholicæ fidei, & perfectionis Christianæ. Et quoniam huiusmodi pugnæ statim incipiunt post Baptismum susceptum: ideò olim ex Apostolorum traditione (quemadmodum Petrus Damianus refert) statim hoc Sacramentum baptizatis conferebatur: ne Dæmon inermes reperiret; & absque præcipuis armis offensiuis, ac defensiuis: ipso scilicet Spiritu Sancto, cum ea plenitudine, quæ in hoc Sacramento communicatur. Quam ob causam Christus D.N. ipsos a *Apostolos iussit; sedere in ciuitate, quoadusque induerentur virtute ex alto*, ipso scilicet Spiritu S. cuius virtute & fortitudine resistere possent hostibus prædicationis, legisque Euangelicæ. Diuinus enim hic Spiritus cor efficit magnanimum, & audax, ad horrendas etiam pugnas aggrediendas, ipsique inferno sese opponendum, quò voti possit fieri compos. Quis enim tantum animi robur Sancto Stephano dedit in eius adeò grauibus congressibus, & heroicis charitatis, & patientiæ actibus, quos in eis exercuit; nisi spiritus ipse S. quem in se ipso habebat; & exemplar illud fortitudinis, quod in cœlo videbat? De eo enim sic ait S. Lucas: b *cum esset plenus Spiritu S. intuens cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.* atque si dixisset: omnes tres personæ diuinæ cor uenerunt, vt suo militi adessent. Spiritus S. cor eius occupauit, tanquam patrinus & protector: ideoque (quod perpendit S. Gregorius Nyssenus) non vidit eum in cœlo: quia secum illum habebat. Sed Pater cum sua gloria ostendit se illi tãquam finem pręmiumq; illius pugnæ: Filius etiam sese illi ostendit, tanquã scopum & exemplar ipsius pugnæ: & hac ratione illustri adeò victoria potitus est. Idem aũt faciunt inuisibiliter tres diuinæ personæ per hoc Sacramentũ, quo Christiani *induuntur virtute ex alto*: vt valdè eminẽter exẽplar ipsũ imitẽtur: pugnentq; strenuè, vt idẽ pręmiũ cõsequantur.

& Hostibus resistere.

Serm. 1. de Dedicat. Eccles.

Luc. 24. 49.

b *Act. 7. 55.*

Orat. de S. Stephano.

S. Trinitatis protectio.

Ideo-

Ideoque ad illud recipiendum vocantur illis verbis Canticorum: c *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus vel sepulchrum æmulatio.* Per hoc enim diuinum Sacramentum Spiritus S. tanquam signum se collocat super cor nostrum, & brachium. Sua enim præsentia (vt Apostolus dixit) signat nos, non solum vt viuam virtutum eius imaginem recipiamus; sed pugnemus etiam magno animo, fortique brachio: vt & obtinere eas & conseruare possimus, nec mortem timentes, nec inferni potestatem. Ideoque communicat nobis *characteris* signum, quod deleri non potest: in testimonium, quod, si eius patrocinio iuuare nos voluerimus, nunquã vincendi simus, ad quod ipsum Charitatis sigillum nobis imprimit, quo reddimur fortes sicut mors, ad vincẽdos omnes timores & pericula adeunda; duri verò sicut sepulchrum, vt Dæmonibus ac tyrannis resistamus: vt liceat cum Apostolo dicere: d *quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an periculum? an persecutio? an gladius? non: quia in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos,* & dedit nobis spiritum suum in hoc Sacramento. Ex quo fit, vt non liceat nisi semel in vita illud recipere. quod signum est desiderij, quo Deus noster tenetur, vt maneamus confirmati, fortes & quasi inuicti in eius seruitio, ob diuini ipsius spiritus præsentiam quem (vt S. Thomas perpendit) Apostolus appellauit, e *signum & pignus hæreditatis cœlestis.* Pignus enim tantum valet, quantum res ipsa, quæ postea tradenda est; nec redditur pignus, donec res ipsa tradatur. vt intelligatur, Spiritum S. qui in hac vita communicatur, etsi qui illum accipit eum non videat; neque eo nisi per fidem, fruatur, esse infinitæ excellentiæ; optareque semper esse in anima, donec clarè ipsum videat in gloria. Et propter eandem causam ait Glossa, etiam vocari *arrham* hæreditatis nostræ. nam pignus reddi solet ei, qui illud dedit: arrhæ tamen semper apud eum manent, qui illas accepit.

c *Cant.* 8. 6.

2 *Cor.* 1. 21. *Ephes.* 1. 14.

d *Rom.* 8. 35.

c *Lect.* 5. *ad Ephes.* 1. 14. *Spiritus S. pignus & arrha gloriæ.*

Ibid. & S. Thom. alia lectio habet Arrham hæredit.

§. 2. *Qua ratione pudor & humanus timor superentur.*

VT adhuc magis appareat, quantam fortitudinem hoc Sacramentum tribuat, ad ea quæ diximus: præmittendum est, maximum impedimentum, quo fidei dilatatio, perfectio Christiana, & perseuerantia in ea retardata est, fuisse horrorem & pudorem, quo afficiebantur homines ac terrebantur: ne duo genera rerum admitterent, ac profiterentur, quę huius mundi iudicio abiectæ & contemptibiles videbantur: quasdam, quas fides credendas docet; alias quas iubet facere. Nam sapientes & potentes, inflatos & superbos pudebat, pro Deo adorare hominem, qui in vili stabulo natus esset & per multos annos fabrilem artem exercuisset; ac demum captus, flagellatus, crucifixus, ac mortuus esset: erubescebant quoque eius paupertate. m imitari & humilitatem, in ferenda cruce, condonandis iniu-

Fides & Obedientia contemptibiles videntur.

rijs, opprobijs tolerãdis, & exercitijs carni molestis, & in sæculo contemptibilibus amplectendis. Quare stultos & ignorantes eos iudicabant, qui ea faciebant; & incredibili animi indignatione, rabieque persequebantur: vt à fide & religione, quam profitebantur, eos retraherent. Ideò enim dixit Apostolus: a *Christum crucifixum; Iudæis quidem esse scandalum, Græcis autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum esse Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Gratia enim Christianæ vocationis in lucem illis profert, quod homines huius mundi latet: luceque cœlesti magnalia illis manifestat, quæ in his vilitatibus continentur: vt & glorientur de eis, & ad imitandum animentur. Propter hanc igitur causam statuit CHRISTVS Dominus Noster, vt in Ecclesia sua sanctum Confirmationis Sacramentum omnibus Christianis conferretur, per vnctionem Chrismatis in formam crucis: vt intelligerent, Spiritus sancti vnctionem, strenuos eos facere luctatores, non solum aduersus carnem & sanguinem; sed etiam contra principes, & potestates inferni. Et quoniam timoris & pudoris indicia, vt loquitur Concilium Florentinum, in facie apparere solent: voluit idem Dominus, signum S. Crucis in ipsa fronte signari, vt ex hoc intelligerent, quòd ipsius gratiâ illis assistente, non esset, cur persecutiones timerent, aut crucem horrerent, aut puderet eos, verbis & operibus fidem confiteri, quæ ipsius essent testimonium: idq; tam in mysterijs, quæ vilia & contempta videntur; quàm in actionibus, quas iubet aut consulit: licèt ignominioſę videantur. Potiùs, vt S. Augustinus loquitur, gloriari de illis debent, ac publicè in totius mundi conspectu eadem exercere. Et propterea solet Episcopus confirmato alapam in faciem infligere, in signum patientiæ in iniurijs, & opprobrijs exercendæ: vt sic se præparet ad Saluatoris consilium amplectendum, dicentis: b *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: vt sic ostendas, quòd te non pudeat, iniuriam ferre; nec eam vlcisci velle. Efficit enim hoc Sacramentum frontem illi similem, quam DEVS Ezechieli dedit, dicens: c *ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum*, apud quos habitas *vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam.* Quemadmodum enim improbi, & scelerati peccatores non afficiuntur pudore, dum sua perpetrant peccata, etiam vilissima; sed potiùs d *peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*: ita ingenuos Christianos pudere non debet, fidem suam apertè fateri, & bona opera facere: etiamsi vilia esse videantur. Sed potiùs frontem habere debent tanquam adamantem, qui lapis est pretiosissimus; & tanquam silicem qui est vilis. Nam (vt Sanctus Gregorius ait) nihil eorum, ad quæ obligantur, præterire debent propter honorem, nec propter ignominiam, nec ob timorem potentum, nec ob pudorem despectum: sed his omnibus se imperterritos opponant; dicantque cum Apostolo: e *non*

a 1. Cor. 1. 23.

S. Thom 3. p. q. 72. a. 9

Crux in fronte.

In Psal. 14 Vide Canisiu de Confirmat. §. 1.

b *Matt. 5. 39 Alapa in Confirmatione.*

c *Ezech. 3. 8.*

d *Isai. 3. 9.*

Timor & pudor superandus. Homil. 12. in Ezech.

eru-

erubesco Euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Et quamuis f *Christus crucifixus scandalum sit Iudæis, & gentibus stultitia; mihi* tamen, ad credendum *vocato* salus erit, honor, & vita mea eius ignominiæ summo erunt mihi honori; easque imitari, mihi erit gloria; eas tanquam coronam capiti meo apponam: quas video, ipsum altissima sua sapientia elegisse, vt meam curaret superbiam: vt pro meis culpis satisfaceret, vt misericordiarum suarum profundissimam abyssum manifestaret, accipiendo in se miserias meas, vt me ab eis liberaret.

Quid autem magnum est, si hanc ego instituam Confessionem, conculcata etiam, si opus est, quacunque confusione & periculo temporali? cum Saluator meus (vt ait Apostolus) g *coram Pontio Pilato bonam fecerit confessionem*: vt propter eam mortuus fuerit, ob quam benè promeritus est, vt omnes illum confiteamur, & honoremus: implentes illã Iacob prophetiam, quâ filio suo Iudæ, qui Christi D. erat figura, dixit mirifica illa verba, quæ paraphrasis Chaldaica vertit: h *Iudas, confessus es, & non erubuisti; in te confitebuntur fratres tui.* Quis poterit, Saluator mi, illustrem illam confessionem explicare, quam coram Caipha, & impio illius consilio fecisti: cum te ille interrogaret: i *adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*: quamuis enim non ignorares ignominias & tormenta, quæ confitenti tibi imminebant; nihilominus liberè confessus es, dicens: k *Ego sum.* propter quam causam fuit illa nocte facies tua consputa, euulsi capilli, maxillæ colaphis percussæ; oculi vittâ velati, & in contemptum tuum genuflexo, sacrum tuum corpus percussum, à dicentibus, *si tu es* Christvs, *prophetiza, quis te percussit.* Illis denique illustrem tuam confessionem iudicantibus esse blasphemiam, fuisti propter eam ad mortem condemnatus. Et nihilominus sequenti die mane eandẽ confessionem confirmasti in eodem concilio, dicens: l *vos dicitis, quia ego sum*; & iterũ in ipso Pilati prætorio eandem repetiuisti, sine timore confusionis, quæ tibi vitam cum summa ignominia amissuro, tantam erat confusionem allatura. Quam ob causam dignissimus es, quem omnes tui in humana natura fratres, verum filium Dei viui, verumque hominem confiteantur: non erubescentes confiteri abiectissima illa, quæ propter homines es perpessus; sed se ad quæuis opprobria & ignominias sustinendas offerentes, potiùs quàm illa negare. Et ne forte exemplum hoc tuum non sufficeret, ad nos animandos, ad illustris adeò confessionis tuæ imitationẽ: ad eandem præclarissimis propositis præmijs, etiam nos exhortaris; & horrendis minis à te negando deterres, dicens: m *qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est*, & n *angelis eius: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eũ coram patre meo.*

e *Rom.* 1. 16
f 1. *Cor.* 1. 23.
g 1. *Tim.* 6. 13.
h *Gen* 4. 8. 8 *Vide Perer. ibi.*
i *Matt.* 26. 6.
k *Marc.* 14. 62.
Christus confiteri non erubuit.
l *Luc.* 22. 70 *Ioan.* 18. 37. *Luc.* 23. 3.
m *Matt.* 10. 32.
n *Luc.* 12. 8.

&o

& o *qui me confusus fuerit & verba mea; & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.* O vtinam mundus vniuersus adeò viua fide te confiteretur: vt cum ad iudicandum illum venires, eum laudares, & in gloriæ tuæ sedibus collocares! Quis te non confiteatur, Rex æterne, qui te confitentes tantis honoribus prosequeris? Confessus est Sanctus Ioannes, p *se non esse nisi vocem tuam*: tu verò ita eum laudasti, vt confitereris & q *Prophetam esse & plus quàm Prophetam, & quod inter natos mulierum nullus eo maior surrexisset.* Confessus est r *S. Petrus, te esse Christum filiũ Dei viui*, tu eum *beatum esse dixisti, & te super eum* tanquam firmam *petram ædificaturum Ecclesiam tuã.* Confessus est latro in cruce, *se nihil mali gessisse*, &, cum omnes, qui aderant, te irriderent tanquam blasphemum & fictum Regem, iste verum Regem est confessus: cui tu statim *paradisum promisisti.* Innatum enim est tibi, te honorantes, honorare, te laudãtes, laudare; eisq; dare centuplum, quàm ipsi pro te fecerint. quòd si crucis ignominiam & signum in frontibus suis portent: tu in eis scribis nouum & glorioſum tuum nomen IESV, & nomen Patris tui. quasi honorem tibi reputes, eos habere fratres, tuique regni cohæredes. Si itaque D. N. adeò liberaliter remunerat viuam confessionem fidei, & mysteriorum eius; rectũ omninò est, vt honori tibi ducas, eandem confiteri non verbis modo, sed etiam operibus: & quidem ijs lubentius, quæ Dei oculis sunt gratiora, magisque glorioſa: quamuis mundi oculis vilia sint, & abiecta; memor etiam insignis illius electionis, quam hic Dominus statim initio suæ Incarnationis fecit, cùm (vt ait Apostolus) t *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* quasi dixerit propositis ante oculos gaudio, rebusq; delectabilibus & glorioſis in oculis mundi: omnia reliquit & contempsit, & amplexus est crucem: nihili faciens confusionem & contemptum eiusdem mũdi, quæ sunt ipsi cruci coniuncta. Ad eius itaq; imitationem decet, te semper eligere quicquid ipse D. iubet: præferendo illud illecebris omnibus, gaudijsque ac delitijs huius mundi. Si enim u *Moyses maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi, elegit magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*, quãuis à longè & in figura tantùm, Christi improperium aspiceret: quantò erit æquius, te idem facere, cùm propè illud aspicias; sciasque hunc Dominum in seipso tot improperia esse perpessum? Hoc apud te statue, quòd si velis Christum sequi: oporteat te in Sacrificium offerre, & x immolare abominationes Ægyptiorum: reijciendo, vt abominandum, quod mundus magnifacit; magni verò faciendo, quod idem abominatur. Quod si, Ægyptij te lapidare voluerint, eò quòd res eorum contemnas: indue te armatura gratiæ huius Sacramenti, cuius finis & fructus est, superiorem te efficere omnibus mundi tribulationibus, quo fidem, Christia-

namque

o *Marc* 8. 38. *præmia Christum confitenti proposita.*

p *Ioan.* 1. 23.

q *Matt.* 11. 10. *Luc.* 7 26.

r *Matt.* 16. 16.

s *Luc.* 23. 41.

t *Hebr.* 12. 2.

u *Hebr.* 11. 26.

x *Exod* 8. 26.

namque perfectionem conseruare possis. Ideò enim Chrisma, quo vngeris, fit ex *oleo & balsamo*: ad significandũ, quemadmodum oleum aquæ supernatat, vt ignem foueat in lampade, quamuis hac ratione consumatur, & pereat; balsamum verò fluat ex arbore cultro aliquo, aut præacuto lapide puncta: Ita huius Sacramenti gratia faciet te in tribulationibus & tentationibus, tuis hostibus superiorem: quò possis ignem amoris Dei conseruare: etiamsi hoc nomine sit amittenda vita, honor, & bona fortunæ; iuxtà illud in libro Canticorum: b *lampades dilectionis lampades ignis atque flammarum; & si dederit homo omnem substantiam Domus suæ* pro dilectione, eiusque conseruatione: *quasi nihil despiciet eam*: potiùs gaudet se habere, quod dare possit; & seipsum exinanire, vt fluat tanquam balsamum per exercitia valdè fragrantia, & sublimia: fidelitatem suam in medijs tantis tribulationibus, & contemptibus ostendendo.

Olei & balsami significatio.

Pier. lib. 22. cap. 15.

b *Cant. 8. 6*

CAPVT VI.

DE SPECIALI VOCATIONE AD PERFECTIONIS Christianæ sublimitatem, quam profitentur qui Confirmationis Sacramentum suscipiunt: & omnes posse ac debere ad eam contendere.

QVONIAM Confirmatio constituit nos in statu perfectorum Christianorum: ad studendum perfectioni, quam lex Euangelica præ se fert, operæ pretium erit, ea declarare, quæ ipsa complectitur; & Vocationem, quæ ad eius studium inuitat. De qua gloriatur ipsemet DEVS, dicens per Isaiam: *quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum vt sequeretur se?* quamuis enim, ad litteram, sermo sit de iusto Abraham, quem eduxit DEVS è terra sua, quæ erat ad Orientem; & vocauit vt ipsum cum magna perfectione sequeretur, dicens illi: b *ambula coram me, & esto perfectus*: simul tamen describitur sublimis illa vocatio, qua vocat reliquos iustos, postquã per sacrum Baptismum eduxit eos ex frigido & obscuro Septẽtrione, ex statu scilicet peccati: & collocauit in gratiæ & spiritualis lucis Oriente, vt vitam nouã viuere inchoarent. sed quoniam hæc lux in ipsis initijs est exigua: non vult eos in ea hærere; sed vocat, impellitq; ad c *procedendum & crescendum* ex hoc Oriente, *quasi lux splendens vsque ad perfectam diem.* Hoc modo declarat Sanctus Gregorius

a *Isai. 41. 2.*

b *Gen. 71. 2*

c *Prou. 4. 18.*

vocationem, qua DEVS iustum Samuelem excitauit, ad obedientiæ & mortificationis actus exercendos. *Nam vocare*, inquit, *Dei, est, electam mentem ad augmentum maioris gratiæ excitare.* ascendentem de virtute in virtutem vsque ad omnium culmen: conijcientem oculos in ipsum Deum tanquam in exemplar, à quo vocatur: vt ipsum imitetur in eo gradu, in quo potest creatura creatorem sequi & imitari: Est enim d *gloria* adeò *magna, sequi Deum*, vt interrogantis more dixerit: *quis vocauit iustum, vt sequeretur se?* quasi diceret, nullus alius præter me ad eam gloriam euehere eum potuisset: vermiculus enim terræ nec animum nec vires ad cœlestem Regem imitandum haberet, nisi ipsemet eum ad id vocaret.

Lib. 2. in 1. Reg. c. 4.

d *Eccl. 23, 38*

§. 1. *Ad tres gradus perfectionis nos vocari.*

VT verò perfectio, ad quam nos dirigit hæc vocatio, magis innotescat: conijciamus primum oculos in ipsas formas Sacramentorum Baptismi & Confirmationis, quæ expressè dantur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non solùm quòd finis eorum sit Sanctissimæ Trinitatis fidem profiteri; sed etiam ob gratiam specialem, quam conferunt, ad sanctitatem & perfectionem trium personarum diuinarum imitandam: quarum opus, ait Sanctus Prosper, esse hominum vocationem. vt de singulis dicere liceat, quod *iustum vocet, vt sequatur se.* Licèt enim res ita habeat, quòd quidquid persona vna diuina facit, idem & altera faciat: nec sit possibile, vnam absque altera imitari, eò quòd omnes eandem omninò habeant sanctitatem: aliquid nihilominùs vnicuique earum attribuimus, vt distinctiùs discamus modum singulas imitandi. Ad cuius rei declarationem supponendum est, sanctitatem & perfectionem tres habere gradus, quorum causa Seraphini ter Deum appellarunt *a* SANCTVM: & in omnibus tribus vult, vt homines ipsum imitentur. ac propterea ter etiam in Leuitico dixit illis: b *Sancti estote, quia ego sanctus sum*: singulis vocibus ad singulos Sanctitatis gradus exhortans. quos Apostolus in summam redigit, cùm dixit: c *finem præcepti esse charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*; & vt amplectamur d *voluntatem Dei bonam & benè placentem, & perfectam.*

Lib. 2. de vocat. gent. c. 26.

a *Isai. 6. 3.*

b *Leuit. 11. 44. & 19. 3. & 20. 7.*

c *1. Tim. 1. 5.*

d *Rom 12, 2*

I. *Cordis puritas.*

PRIMVS gradus consistit in CORDIS PVRITATE, ita vt nullum admittatur peccatum, paruum aut magnum, quod animam aliqua macula inficiat: iuxtà id quod dixit DEVS: e *perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo*: sine macula scilicet peccati grauis, quo diuinæ gratiæ pulchritudo deleatur; & sine macula leuioris, quæ eiusdem splendorem obfuscet. Licèt enim omnes hasce culpas leues euitare non possimus: (nam

e *Deut. 18. 13.*

f *S. Tho. 3 p. q. 87. a. 2. ad 3 & 2. 2. q. 184. a. 3.*

etiam

etiam perfectissimi tales aliquas habent) omnes tamen tenemur, omnem operam dare, vt eas euitemus: amplectendo Apostoli consilium dicentis: f *induite vos armaturam* Dei, *vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, & in omnibus perfecti stare*: g *& integri in nullo deficientes.* tunc autem omnia hæc exequemur, quando voluntas nostra plenè se Dei voluntati subiecerit in rebus omnibus, quas lex Sancta præcipit: ita vt h *ne iota vnum, aut apicem eius prætereamus.* hoc etiam est quòd dixit S. Ioannes: i *qui seruat verbum Dei, verè in eo charitatem Dei esse perfectam*: recedendo scilicet à malo prohibito, faciendo verò bonum præscriptum. Et quoniam primus hic sanctitatis gradus est spiritualis, & perfectæ vitæ fundamentum: illud primæ Sanctissimæ Trinitatis personæ, & hoc est Patri attribuimus. cui ab essentia sua hæc puritas competit: quam filijs suis eo modo communicare cupit, quo illi sunt capàces: iuxtà illud, quod idem Sanctus Euangelista dicit: k *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare: quoniam ex Deo natus est*: quasi diceret. qui ex Deo natus est, per gratiam iustificationis, quod ad ipsam gratiam spectat, non poterit ille peccare: detestatur enim illa peccati societatem: ideoque iustum impellit, ad illud summè fugiendum: vt Dei filij, similes in puritate sint Patri suo; qui sancta sua vocatione dignatur eos vocare, vt eius puritatem imitentur, dicens illis: l *estote sancti, & ne polluatis animas vestras*: & Sanctus Apostolus, 1. Thessal. 4.7. *non vocauit nos* Deus *in immunditiam, sed in sanctificationem.*

Ex hoc fit progressus ad secundum perfectionis gradum, qui consistit in exornanda anima Sanctis Operibvs, non solùm quæ obligant ex præcepto; sed multa etiam, quæ tantùm sunt consilij: idque ob duplicem finem. *Primo*, vt ita simus remotiores à maculis culparum; & defectibus earum, quæ sunt præcepta: non enim furabitur aliena, qui propria libenter largitur: & procul erit ab vlciscenda iniuria, qui alteram maxillam præbuerit, vt in ea percutiatur: certoque implebit opera, ad quæ tenetur ex iustitia; qui sponte præstat alia, ad quæ tenetur ex sola misericordia. Nam quemadmodum antemuralia & pomœria muros defendunt: ita, ait Isaias, in n *vrbe fortitudinis nostræ*, hoc est Ecclesia Sancta, esse *murum* præceptorum, quæ illam custodiunt; & *antemurale* consiliorum, quę illam multo reddùt securiorem: vt propterea multò facilius portet onus, & iugum legis, qui apud se statuerit, vtrumq; seruare. Quemadmodum volucris facilè corpus suum per aërem portat, cùm vtramque habet alam; quæ tamen vel in ipsa terra difficilè ambularet, si vnicam tantum haberet. vtraque enim simul est leuamen; cùm sola vna sit onus. ita qui statuit ea tantùm seruare, quæ sunt præcepta; cum magna molestia ambularet, & versaretur in periculo, cum ipso onere in terram decidendi: qui autem

f *Ephes.* 6. 11. 13.
g *Iacob.* 1. 4.
h *Matt.* 5. 18
i. *Ioan.* 2. 5

Puritas Deo Patri attribuitur.

k 1. *Ioan.* 3. 9

l *Leuit.* 11. 44.

2. *Consilia faciunt vt a peccatis longius absis.*

n *Isai.* 26. 1

Consilia iuuant præcepta.

animo generoso vult etiam consilia seruare, volat velocissimè, sequendo CHRISTVM, qui est secunda Sanctissimæ Trinitatis persona: & ei propterea secundus hic perfectionis gradus tribuitur. Nam ex sola misericordia dignatus est in mundum venire, vt nos redimeret; &, vt infinitas gratiæ suæ diuitias ostenderet, voluit horum consiliorum Magister esse ac Prædicator: quæ cùm prædicaret, dicebat: n *Ego autem dico vobis.* atque si diceret: attendite, quod ego sim, qui hæc vobis dico & suadeo. ego qui vester sum DEVS, o *ego ipse qui* per Prophetas *loquebar, ecce adsum*: ego, qui veni, vt vester essem Magister; meoque exemplo præcedo, vt vos me sequentes, idem faciatis, p *sitisq; Sancti sicut ego sum.*

Christus Consiliorū præco.

n *Matt.* 5.

o *Isa.* 52. 6.

p *Leuit.* 20. 16.

3. *S. Thom.* 2. 2. q. 184. a. 2. ad. 3.

Ex hoc fit progressus ad *tertium* perfectionis gradum, qui in præceptorum & consiliorum OBSERVANTIA, perfectissimo, quo fieri possit modo, consistit. Vt enim res aliqua plenè sit perfecta, necesse est, omnes suas partes habere, ita vt nulla desit: & vt singulæ præterea eam habeant magnitudinem, intensionem ac proportionem, quam earum exigit natura. Quare si erit perfectè Sanctus, qui omnia, quæ lex Euangelica præcipit, ac suadet, excellentissimo, quo poterit, modo exequetur, qualem exigit primum illud & maximum mandatum: q *diliges Dominum* DEVM *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, r *& ex tota virtute tua, & ex tota fortitudine tua*, s *& ex omnibus viribus tuis.* In quo præcepto ait Sanctus Thomas duo contineri: alterum, quod præcipitur omnibus, tanquam *medium* necessarium ad ingrediendum cœlum: alterum, tanquam *finem* & scopum, quò dirigenda sit intentio nostra, dum exequimur, quod præcipitur. Quemadmodum si Rex capitaneum aliquem iuberet, arcem aliquam oppugnare; aut Medicum, curare ægrotum: is non ad aliud eos intendit obligare, quàm vt conuenientia adhibeant media, vt, quod iussi sunt assequantur: Quod si, illis adhibitis, præcepti fine frustrentur, expugnatione scilicet arcis, & ægroti sanitate non peccabunt in Regem, qui noluit eos ad eum finem assequendum obligare: sed ad facienda quæcunque sciunt, & possunt, vt eum assequantur. Hunc itaque in modum in maximo hoc dilectionis mandato, quod omnibus præcipitur, est, vt omnibus viribus suis ita Deum diligant, vt nec contra ipsum aliquid; nec quicquam plus, aut æquè, atque ipsum Deum diligant. & qui in horum aliquo deficeret, is proculdubio præceptū ipsum violaret: at si hæc præstiterit, etiamsi re ipsa non consequatur in hac vita finem, in quem ipsum præceptum dirigitur, non peccabit. qui finis exprimitur quatuor illis verbis: *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente siue spiritu, & ex omnibus viribus.* Idem est enim atque si diceret: diliges Deum cum omni veritate, & intentionis syncerirate; nihil præ-

q *Deut.* 6. 5. *Matt.* 22. 37. r *Marc.* 12. 30. s *Luc.* 10. 27. 2. 2. q. 44. a. 6. & q. 184. a. 2. *Bellarm. to.* 3. *de Monach. c.* 13.

Præcepti Medium & Finis.

ter ipsum quærens; cum summa intentione & continuatione in ipsa charitate; non laxans, aut ex torpore à diligendo cessans; & cum tali tuæ voluntatis ad amoris opus applicatione, vt in eo finem & quietem tuam ponas gaudeasque, quod diligas: cupies, ita quicquid tuus dilectus velit &, quicquid feceris, faciens examore. Denique cùm diliges, applicando vniuersim tuas omnes facultates, vt in dilectionis exercitio te adiuuent. Memoriam, quæ Dei præsentiæ continuè sit memor: Intellectum, qui bonitatem eius & beneficia, quæ ab eo proueniunt, intimè cognoscat; Imaginationem, quę in se efformet, gestetque viuam eius imaginem; Appetitus sensuum, qui summa propensione afficiatur ad eum, quem imago illa refert; Sensus ipsos, qui proponant continuè rerum obiecta & motiua, quæ amorem illum foueant; & reliquas facultates, quæ obtemperent spiritui in omnibus, quę ille volet, ad laudandum, venerandum obediendum, & placendum dilecto suo, omnes vires suas in intendendo.

Amor præcepti Spiritui S. tribuitur.

Qvæ perfectio (vt S. Augustinus aduertit) etsi ira plena non nisi in beatis inueniatur: proponitur tamē in hoc præcepto omnibus mortalibus vt nouerimus excelsissimum vocationis nostræ finem, in quem intentionem ac desiderium nostrum dirigere debeamus: dātes operam, vt quàm potuerimus proximè ad *tertium* hunc perfectionis nostræ gradum accedamus: qui tribuitur tertiæ Sanctissimæ Trinitatis personæ, *Spiritui S.* videlicet: qui tanquam amor infinitus à Patre & Filio procedit: & vterque illū mittit. Iustisque communicat, vt eius præsentia, & inspirationis efficacitate animum resumant, ad hūc amorem adeò perfectum consequendum: quò semen diuinæ vocationis non solum t*riceſimum*, aut *ſexageſimum*, sed *centeſimum* etiam *fructum proferat*: quia non contentus quod præcepta seruet, & consilia quoquo modo amplectatur: omnem etiam conatum adhibet, vt cum omni integritate & perfectione id faciat.

Lib de Spir & litera. 6 vltim. & li. de perfecta iuſtitia. S. Bernar. ſerm. 50. in Cant. S. Thom. 2. 2 q 44. a. 6. & q. 184, a. 3 t Mat. 13. 23.

§. 2. *Qua ratione omnes contendere debeant, ad tres prædictos perfectionis gradus peruenire.*

Etiamsi perfectio hæc adeò sit sublimis, vt prædictum est: vocationis tamen Christianæ adeò insignis est excellentia, vt omnes aliquo modo teneantur ad eam perfectionem contendere. Cuius rei primum signum est, quod voluerit Christus D. N. vt ait S. Thomas: Sacramentum Confirmationis omnibus baptizatis, nemine excluso, conferri. Cùm enim ipse cupiat, omnes saluos esse; etiam cupit, esse perfectos & plenitudinem recipere Spiritus sancti, qui in eo communicatur: nec dicuntur ita pleni esse, quemadmodum Christianismi vocatio exigit, nisi excelsam hanc perfectionem habeant. Et idipsum etiam significat *vnctio*, quæ fit cum chrisma-

1. 3 p. q. 72. a. 8

te ex oleo & balsamo confecto. Nam (quemadmodum ait S. Isidorus) omnes, magni & parui, in virtute huius Sacramenti vnguntur tanquam spirituales reges & Sacerdotes, vt ad altissimam Christi imitationem ascendant: ita vt quemadmodum oleum cæteris liquoribus supernatat, & balsamum est pretiosissimum reliquorum odorum: ita (ait S. Cyprianus) vnctio, quæ fit cum Chrismate, facit nos terrenis omnibus rebus superiores, cum quadam sanctitate, cœlesti simillima.

Lib. 2. de Eccl. offic. c. 25. Vnctio Chrismatis. Serm. de vnct. Chrism.

2.

HVC accedit, quod doctrina perfectionis Euangelicæ, eiusq; præceptorum & consiliorum tota sit (quemadmodum Angelicus Doctor dixit) in epitomen redacta in celebri illo Christi sermone, quem habuit in monte: qui non fuit dictus solis discipulis, aut gentibus, sed vniuersim omnibus Christianis: quemadmodum S. Augustinus ex generali illa sententia deducit, qua noster Seruator sermoni illi finem imposuit: a *omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro Sapienti, qui ædificauit domũ suam supra petram: & omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam.* Cùm itaque omnes Christiani teneantur dare operam, vt suam domum spiritualem ita ædificent, vt etiam oppugnata perduret: signum est, omnibus incumbere, vt totam hanc doctrinam audiant, & opere exequantur. Et, quemadmodum S. Basilius, & S. Chrysostomus perpendunt, coniugati & sæculares magis opus habent custodia consiliorum, abnegationis, ingressus per angustam portam, & ædificij firmi domus conscientiæ suæ: quia easdem patiuntur impugnationes & conflictus, quos ipsi Religiosi, & in multò maioribus periculis versantur.

I. 2. q. 108. a. 3.

Lib. de ser. Dom. in monte c. 9. & lib. 2. c. 4.

a Mat. 7 24

Perfectione seculares magis indigent. Serm. de abdicat rerum Lib. 3 contra impugnantes Religionem.

3.

QVID verò dicemus de celebri illa sententia Christi D. N. in eodem sermone, quam ad omnes vniuersim direxit: b *estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*? cùm enim non dixerit: estote perfecti sicut meus Pater; sed, sicut Pater vester: indicat, se loqui de tribus diuinis personis, quæ sunt Pater vnus communis omnium: ad cuius imitationem inuitat; eamque omnibus, qui ipsius sunt filij per gratiam Baptismi, commendat. siquidem qualis Pater est, tales meritò esse debent filij: non quidem æquè: quia id est impossibile; sed maxima similitudine, quæ filio sit possibilis. Antiquis solùm dicebat DEVS: c *Sancti estote quoniam ego Sanctus sum*: at nunc dicit: *Sancti & perfecti estote, sicut ego Sanctus sum*: Sanctitate vestra meam tanquam exemplar ad imitandum accipientes. Non satis habeo, si dicam, vt sitis Sancti quemadmodum Patriarchæ, aut Prophetæ, aut quemadmodum Cherubini & Seraphini: quia hi omnes finitæ sunt ac limitatæ sanctitatis exemplar. quare id desidero, vt sitis perfecti in misericordia, & patientia, cæterisque virtutibus, sicut est Pater vester cœlestis: qui

b Ma. 5. 48. Luc. 6. 36.

c Leui. 19. 2. Sanctitatis nostræ exemplar Deus.

exem-

exemplar est perfectionis infinitæ. Ex hoc enim *duplex* ingens bonum status vestri proprium prouenit. *Alterum* est, vt toto vitæ decursu studeatis semper crescere in sanctitate, nullo ei constituto limite, cum enim exemplar ipsum sit infinitum: quantumcunque illum imitemini, remoti adhuc valdè ab illo remanebitis. & propterea à Sanctus Bernardus dixit: *modum diligendi* Deum, *esse, sine modo & mensura diligere.* Nam (vt Sanctus Thomas ostendit) non potest charitas in hac vita terminum habere aut mensuram; & charitas ipsa eò propendet, vt semper vsque ad mortem crescat. *Alterum* bonum est: quod profundiores semper radices iacietis in humilitate. Si enim exemplar est infinitum, quicquid in eius imitatione obtinueritis: quasi nihil erit, si cum eo, quod super est, comparetur. nec abijciendus est vobis animus, aut fiducia: siquidem is, qui ad hoc studium vos exhortatur; & vult, & potest vos iuuare, vt voti compotes euadatis.

Duo inde bona

1.

Iugis profectus

2.

Lib. 3 de diligendo Deo.

Humilitas.

Quod ipsum etiam confirmatur ex eo, quod omnes Christiani iubeantur, altissimam hanc perfectionem petere in ea oratione, quæ magnis & paruis dicenda proponitur. Vnusquisque enim dicit in ea: *fiat voluntas tua in terra, sicut fit in cœlo.* Quod certum est signum, Deum cupere, dare quod petitur, & omnibus expedire, vt id contendant obtinere.

4.

Omnes perfectionem petunt.

Denique dilectionis Dei præceptum in omni ea excellentia, quam diximus, non fuit Patriarchis & Prophetis tantùm propositum: sed toti populo Israel. quod idem nunc toti Christiano populo traditur, obligatque omnes iuxta modum, quo illud declarauit Angelicus Doctor cum Magistro suo S. Augustino, dicens: omnes teneri, non constituere terminum fini proprio præcepti diligendi Deum, ex toto corde, viribus &c. quamuis in medijs adhibēdis possint illum statuere: Quemadmodum Medicus terminum & mensuram adhibet medicamentis, quibus ægrotus vtatur, habita ratione complexionis ac debilitatis eius: sed nullā adhibet mensuram sanitati, quam adferre desiderat: debet enim desiderare, & procurare sanitatem in omni, qua poterit perfectione. Ita etiam Deus non te obstringit, vt omnia media possibilia ad illi seruiendum adhibeas; quia ad salutem consequendam sufficiet ea adhibere, quæ sunt omninò præcepta: sed obligat tamen te, ne directè terminum statuas, aut obicem aliquem ponas contra finem præcepti dilectionis, & contra Christianæ perfectionis studium. Qui tamen obex censetur poni ob prauam cordis dispositionem, quæ in his duobus actibus deprehenditur: alter est, dicas, etsi statuerim non admittere vllum peccatum lethale, ne Dei charitatem amittam: nolo tamen solicitus esse de peccatis venialibus, propter quæ

5.

2.2 q. 184. a. 3. Lib. de perfect. inst. tom. 7.

Media modum patiuntur, non finis.

illam

Nolle venialia vitare aut consilium amplecti malum est.

illam non amittam : Alter actus esset, si dicceres: quandoquidem, vt ad cœlum perueniam, satis mihi est ipsa præcepta seruare: nolo vllum ex consilijs amplecti, nec DEVM ea perfectione diligere, quam ipsum exigit præceptum. Hic actus omni dubio procul inordinatus est, ac vitiosus: nec potest bonum finem sibi propositum habere: occludit enim portam Spiritus S. inspirationi, ad consiliorum obseruantiam impellenti: ac propterea vota contra ea edita non obligant: quale esset votum, nunquam dandi Eleemosynam. & propterea hortatur Apostolus: d *Spiritum nolite extinguere*: suffocando scilicet bona desideria, quæ ipse inspirat; aut obicem ponendo, ne illa inspiret. Deinde iste actus periculosus est valdè, præbetque occasionem non implendi ipsa præcepta: deserente scilicet ipso Domino eum, qui ipsius consilijs hac ratione resistit. In quem sensũ dixit Ecclesiasticus: e *qui spernit modica, paulatim decidet*; scilicet in maioribus, & Sancti dicunt, eum qui statuit non progredi, hoc ipso retrocedere; & vbi sistit, ibi deficere, & quasi in luto hæsitare. Nam, licèt non tenearis ipsam perfectionem habere, teneris tamen eam non despicere, aut repellere. tunc autem eam despicis, quando animo deliberato statuis, te nolle eam habere; & impedimenta ponere ad eam repellendam. Quemadmodum ait S. Thomas: Religiosos, quos Instituti sui leges ad culpam non obligant, grauiter peccaturos, si eas contemnant, statuentes nolle eas seruare.

d 1. *Thes.* 5 19.

e *Eccl.* 19. 1.

l. 2. *q.* 186. *a.* 7.

CAPVT. VII.

DEVM VOCARE EOS, QVI TENERAE sunt ætatis, in vt sanctitate, quam in Baptismo & Confirmatione accipiunt, proficiant, & crescant: & quanta perfectio illis commendetur.

S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 4. & *q.* 72. *a.* 8. *ad* 2. *Vide Suarez ibi. disp.* 35. *sect.* 2.

QVOD Ecclesia in more habet, Baptismum conferendi infantibus ante vsum rationis; Confirmationem verò cum iam illum habent, inuitat nos vt ingens Christi D. N. desiderium declaremus, quo ille tenetur, vocandi homines à teneris annis, ad ipsi cum perfectione seruiendum. Propterea enim voluit, se comparare cum solicito patrefamilias, *qui* a *exiit primo mane conducere operarios in in vineam suam*: desiderãs: (quemadmodũ ait S. Gregorius) omnes homines à primo mane vitæ suæ incipere, bonam eã ducere proueniens & b *adiuuans* eos, vt dixit Dauid, *mane diluculo*; & ipso primo tempore, quo lux diei incipit

a *Mat.* 20. 1. *Homil* 19. *in Euang.*

b *Psa.* 46. 6.

illis

illis illucescere. Tantumque fuit hoc eius desiderium, primo mane eos vocandi: vt, quod ex parte ipsius erat, operam dederit, eodem fauore homines prosequi, quo persecutus est Angelos: ita scilicet dandò illis naturam simul & gratiam, vt idem omninò momentum principium esset vitæ; & sanctitatis. Id enim fecit in paradiso erga primum hominem, eo animi decreto; vt, si is in gratia & iustitia originali, quam acceperat, persisteret, omnes eius posteri eandem essent habituri. Nec postquam ille peccato suo naturam infecerat, oblitus fuit ipse Dominus copiosæ suæ misericordiæ, qua ex singulari priuilegio vsus fuit erga Virginem sacratissimam: quam in primo conceptionis suæ instanti sanctificauit, vt esset electa vt Sol, in quo nulla vnquā fuit obscuritas. Ex speciali quoque fauore c *sanctificare* voluit adhuc in maternis vteris manentes, insignes duos Prophetas *Ieremiam* in lege antiqua, & Magnum d *Baptistam* in noua. Prēter quos duos casus, ex ordinaria lege omnes homines nascuntur peccatores. Sed quamuis potuisset D.N. omnium iustificationem differre, donec ipsi ad ætatem discretionis peruenirent, & ad illam se præparent: voluit ex infinita sua charitate constituere Sacramenta, quibus in ipsa infantia iustificarentur: quod nunc facit baptismus, muniendo (vt ait S. Dionysius) & armando eos gratia & virtutibus supernaturalibus, vt ab ipsa infantia inciperent esse sancti, & ipsæ virtutes ita fierent illis connaturales, vt esset illis facilè posteà in eis perseuerare. Habet verò aliam valdè singularem prouidentiam ad eos, noua vocatione primo mane vocandos: quando scilicet rationis vsus primùm incipit affulgere: præueniens eos cœlestibus suis illustrationibus, vt naturali lumine fideq; infusa, quam habent, vtentes; pergant in innocentia & sanctitate, quam acceperunt. Deus.n.D.N. (vt S. Ioannes ait) est e *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quoniam primus proprius hominis ingressus est per vsum rationis: tunc denuò illum illuminat, volens illum iuuari & corroborari altero Sacramento, quod est Cōfirmationis: vt, felici pede in mundum ingressus, fugiat malum, & sequatur bonum, quod illi cum auxilijs, quæ ad id in eo conceduntur, innotescit.

Infantes baptizandi

c *S. Aug. l. de ciu Dei c. 9 S. Tho. 1. p. q. 62. a. 3. & q. 95. a. 1.*

c *Ierem. 1. 5*

d *Luc. 1. 15*

e. 2. de Eccl: Hierach. S. Thom 3. p. q. 73. a. 6.

Pueri confirmandi.

e *Ioan. 1. 9.*

§. 1. *Rationes diuinæ huius prouidentiæ.*

Ad duos ordines reducere licet causas & motiua diuinæ huius prouidentiæ. quædam enim se habent ex parte charitatis ipsius Dei, cupientis perficere opus, quod in infantibus, quos in filios suos & milites accepit, inchoauit; ne excelsam adeò dignitatem amittant, primoque congressu victi cadant: aliæ sunt ex parte ipsorum met infantium, ob periculum cui exponuntur statim atque ad rationis vsum perueniunt; nisi talibus auxilijs præueniantur.

Nam primùm, quis non admiretur amorē, quo Christus D.N. paruulos

a Marc. 10. 13. luc 18. 15. Matt. 19. 13.

Christus parvulis delectatur.

prosequebatur; & quę dixit, ac fecit cũ eis? a *offerebãt* (inquit S. Marc.) *illi parvulos, vt tãgeret illos. discipuli aũt cõminabantur offerẽtibus*, vt eos remouerẽt: ipse aũt *Iesus indignè tulit*, q̃ discipuli faciebãt, & *ait illis: sinite, paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est n. regnũ Dei. Et cõplexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* quo facto aperire voluit, quãtopere cum paruulis & innocẽtibus infantibus delectaretur; quantoque desiderio teneretur eosdem in sua viscera immittendi, & potenti sua manu adiuuandi: vt sancti essent; replens illos cœlestibus suis benedictionibus, vt in omnibus virtutibus crescentes ad cœlorum regnum peruenirent.

2.

b Pro. 22. 6

c Num. 26. 2. 62. Levita ab infantia numerati

d Ioel 2. 2.

Novit benè hic Dominus, recẽtia vasa diu retinere odorem, & saporem primi liquoris, quẽ receperũt: ac propterea vult, infantes baptizari & cõfirmari; vt in noua animarũ eorũ vasa, gratiæ ac virtutũ liquorẽ infundat; adiuuetq; eorundẽ Sacramentorũ subsidio, vt eos cõseruet. Nã vt Salomõ dixit: b *adolescens iuxta viã suã, etiã cũ senuerit, non recedet ab ea.* Huic etiã figura fuit, q̃ cũ Deo iussisset, c *numerari omnẽ summã filiorũ Israel*, voluit ex vndecim tribubus numerari *à viginti annis & supra, qui possent ad bella procedere*: ex tribu aũt Leui, qui diuino cultui in tẽplo erãt dedicati, voluit numerari *ab vno mense & supra*: vt intelligeretur, q̃ ab ipsa infantia eos in suos accipiebat, & vt eũ vitæ modũ tũc inciperẽt, quẽ ad finẽ vsq; vitæ essent habituri. Eodem quoq; spectat promissio ipsius Dei, q̃ in Euãgelica lege d *effunderet spiritum suũ* qui per hæc Sacramẽta cõmunicatur) *super omnem carnem*, nõ solũ *super senes, sed etiã* super iuuenes: implẽs vasa carnis tãta copia gratię, vt ab ipsa infãtia vsq ad senectutẽ in ea perseuerarẽt. Cũ itaq; iuxta ipsi⁹ Saluatoris nostri sententiã, e *vinũ nouũ in vtres nouos sit mittẽdũ, vt* in eis *cõseruetur*: plurimũ refert, vinũ dilectionis Dei, q̃ legis nouæ est, pprium, mitti in vtres nouos infãtũ & paruulorũ, priusq̃ saporẽ aut odorẽ prauorũ aliorũ liquorũ accipiãt.

e Matt. 9. 17

3.

f Iob. 20. 11 Lib. 15. Moral. c. 5. Adolescentia neglecta indurat.

g Gen. 8. 21.

Qvid verò dicã de Sathanæ calliditate, qui etsi dormire videatur toto tẽpore, quo baptizatus infans vsa rationis caret: cùm primũ tamẽ is incipit apparere, accedit ad oppugnãdũ per se, & per nequã suos ministros, improbos sc. socios: vt hæc vasa frangere conetur in tenera illa ætate per culpã aliquã lethalẽ: vt gratiæ liquor, & charitatis vinũ, q̃ continebant, effundatur, & hoc tanto subsidio destituti sensim in grauiora alia peccata præcipitẽtur, perseuerantes, & in peius proficientes vsq; ad senectã & mortẽ, iuxta dictũ cuiusdã amici Iob: f *ossa impii implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cũ eo in puluere dormiẽt.* nec gratis ossa nominauit: nã (vt S. Greg. aduertit) caro, eò quòd sit mollis, & humida, & in exteriori corporis parte posita, facilè cõmodum aut detrimentũ sentit ex eò quòd tangit: ossa verò eò quòd sint duriora, & sicca, carnibusq; ipsis operta tardiùs malum aut bonũ recipiũt: sed postquã receperint, difficilius dimittunt. In hũc ergò modũ. g *adolescentes* instar sunt

carnis

carnis mollis, *in malũ ab adolescentia sua pronũ*: qui vt facilè vitiorum vulnera accipiunt, ita ab eisdẽ facilè curantur. & (quemadmodum ait S. Basilius) instar mollis ceræ facilè possunt viua virtutum imagine obsignari, quòd si in deprauatis moribus ad tẽpus aliquod progrediantur, ex carne fiunt ossa: indurescunt. n. in illis, & sensim vsq; ad ipsas medullas replẽtur peccatis valdè internis; adeoq; radicatis, vt cum ipsis dormiãt in sepulchro. Nec ibi quidẽ illorum finis. cũ. n. sint animę, quę æterna est, sõnus cum ipsa descẽdũt in infernum: ꝙ fuit votũ dæmonis ac desiderium: hac via cõtendẽtis Ecclesiã & Christianã rempub. labefactare, vtẽdo ad id impiorum parentum opera: de quibus dicere licet illud Psalmi h *immolauerũt filios suos, & filias suas dæmoniis.* quemadmodum. n. crudelissimi Idololatræ filios suos iugulabant, & super aras torrebant, offerentes illos idolis in sacrificio: Ita hi occasioni sunt filijs suis, vt à pueritia dedicẽt se dæmonibus, cupiditatum igne inflãmati. quorũ supplicium prędixit Ieremias, cũ Dei mãdato i *egressus est ad vallem filii Ennõ* in qua horrendum illud sacrificium fiebat: *accepit* enim *lagũculã figuli testeã à senioribus populi & à senioribus Sacerdotũ, & cõtriuit lagũculã in oculis eorũ*, monẽs eo facto illos, *quod Deus contereret populũ illũ, & ciuitatem illã, sicut cõteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* idque propterea à ipsis euenturum, quòd filijs suis causa fuissent, vt in grauia adeò scelera laberentur.

Qvid itaq; faciat cęlestis Pater, cum paruulos istos qui per Baptismum eius sunt filij, viderit in tãtis periculis cõstitutos? si viderit h *Draconem stantem ante mulierem* (quæ significabat Ecclesiã) *quæ erat paritura: vt cũ peperisset filiũ eius deuoraret*: quid inquã faciet, nisi in eius subsidium & protectionem mittere *S. Michaelem, eiusq; angelos, vt rapiãt filiũ eius ad* Devm *& ad thronum eius*? nam i *pusillis* præcipuè, *Angelos* designat custodes; & ministris Ecclesiæ suæ committit, vt eos etiã defendãt: qui statim natum per Baptismum, Confirmatione corroborat, & nõnunquã ex gratia singulari efficaciter vocat ad suum obsequium, priusquã *malitia mutet intellectum* & cor *illius* ita vt de illo dici possit. k *ossa eius implebuntur virtutibus, quas didicit in adolescentia sua & cũ eo in puluere* & sepulchro *dormient*. perdurãbunt enim cum eo vsque ad mortem, k & *sequentur illum* etiam vsque ad cœlum.

Imponamvs finem memorabili illa Ieremiæ sentẽtia, l *bonũ est viro, cum portauerit iugũ ab adolescentia sua.* quomodo. n. bonum nõ esset ab ipsa infãtia, Euãgelicę legis iugum portare, ꝙ imponitur in Baptismo cum in se cõtineat omnia genera bonorũ, vtile, delectabile, & honestũ? qd est animę & corpori magis vtile? qd spiritui, & ipsimet carni magis delectabile? aut magis honestũ aut sãctũ toti homini interiori & exteriori q̃ ab ipsa pueritia suaue hoc iugũ portare? Et q̃nã maior felicitas esse potest, q̃ in hoc imitari virũ omniũ virorũ, q̃ à primo suę cõceptionis instãti fuit vir, &, & tulit hoc iugũ, of-

Reg. 15. Fusi. Platus lib. 3. c. 33.

h *Ps. 105. 37 Parentes crudeles in filios.*

i *Ier. 19. 1. 10.*

4.

k *Apo. 12. 7.*

l *Mat. 18. 10*

k *Iob. 20. 11*

k *Apo 14. 13*

5.

l *Thre. 3. 27.*

Bonum iugum Christi ab adolescentia.

feres ferè ad illud portandũ vsq; ad mortẽ? & postquam in porticu Bethlehẽ natus est, die octauo voluit circumcidi, imponens sibi incomportabile legis antiquæ iugum: vt illi cum honore finem imponeret; nos verò exemplo suo permoueret, ad suaue ipsius iugum à teneris annis portandum: sic enim multò suauius nobis futurum siquidem onus à tenera ætate portatum, ipsa illud portandi consuetudine redditur multò leuius.

§. 2. *Quod adolescens debeat se leuare super se, vt perfectus euadat.*

VENIAMVS nunc ad illa perfectionis exercitia declaranda, quæ sunt propria adolescentum: quę expressit ipse Ieremias, cùm de eo, qui iugum portat ab adolescentia sua ait: a *sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit super se. ponet in puluere os suũ, si forte sit spes dabit percutienti se maxillã saturabitur opprobriis.* Hæc regula est sanctitatis, quã adolescentes vsq; vd ipsam senectutem seruare debẽt: accipientes pro principio & fine, quod Propheta vocat: *leuare super se.* Quod efficicit vocatio diuina præclaris quatuor modis.

a *Thre.* 3. 28. *Leuare super se.*

1. *Obedientia.*

PRIMVS est OBEDIENTIÆ perfectæ: cuius iugum, si ab adolescentia sumatur, ceruicem domat *iudicii* proprij: & propriæ *voluntatis*; efficitq;, vt spiritus super vtrumq; ascendens, eos calcet ac proculcet; faciatq; obedire, & subijcere se Deo, modo quodã plus quã humano: ita vt (quemadmodum ipse Saluator docuit) homo adhuc viuens b *in terra*, eleuet se, *ad voluntatem* diuinã exequendã cũ ea excellẽtia & perfectione, qua, qui sũt in cęlo eã exequũtur. & eodẽ modo efficit vt parẽtibus obediant, Pædagogis, Magistris, cęterisq; Prælatis, & superioribus: eleuãs spiritũ, vt eos nõ tanquã homines intueatur, sed tãquã Dei locũ tenẽtes: qui de eis dixit: c *qui vos audit, me audit.* Et cũ cępit agere cũ d *Samuele* puero, quater eũ *vocauit* voce valdè simili voci Magistri & Prælati eius Heli, vt intelligeret in posterũ: vocẽ, quæ videtur esse Pręl. esse vocẽ Dei; & vt tali obediẽdũ esse. quẽadmodũ c. 9. Fusiꝰ dicetur.

b *Mat.* 6. 10.

c *Luc.* 10. 16.

d 1 *Reg* 3. 4.

2. *Senectus morum Serm. 1. in die Apostol. Petri & Pauli.*

HINC oritur *secundus modus*, quo se adolescens eleuat super se vt sit inquam, plus quàm adolescens; non ætate, sed sanctitare ita vt cùm sit ætate puer, sit virtute vir & sentiens in se (vt ait S. Bern.) iuuenilis ætatis æstus, ascendat ad grauitatem moresque seniorum. abijciens scilicet quod erat; & assumens quod non erat, per virtutem diuinæ vocationis ipsum præuenientis, & ad id adiuuantis. Nam quemadmodũ dæmon habet aliquos ætate quidem senes, sed moribus iuuenes: de quibus dicit Isaias, quod e *peccator centum annorum maledictus erit*: ita DEVS Dominus noster vult multos habere: qui, cùm ætate sint pueri, sint moribus senes. Propterea enim dixit Sapiens f *ætatem senectutis esse vitam immaculatam*, qua adolescens assurgit ad opera & exercitia gloriosiora, quàm ætas & vires eius exigunt. sicut de S. Tobia dicitur, quod g *cum esset iunior omnibus in tribu sua, nihil tamen puerile gessit in opere*: quia in omnibus se virum ostendebat perfectum. Omitto

e *Isa.* 65. 20. *Puer centum annorum.*

f *Sap.* 4. 9.

g *Tob.* 1. 4.

extra-

extraordinaria Dei erga aliquos præuæ ætatis studia, quos super se ipsos ad officia senum eleuauit: quales fuerunt Samuel, Ieremias, Daniel, & S. Ioannes Baptista, alijque multi Sancti: qui à tenera ætate tales esse cœperunt, magnis præuenti benedictionibus dulcedinis. Nec desunt nunc, qui illos imitentur: cùm videamus innumeros iuuenes in statibus Religiosis, qui eleuant se ipsos super se ad senum perfectionem, adhibito studio *mortificationis*: cuius finis est, hominem ita supra se eleuare, vt seipso, suisque affectibus superior euadat: abnegans quod ex deprauata sua natura habet, vt incipiat esse vir alius, & plus quàm homo per gratiam.

Mortificatio.

Ex hoc sequitur *tertius modus* se eleuandi quotidie super se, addendo scilicet aliquid virtutis in hoc die supra id, quod in proximo habebat: ita vt, quemadmodum quotidie crescens ætate, diem vnum alteri adijcit; sic in virtutibus crescat, nouum adijciens augmentum supra id, quod antea comparauerat: quemadmodũ de Saluatore nostro dicitur, quod h *proficiebat sapientia, & ætate, & gratiæ apud Deum & homines.* Nam prout ætate crescebat, ita præbebat indicia crescẽdi in sapientia & sanctitate, quibus tamen semper erat plenus: vt exemplo suo nos doceret, quos in tenera ætate vocat. quod quemadmodum corpus quotidie crescit & ascendit super id, quod priùs habebat; ita par sit, spiritum crescere, seque supra se ipsum eleuare, ad multò amplius quàm ante esset: dando operam, sicut Apostolus dicebat, vt, i *quæ retro sunt obliuiscatur; ad ea vero, quæ sunt priora, extendat seipsum*: (quasi sese erigens, & extremis pedum digitis innitens, suam staturam longiorem faciat; vt aliquid apprehendat, ad quod in altiori loco constitutum, nisi ita se attolleret, non posset attingere) nouos semper perfectionis gradus acquirendo, supra eos, quos prius habebat. k *disponens* (vt ait Dauid) *ascensiones* nouas *in corde suo*; vt, *dante legislatore benedictionem, eat de virtute in virtutem*: donec *videat Deum Deorum in Sion.*

3. *Profectus spiritus.*

h *Luc.* 2. 52. *Simile quid dicitur de Samuele,* 1. *Reg.* 2. 26.

i *Phil.* 3. 14.

k *Psal.* 83. 6.

Ad hoc autem confert multum *quartus modus*, se eleuandi super se: quem diuina gratia in oratione largitur. quæ oratio (teste S. Ioanne Damasceno) est ascensus quidam spiritus in Deum: cuius virtute ascendit orans supra seipsum, & super omnia creata: eleuando suam memoriam, intellectum, & voluntatem, vt fixè eas in Deo collocet. Ex quo prouenit, vt sese eleuet supra id totum, quod caro est, viuatque tanquam spiritus; qui etiam sese eleuat supra naturam hominis, vt vitam ducat Angeli. siquidem in terra id ipse facit, quod Angeli in cælo. Qui ascensus alis fit, quas posteà indicabimus. Refert verò plurimùm, quemadmodum in ætate tenera discitur loqui, & agere cum hominibus: ita sensim discere, loqui & conuersari cum Deo: cuius aures attendunt ad orationes infantum: eò quòd sint innocentes, humiles, & mites: ideoque orantibus magna consueuit beneficia largiri, quẽ-

4. *Lib.* 1. *de Fide c.* 14. *Oratio.*

Maxime infantum. 1 *Gen.* 2. 17.

admodu l *exaudiuit vocem pueri Ismaelis*, qui siti premebatur: misit enim ium *Angelum*, qui de aqua ei prospiceret: hoc facto significans, quantum ipse desideret, sitim puerorum extinguere, eorumque bona desideria implere.

§. 3. *Septem virtutes, per quas adolescenti sit ad hanc perfectionem ascendendum.*

a *Thren.* 3. 28.

VT perueniat adolescens ad sublimem adeò prædictam perfectionem, ascendendum ei est per gradus septem virtutum, quas Ieremias a *sessionem, solitudinem, silentium, humilitatem* vsq; ad *puluerem, spem cum timore, mansuetudinem* in flagellis, & patientiam in *opprobrijs* appellat, quas tamen non assequetur perfectè, nisi *leuet se super se.*

1. *Quies.*

b 1. *Petr.* 3. 4

PRIMA virtus est QVIES siue sessio corporis, quam efficit ille b *spiritus*, quē S. Petrus *quietum, modestum, & in conspectu Dei locupletem* appellat, & hominibus placentem, quemq; Propheta verbo illo *sedebit* expressit: quò significaret: quamuis adolescentes soleant naturâ esse inquieti, mutabiles, in cōstantes, & facilè se ad varia effundere, à passionum suarum impetu deductos, vt sensuum suorū curiositatem foueant: gratiam tamen diuinæ vocationis ipsos eleuare supra se, quietosq; reddere, tranquillos, stabiles, constantes, & recollectioni addictos: vt ad Magistrorū suorum pedes sedentes, ab eis doceantur, & ad Christi pedes, internam in oratione doctrinā eius percipiant: exequentes Apostoli consiliū, dicentis: c *rogamus vos fratres, vt operam detis, vt quieti sitis, & vestrū negotium agatis.* quodnam autem magis proprium adolescentum negotium est, quàm seipsos supra se eleuantes, iuueniles suas propensiones & impetus mortificare, animasq; suas virtutibus exornare? In hoc tam proprium negotium suum debent magna cum quiete incumbere: non tanti faciendo reliqua, quæ huius comparatione tanquam aliena sunt habenda. Et quemadmodum inquietum & impatiens *animal* cum primum ei iugum imponitur, conquiescit; & *nauis* in turbato mari, anchora iacta firmatur: Ita (ait S. Gregorius) cor inquietum & tumultuosum conquiescit, suscepto iugo *obedientiæ*, iactaque anchora *timoris* Dei, & pœnæ: de quo dixit Ieremias: d *solus sedebam, quoniam comminatione repleuisti me.*

c 1. *Thess.* 4. 11.

Obedientia & timor Dei faciunt quiescere. Lib. 16. *Moral. c.* 27.

d *Ierem.* 15. 17.

2. *Solitudo duplex.*

1. *Corporis. Amalis socijs.*

Ex hac quiete, siue sessione ascenditur ad secundum gradum, scilicet SOLITVDINEM, quæ à mala societate se subtrahit, eamque repellit. Sed quemadmodum duplex est praua hæc societas: altera exterior, hominum scilicet ad malè faciendum inuitantium, interior altera, prauarum cogitationum & affectionum corda ipsa perturbantium: Ita duplex est bona solitudo: altera *corporis* exterior, altera *spiritus* interna; & vtramque meritò amplectetur adolescens: fugiens quemcunque hominem impedientem & auertentem ipsum à portando iugo, cui se subdidit: etiamsi pater sit, frater, aut amicus rā sibi necessarius, atque est pes proprius, aut manus: debet

enim

enim illos deserere;&, si scandalo ipsi sunt, amputare: præstat enim solũ viuere, quàm cum huiusmodi socijs; & solum ascendere in cœlum, quàm cũ eis in infernum descendere. Quamobrem Deus zelum e *Sarę* approbauit, *separantis filium suum Isaac à societate Ismaelis*, filij quidem Abrahami, sed ex Agar Ægyptia: eò quòd *vidisset Ismaelem cum Isaac ludentem*, puerilitèr quidem; sed quòd in eo lusu (vt ait S. Hieronymus) Ismael insereret idolula aliqua, & alia minus decẽtia: timuit ne Isaac puerulo aliquid ex malis illis moribus adhæresceret. Præterhæc autem interdum meritò eliget adolescẽs etiam corporis solitudinem, *intrans* (vt dixit Saluator noster) *in cubiculum suum, vt, clauso ostio, cœlestem Patrem suum oret in abscondito*, ac de rebus æternis meditetur. Rarò enim oratio iustum leuat super se, nisi secreta illa sit, & seorsim ab alijs. Non se g *transfigurat Christus*, nisi *in monte, & seorsim*: nec Iacob regnum Dei videt, nisi in solitudine. ac propterea locum illum appellauit h *domum Dei, & portã Cœli*. Sed, vt hæc corporis solitudo vtilitatem afferat, necesse est, etiã *spiritum* solũ esse: nec admittere cogitationũ & curarũ huius sęculi societatẽ: In hac enim spirituali solitudine Deus loquitur ad cor. O sancta anima (ait S. Bernard.) sola esto, vt soli omniũ serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. fuge publicum, fuge & ipsos domesticos: secede ab amicis & intimis; etiãab illo, qui tibi ministrat. an nescis, te verecundum habere sponsum; & qui nequaquã suã velit tibi indulgere prẹsentiã, præsentibus cęteris? secede ergò, sed mente, nõ corpore; sed intentione, sed deuotione, sed spiritu: quanquã & corpore interdum nõ ociosè te separas cupiens soli Deo placere: cũ solo agere; nec tunc admittere aliquẽ alium, qui à iucunda cum eo familiaritate te separet. Quod si feceris, nunquã eris meliùs associat⁹, quàm cum hoc modo solus eris: Habebis enim dulcium cogitationum & affectuum optimum comitatum: quos præsentiã suã Dominus ipse largitur, officium obiens comitis, & ad consolandum & animandum eum, qui solus est.

Ex hoc gradu ascenditur ad tertium, qui est Silentii: quo lingua frenatur, ne verbum aliquod contra Dei legem loquatur: cuius iugum non potest cum mala lingua habere consortium, de eo enim dixit Ecclesiasticus: i *Beatus qui tectus est à lingua nequam, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus; iugũ enim illius, iugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est*. Et quoniam adeò est graue, non permittit eleuari caput, *necse eleuare super se*, vt Christum imitetur. Sed præter hæc debet etiam adolescens perfectius aliud silentium amplecti, quod refrenat verba nimia, etiam de rebus bonis: vt monitis acquiescat eiusdem Ecclesiastici dicentis: k *audi tacens, & loquere in tua causa* vix & quasi coactus; moderando tua verba tribus circumstantantijs valdè strictè: in *propria* scilicet causa, vbi id necessitas exigit; & tunc *breuissimè*. & si fueris interrogatus de re quapiam,

e Gene. 21. 9.

De Tradition. hebrai in Genes. & Lyra, ibid.

f Matt. 6. 6. *Subinde ab omnibus.* Osee 2. 14. *Ducam eã in solitudinem, & loquar ad cor eius.*

g Matt. 17. 2 h Gen. 23. 17 *Serm. 40. in Cantic.*

2.

Spiritus, à vanis cogitationibus.

3. *Silentium.*

i Eccles. 28.

3. *A malis & nimijs.*

k Eccles. 32. 9.

expecta,

Habeat caput responsitium. Coll. 14. c. 9. Tres loquēdi circumstantiæ.

expecta, vt *secundo* interrogeris: vt sic appareat, quàm illibenter loquaris, quod si aliquo capitis signo poteris satisfacere, verba deuita. Hæ omnes exaggerationes indicant, quàm arctum silentium deceat teneram ætatem: hunc enim, ait Cassianus, esse primum disciplinæ Christianæ ac Religiosæ ingressum; mediumque efficacissimum, ad se eleuandum supra se. quemadmodum enim *aqua* in angusto vase compressa, supra se ipsam eleuatur, in altum ascendendo: ita (ait S. Gregorius) anima, quæ silentio se stringit, supra se ascendit: crescendo in virtutibus & contemplatione rerum cœlestium. Necesse tamen est exteriori linguæ silentio interius cordis silentium adiungere: imaginationis garrulitatem reprimendo; quæ, cùm homo solus est, solet secum, & cum absentibus colloqui. imò interdum ipsa est effusior in loquendo, cùm lingua minus loquitur; iudicatque eos, qui loquuntur; & intra seipsam eis obloquitur, & inuehitur. Stude itaque, vt spiritus tuus tempore recollectionis, si non potest ita solus esse, vt importunas imaginationes socias non habeat, saltem obsurdescat, & obmutescat, non præbendo illis aures, nec illas curando, aut similia earum colloquia fouendo: sed attende solùm, vt Deum audias, & colloquaris cum eo.

Lib. 7. Moral. c. 25. Silentium cordis.

4. *Humilitas. Corporis & Mentis,*

VT autem spiritus HVMILITATIS appareat, quem in his exercitijs debet adolescens seruare, addit Ieremias: l*ponet in puluere os suum.* quasi diceret, sedebit non in throno alto, sed in puluere, quo obturabit os suum, ipsum infigendo terræ; seque supra seipsum eleuabit, non arroganter, quasi multum sibi tribuens; sed demisse, vt qui cor suum in cœlo habens, os ponat in terram, reuerenter se prosternens etiam vsq; ad illam osculandam: multò verò magis *spiritus* oculos, eiusque os in puluere ponet, considerans ingentes *quatuor* miserias, quibus summersus est, & implicatus. in puluere scilicet, ex quo fuit initio *formatus*; & in eo in quem in sepulchro est *conuertendus*; in puluere *mutabilitatis* & in constantiæ, quam ex se ipso habet; ac denique in puluere *culpæ*, quam libro suo arbitrio deuorat: cuius causâ dignus est, qui & ipse cedat in escam Serpentis, de quo dictum est. l *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: ac propterea m *panis eius est puluis.* quibus quatuor considerationibus solidum iacies fundamentum veræ cognitionis tui ipsius. Quamuis enim DEVS te supra id quod es attollat ad tertiū vsque cœlum: decet teipsum demittere, ac descendere ad minus, quàm nunc sis, vsque ad abiectionem pulueris, & abyssum nihili, quod priùs fuisti & postea eris. tunc enim erit securior exaltatio, cùm huic demissioni imitetur, & coniungetur.

Quadruplex Puluis.

l *Gen. 3. 14.* m *Isaiæ 65. 25*

5. *Fiducia cum timore.*

Ex quo prouenit, vt Spiritus hic humilitatis & demissionis FIDVCIÆ virtutem in sociam sibi asciscat, cum aliquo tamen TIMORE coniunctam. & propterea Ieremias cùm dixit: *ponet in puluere os suum*, adiecit,

si FORTÈ

si Forte *sit* Spes. humilitas enim vera, etsi non deficiat animo, aut timida sit: nunquam tamen ita fiduciam amplectitur, vt perfectam in hac vita habeat *securitatem*. Nam quamuis misericordiam diuinam aspiciendo, magna sit confidendi occasio: aspiciendo tamen imbecillitatem nostram, magna est occasio timendi: eoque securior erit ipsa fiducia, quò magis est *cauta*. Ideò enim Sapiens dixit: n *beatus vir, qui semper est pauidus*.

Non securæ nisi cautæ.

n *Prou.* 28. 14.

Concludit tandem Propheta virtutum numerum, quem posuerat; exprimens duas illas heroicas verbis illis: o *dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis*: quasi diceret: insignis & singularis erit in quadam mansuetudine, & patientia adeò heroica: vt, si vel pater vel amicus, ipsum percutiat, & puniat, aut reprehendat ad correctionem; aut inimicus percutiat, aut malè tractet ad afflictionem: non solùm non vlciscatur, aut indignetur; sed potius statim p *maxillam suam præbeat volenti ipsum percutere*: iuxtà consilium quod in hoc genere Christvs Dominus dedit. Ad cuius virtutis experimentum diximus superius: Episcopum post Confirmationem percutere maxillam Confirmati, vt memor sit mansuetudinis & patientiæ, qua huiusmodi iniurias debeat in posterum ferre.

6.

o *Thren.* 3. 30.

Patientia.

p *Matt.* 5. 39

Vlterivs autem eius perfectio meritò progredietur, ita vt opprobria & ignominiæ cibi sint ipsi ac delitiæ, quibus oblectetur: quemadmodum famelicus solet, cum cibum sumit, donec saturetur; ita vt nec ob timorem fugiat opprobria nec ob tædium illa reijciat; aut cum rancore ferat, aut eorum inappetentiam ostendat: nec propterea quòd multa sint & frequenter eueniant, defatigetur: sed corde generoso ac strenuo, omnia quæcunque occurrerint, amplectatur: donec suum desiderium eis sustinendis satiet; felicem se reputans, quando illa plurima erunt: vt Saluatori suo, qui verè fuit semper plenus, & saturatus opprobrijs similiter euadat. Ne quis tamen animum abijciat, cùm oculos conijcit in sublimes adeò & præclaras excellentias in hoc & proximo capite positas: subijciemus nunc media interna & externa, quæ diuina vocatio ad eas consequendas nobis offert.

7.

Gaudium in tribulationibus.

(·:·)

CAPVT VIII.

RECENSENTVR INTERNA MEDIA, QVIBVS Spiritus S. iustos fouet; vt crescere & perseuerare possint in perfectione, quam in Sacramento Confirmationis profitentur.

QVONIAM in Sacramento Confirmationis diximus dari plenitudinem Spiritus S. vt ascendant iusti ad Christianæ perfectionis fastigium, & in ea sint firmi & stabiles: operæ pretium erit; modos & rationes explicare, quibus ad id adiuuet per ingentia dona, quæ largitur; & feruentes inspirationes, quas communicat: quibus dormientes excitat, torpentes extimulat, animo deficientes consolatur, & nouos spiritus feruētibus addit: quibus modis & rationibus, vitæ huius spiritualis ducem se præbet ac gubernatorem, indicans illis bonum, quod sequantur; adiuuansq; vt id faciant, & ita in omni genere virtutum perfecti euadant: in oratione, in mortificatione, in dilectione Dei & proximi, in familiaritate cū Christo D. & in consuetudine cum proximis; & vniuersim in actibus vitæ actiuę & contēplatiuę; quarum effigiem in ipso sacro Chrismate expressam habemus. Nam quemadmodum illud conficitur ex oleo & balsamo, ita Christiana & perfecta vita, opera cōplectitur *pœnitentiæ & misericordiæ*, quæ per oleū significantur; eò quòd nostris vulneribus medeantur, & proximorum miserijs subueniāt: opera item *Orationis & contemplationis*, quę per fragrans & pretiosum balsamum propterea quòd in oculis Dei magni fiant, & insignem coram Angelis & hominibus fragrantiam exhalent. Et quemadmodum necesse est, vtramq; rem ab Episcopo benedici, vt apta materia esse possint Sacræ vnctionis: ita etiā est necesse, vt hęc opera confirment nos, & in sanctitate perficiant: benedictionem Dei nos præuenire, & in eis adiuuare; & Spiritū S. qui est vnctio inuisibilis, eas comitari, sanctisque suis inspirationibus dirigere ac gubernare: Nam absq; ipsius auxilio & directione, nec in his, neq; in illis vel ad vnum passum progredi licebit. quemadmodum mirificè proponitur in mysticis illis a *quatuor animalibus*, quæ currum gloriæ Dei trahebāt, *habebantq; quatuor facies, bouis siue vituli, leonis, hominis & aquilæ, & vnumquodq; quatuor alas*: quæ tamen nec *ambulabant*, nec *volabant* pro libitu, quo volebant sed *sequebantur impetum spiritus* adeò cōstanter, vt non redirēt retrò, nec separarent se ab eius lateribus; idq; faciebant *in similitudinem fulguris coruscantis*: vt intelligeretur, iustorum congregationem per quatuor hæc animalia (vt S. Ambros. ait) indicatam, pro duce habere Spiritus S. motionem & inspirationem, iuxtà illud Apostoli: b *quicunque spiritu Dei aguntur ii, sunt filii Dei*. Qui spiritus nō sa-

Olei & balsami significatio.

S. Thom 3. p. q. 72. a. 3.

Vnctio S. Spiritus.

a *Ezech. 1. Eccl. 49. 19 Apoc. 4. 7.*

b *lib. 3 de Virg. ad fi & Rom 8. 1*

tis ha-

tis habet, quòd virtutu habitus & supernaturalia dona filijs Dei largiatur: sed ipsemet per se ad eorũ vsũ eos permouet, ac impellit: sicut iã explicabitur.

§. 1. *Quatuor virtutes Cardinales.*

PRo fundamento est aduertendum, ex S. Thoma, quatuor, præcipuas esse in homine facultates siue potentias, virtutũ capaces: duas in parte interiori animæ, appetitum scil. *concupiscibilem & irascibilem*; & alias duas in superiori spiritus parte, *voluntatem* scil. *& intellectum*. Quæ facultates, quoniam propensiones aliquas habent distortas valdè, Christianæque perfectioni cõtrarias, infundit illis Deus, simul cum gratia sua & Charitate, supernaturales morales virtutes, quæ eas moderentur ac iuuant, ad proprios actus perfectissimè exercendos. Quæ licèt plurimæ sint, ad quatuor tamen illas, quas Cardinales vocamus, oẽs reducuntur. *Temperantiam* scil. siue a *sobrietatem*, fortitudinem siue *virtutem*, *iustiam & prudentiam*: TEMPERANTIA residet in concupiscibili appetitu, coërcens inordinatas eius affectiones, & propensiones ad voluptates ac delicias, quibus sensus recreantur: huic vt sociæ adhærent *Abstinentia*, *Castitas*, *Clementia*, *& Modestia*. FORTITVDO timores moderatur, & passiones partis irascibilis; magnoq; & intrepido animo res magnas diuini obsequij aggreditur: Ad quod eam iuuant *Patientia*, *Mansuetudo*, *Magnanimitas & Constantia*. IVSTITIA coërcet propriæ voluntatis inclinationes, quæ cùm rerum propriarũ magnam rationẽ ducat nihil curat alienas: Iustitia aũt efficit, vt cuiq; det quod suum est: in quo eã iuuant *Religio*, quæ Deũ colit ac veneratur; *Pietas* in parentes; *Obedientia* erga maiores; *prouidẽtia* in subditos; *& gratitudo* in benefactores: Deniq; Prudentia, quæ residet in intellectu, reliquas virtutes gubernat, mediũque præscribit, quod in suis actionibus tenere debeant. Et oẽs has quatuor virtutes (ait S. Ambros.) significari per quatuor illorum animalium facies. vnusquisq; enim iustus debet prudentiâ esse *homo*; fortitudine *leo*; temperantiâ *bos*, & *aquila* iustitiâ. Et (quemadmodum S. Gregor. insinuat) debet se ratione, vt *hominem* decet, gubernare; & in periculis ac persecutionibus tanquam *leo* esse cõstans; debet *vituli* figuram induere, vt sacrificetur, carnemque suam mortificet; *aquilæ* verò mores induere ad colendum & honorandum DEVM & proximo commiserendum. debet esse in electione mediorum *prudens*; in executione *fortis*; in rebus proprijs *sobrius*; & in alienis *iustus*. Et quemadmodum quatuor illę facies, etsi essent quatuor animalium valdè inter se distantium, vnitæ tamen erant in vno eodemque corpore, cum magna mutua conformitate, vnumquodq; in suo loco & statione: (Nam b *leonis & hominis facies erant à dextris, facies autem bouis à sinistris, facies porro aquilæ desuper illorum quatuor*) ita hominis facultates, etsi aliquo modo sibi inuicem repugnent, ob carnis cõtra spiritũ rebellionem;

1.2.q.56.a. 4. & 6. & q.57.a 1.

a Sap. 8, 7.

Temperantia.

Fortitudo.

Iustitia.

Prudentia.

Lib. de Virginit. ad fin. Hom 41. in Ezech.

Quatuor animalia.

b Ezec 1.10.

per gratiam tamen valdè inter se conueniunt, & conformes sunt, cum magno harum virtutum ornamento & perfectione. Et quamuis omnes sint colligatæ, aliæque aliàs in suis actionibus iuuent: In particulari tamen coniunguntur ad manum dexteram *fortitudo & prudentia*. Nam fortitudo sine prudentia esset furiosa; prudentia verò sine fortitudine debilis esset & laxa: vtraque tamen coniuncta res magnas aggrediuntur; omniaq; dextrè & fœlici euentu perficiunt. Ad sinistram verò consistere debet *Temperantia*, quę temporalia bona & voluptates collocat in secúdo loco, adhibens illa quatenus ad æterna bona consequenda media sunt & quasi viam sternunt. At *iustitia* desuper esse debet, & aquilæ instar super res omnes volare: vt Deo reddat, quod est Dei; & proximo, quod est eius. Hæc sunt militiæ spiritualis nostræ arma, quæ omnibus iustis in Baptismo conferuntur, & augentur in Confirmatione: De quibus dixit Apostol. c *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere malo, & in omnibus perfecti stare. Prudentia* enim armati, Sathanæ fraudib⁹ resistetis: induti *fortitudine* reijcietis periculosos eius congressus; *Temperantia*, nimijs vestris cupiditatibus; *Iustitia*, amori proprio vestrarum commoditatum obuiam ibitis: & omnibus quatuor instructi, eritis in vestris actionibus perfecti; si eas tanquam duces sequemini, quę propterea *facies* appellantur. Quare valdè mysticè locutus est Propheta, cùm de ipsis animalibus dixit: d *Vnumquodq; ante faciem suam gradiebatur*: significare enim voluit: iustum (quemadmodum S. Gregor. aduertit) semper debere ambulare coram seipso, vt vias suas benè perspectas habeat: sicut consulit Sapiens, dicés: e *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*: ambulabis aũt semper corã facie tua, si in delicijs feceris, quod *temperantia* dictat; in periculis id ad quod impellit *fortitudo*; in negotijs, quod *iustitia* docet; & in cõsilijs, quod *prudentia* suggerit: oblitus præteritorum, & semper futura prospiciens; vt ad ea perficienda acceleres. Sed quis hoc totum præcipuè facit, nisi Spiritus S. inspiratio, quæ virtutes & actiones suas exerit? Nam (vt S. Thom. ait) humanæ rationis vis & facultas breuis est, & exigua; ideoque diuina illustratione, quæ illam adiuuet, opus habet. Et quoniam in hac vita participamus supernaturales virtutes modo quodam imperfecto indigent illæ speciali diuinæ inspirationis auxilio; quæ cum *Temperantia*, passiones domat; cum *Fortitudine*, vincit timores; cum *Iustitia* omnia explet, quæ ex obligatione incumbunt; & cum *Prudentia* liberat à fraudibus, rectaque iudicia proponit. Illa denique efficit, vt crescant omnes & perficiantur: vt f *Iustus eat de virtute in virtutem donec videatur* DEVS *deorum in Sion*.

Fortitudo prudentiæ iungatur.

Temperantia à sinistris.

Iustitia desuper.

c *Ephes. 6. 13.*

d *Ezech. 1. 9. 12.*

Homil. 3. & 4. in Ezech.

e *Prou. 4. 25 Ambulare ante faciem suam.*

1. *2. q. 58. a. 2.*

f *Psal. 83. 8.*

§. 2. *Actiones vitæ contemplatiuæ.*

VT hæ virtutes ad suæ perfectionis fastigium ascendant, tribuit Deus Iustis, vitæ contemplatiuæ alas, significatas, vt S. Gregorius ait, per quatuor alas mysticorum horum animalium. Nã quemadmodũ aues alis eleuantur in altum, ita iusti quatuor illis Spiritus donis, quæ Isaias appellat a *Spiritum* SAPIENTIÆ & INTELLECTVS, *Spiritum* SCIENTIÆ & CONSILII; & quatuor actionibus, quas S. Bernardus appellat, LECTIONEM, MEDITATIONEM, ORATIONEM, & CONTEMPLATIONEM, seipsos supra se attollunt, ad familiaritatem & consuetudinem suam in cœlo habendam. Hoc ipsum tamen præcipuè efficiunt quatuor insignes cognitiones: DEI scilicet TRINI & VNIVS, omniumque magnalium, quæ in seipso habet: IESV CHRISTI Saluatoris nostri, & omnium, quæ ipse fecit, ac passus est pro nostro remedio & exemplo: NOSTRI ipsorum, omniumq; miseriarũ nostrarum, siue illæ ex corrupta nostra natura, siue culpa nostra proueniant, tam in corpore, quàm in anima; ac denique cognitio omnium CREATVRARVM, quæ sunt quædam DEI beneficia, in nostrum subsidium, & reliquorũ mediorum, quæ nobis est elargitus, vt perfectè illi seruire, & salui esse possimus. Quibus cognitionibus admirabiles respondent affectus amoris, laudis, gratitudinis, obedientiæ, imitationis, & humiliationis propriæ: qui stupenda quadam harmonia alij alios prouocant, aliosque multos excitant. ita vt in his affectibus locum habeat (iuxta mentem S. Gregorij) quod idem Propheta dixit, quòd b *alæ animalium altera alteram percutiebat*, quo significabatur æmulatio sancta, quã ipsæ virtutes in vnoquoq; Iusto habent: & ipse S. Gregorius, *Ala*, inquit, *in nobis alam percutit, quia virtus virtutem excitat, dum vna alterã ad perfectionem pulsat.* Ala cognitionis DEI percutit alam cognitionis propriæ: vt hæc *profundior* sit, & ala *propriæ* cognitionis percutit DEI cognitionem, vt hæc sit multò *excelsior*. *Oratio* prouocat *mortificationem*; & hæc vicissim illam: vt vtraque perfectior euadat; *Obedientia* vocat *patientiam*, & hæcillam excitat: & omnes simul sonum edunt, quem ipse Propheta appellat: c *quasi Dei sublimis*. quia & oritur ab ipso Deo, & ad eundem tendit: & in eo elucet bonitas & omnipotentia illius. Et quemadmodum alæ quando in altum attolluntur, corpus secum trahunt: Ita Oratio & familiaritas cum Deo exaltat reliqua omnia virtutum opera: vt fiant cœlestia ex pura & syncera ipsi Deo placendi intentione. Id quod insinuat idem Propheta cùm ait: d *Facies animalium & pennas eorum extensæ fuisse desuper.* Indicat enim virtutum moralium facies, Deique ac Christi D. cognitionis alas valde conformiter extolli semper ad æterna & cœlestia, nunquam se ad res terræ viles dimittentes. Quo tamen non obstante, adiungit: *duæ pennæ tegebant corpora eorum.*

Homil. 3. & 4. in Ezech. Alæ Iustorũ

a *Isa.* 11. 2 *In scala Claustrali.*

Quatuor cognitiones.

b *Ezech.* 3. 13 *Hom.* 3. *in Ezech.*

Virtutum sancta æmulatio.

c *Eze.* 1. 24.

Oratio eleuat Iustũ.

d *Ezec.* 1. 11.

Nam (vt idem S. Doctor declarat) nullus adeò est perfectus in hac vita, quin aliquid fœditatis habeat, quam operire sit opus: siquidem e *septies in die cadit iustus*. ideoque necesse est alas vitæ contemplatiuæ vtrumque hoc officiũ præstare; volandi sc. & cooperiendi: volando ad contemplanda Dei magnalia, vt ametur, eiq; obediatur; & easdem contrahendo ad propriam vilitatẽ meditandam seq; propterea odio habendum & contemnendum, actusque pœnitentiæ & charitatis exercendos: quam ait S. Petrus, f *Operire multitudinem peccatorum*. Quis verò recensere poterit magna subsidia, quæ Deus D. N. Iustis offert, visitans eos; magnumque eis diuina sua præsentia animũ addens, ad opera adeò illustria exercenda. Nam g *visitatio tua* (inquit S. Iob) *custodiuit spiritum meum*: visitatio enim illa confirmat, illustrat, accẽdit, feruorem addit, virtutumque facies extollit, cogitationum affectuumque alas feruenter agitat, efficitque vt aliæ alias cœlesti quadam Harmonia se prouocent. Quod idem Propheta explicuit dicens: h *In medio animalium discurrebat splendor ignis, & de igne fulgur egrediebatur*. Quis hic ignis, splendor, & fulgur, hoc est? ait idem S. Doctor, nisi Spiritus ipse Sanctus, qui iustos visitans, inter eos discurrit consumens tanquam ignis eorum vitia & imperfectiones; cœlestibusque illustrationibus cor illuminãs; & tanquam fulgur inspirationibus, tenerrimis q; affectibus inflammans, & ad virtutum exercitia eos extimulans. Stupendo enim quodam modo vnus cùm sit, i *stabilis est ac mobilis, firmus, & varius*, non in se, sed in effectibus, quos in suis facit amicis. *Stabilis* est, quoad virtutes & dona, auxiliaque ad eorum salutem & perfectionem necessaria: quæ semper quod in se est absque vlla mutatione, & varietate illis offert: *firmus* est in eis iuuandis, vt casti sint, humiles & patientes; & vt virtutum actiones exerceant: quæ illis competunt, vt in statu suo perfecti euadant. Est tamen *mobilis* & *varius*, quoad alia dona & gratias, quæ dicuntur gratis datæ: quale est donum contemplationis, deuotionis sensibilis, lacrymarum, consolationum, & spiritualium deliciarum, aliorumq; similium effectuum, visitationum interiorum: cum quibus diuinus Spiritus ita versatur inter Iustos, vt modò discedere, modò venire videatur; modò sese manifestet, modò occultet: &, cùm sit præsens, simulat se absentem; venit ad eos, vt animum resumant; discedit, vt sese humilient; venit vt aduertant, quid sint, & valeant ex eius virtute; discedit, vt nihilum agnoscant, quod ex seipsis habent; accedit, vt illustria valdè quædam faciant, discedit, vt magnas tribulationes patiantur; venit, vt k *radicem* (sicut ait Isaias) *mittant deorsum, & faciant fructum sursum*: vt crescant scilicet in virtutibus, quę in altum ascendens, animam cum suo creatore coniungunt; discedit, vt profundiores iaceant radices in virtutibus sui contemptus. Estque adeò admiranda DEI nostri sapientia, vt hac varietate sua illos faciat sta-

biles;

c *Prou.* 24. & 16. *Nemo sine crimine vixit.*

f 1. *Petr.* 4. 8.

g *Iob.* 10. & 12.

h *Eze* 1. 13.

i *Sap.* 7. 22.

k *Isa.* 37. 31.

biles;& hac mutatione ita corroboret:vt illi non mutentur; sed confirmat, vt perseuerent. Ex quo fit,vt non solùm ipsæ Dei visitationes; sed etiam absentiæ, prædicto hoc modo media sint apta nostræ perfectionis: quamuis inter perfectos *spiritus* ipse discurrat velociter. nam, etsi modicum absit, id facit, vt citiùs illos visitet; & vt ipsi quoque accelerent,& crescant,sequentes hos diuinos impulsus.Nam propterea addidit Propheta: *l animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* sicut enim spiritus ipse sanctus suos habet accessus & recessus : ita & illi habent suos,sequentes in vtrisque diuini spiritus directionem. Cùm enim Deus venit ac visitat : sequuntur ipsum,aggrediendo illustria facta,quæ inspirat:quando autem Deus se abscondit,atque deserit: redeũt ipsi ad suam paruitatem,humiliant,& contrahunt se intra seipsos. Nunc accedunt ad contemplationem , & ad cœli altitudinem ascendunt,vt cum Deo coniungantur; nunc redeunt ad actionem,& attendunt tum propriæ mortificationi, tum aliorum ædificationi, & vtilitati: & vtrobique se habent tanquam fulgura coruscantia.accurrunt enim velociter ad omnia,quæ Deus vult;siue illa sint sublimia,siue abiecta.nec minus sanctitas eorum elucet in humiliatione,quàm in exaltatione.quemadmodum paulò inferiùs videbimus.Concludamus itaque dicentes,quòd cùm Spiritus Sanctus adeò sit potens,ad te in egregio hoc facinore iuuandum:tutò possis illud aggredi,dicens cum Regio Propheta:m *Mãda Deus virtuti tuæ, & confirma quod operatus es in nobis.* O diuine spiritus,iube tuam virtutem corroborare nostram & Confirmationis gratia perfice, quod per baptismi gratiam inchoasti, Amen.

S.Greg.sup Consolatione & desolatione æque iuuantur Iusti.

l *Ezec.1,14*

Iusti indifferentes ad parua & magna.

m *Ps.67.29*

CAPVT IX.

QVOD PATRINI ADHIBEANTVR IN Baptismo & Confirmatione,indicare necessitatem habendi spirituales patres,quorum opera perfectionem consequamur & qua ratione sit eis parendum.

EX Apostolorum traditione habet Ecclesia *duas* alias consuetudines in administratione Baptismi & Confirmationis: in quibus ostendit, nos habere opus alijs hominibus ad perfectionem; quam, dum hæc Sacramenta susçipimus,profitemur.Nã *primũ*, (vt S. Dionysius ait) assignat baptizãdis aliquẽ patrinũ, tanquã Pædagogum & Magistrum,qui per manũ Sacerdotis eum sub tutela & perfectione sua accipit;seque obligat,ad illum instruendum in omnibus quæ ad Christiani hominis statum spectant: quoad ea scilicet, quæ debent

c.vlt de Eccles Hierar. S.Tho.3.p. q.67.a.7. & 8.

credere,

credere, & *facere*. Diuinis noſtris Ducibus, id eſt Apoſtolis, (ait S. Dionyſius) viſum eſt, infantes ad Baptiſmum ſuſcipere ſecundùm iſtum ſanctum modum, & conditionem: quòd naturales pueri parentes tradant eum cuidam docto in diuinis pædagogo, vt reliquum ſub ipſo pueragaret, ſicut ſub *diuino patre* & Saluationis Sanctæ ſuſceptore. Attende: quanta ſit huius patrini laus, quem vir ſanctiſſimus PATREM DIVINVM appellat: vt intelligatur, debere eum erga infantem ſpiritualis patris officio fungi: educando illum, &, vt cœleſti Patri ſeruiat, aptando. Et S. Auguſtinus eundem vocat *fideiuſſorem* apud Deum pro eo, quem in ſacro fonte ſuſcepit: quòd ſuo tempore ſit præſtiturus, quod in baptiſmo eſt profeſſus, & ex parte ſua ſit ipſe illum adiuturus, vt reipſa illud præſtare poſſit.

Patrinorum antiquitas & laus.

De Conſecr. d. 4. ca. vos.

SED quoniam hoc munus ſolet ferè eſſe in ordinarijs patrinis, tantùm titulus, curæ fuit prouidentiæ diuinæ, de alijs proſpicere, qui ſint verè ac reipſa Pædagogi ac Magiſtri *Patresq; diuini*: præſtantes perfectiſſimè, quod Patrinis alias incumbebat: imò in eum finem etiam Inſtituta religioſa erexit: quorum vocatio eò tenderet, vt ſanæ doctrinæ lacte eos nutriret ac doceret, Chriſtianiſmi obligationes impleret, vt ſic Baptiſmi gratiam conſeruare, & augere poſſent. Hoc inſtitutum inſpirauit DEVS S. N. Patri *Ignatio, Societatis Ieſu* Fundatori: qui tantam huius muneris opinionem & æſtimationem habuit, vt ſtatuerit, in ipſa ſolenni profeſſione, expreſſam eius fieri mentionem; ne aut obliuione, aut contemptu vnquam in Societate prætermitteretur. Nec mirum eſt eos, qui de Ieſu Societate ſunt magni facere, paruulos ad ipſum, vt eos benedicat, deducere; cùm ſciant quantoperè ipſe hoc officio delectetur, quemadmodum ſupra eſt dictũ. Hoc ipſum adhuc ampliùs conſtat ex iis, quæ in Sacramento Confirmationis geruntur, cuius miniſtri non ſunt ordinarij, & communes Sacerdotes, ſicut in Baptiſmo ob eius neceſſitatem: ſed Epiſcopi tantum. vt ita intelligeremus, maiores Eccleſiæ Prælatos, præcipua eſſe inſtrumenta, per quos baptizati perfecti euadant. Et nihilominus, quoniam ſolus vnus Epiſcopus, ad curam tot confirmatorum gerendam, non ſufficit; etiam hic patrinus vnus aſſignatur, qui ipſum Confirmandum teneat: vt oſtendatur, eum ſpeciali auxilio indigere, ad perfectionem conſequendam, & contra eius hoſtes depugnãdum. Et hic Patrinus (quemadmodum S. Thomas aduertit) neceſſe eſt, vt ſit ipſe eodem Sacramento Confirmatus: ad ſignificandum, oportere eum Spiritus S. vnctionem in ſeipſo habere, qui debeat alios ad eam conſequendam adiuuare; & oleo ac balſamo ſanctitatis perfectæ vnctum eſſe eum, qui inſtrumentum ſit, quo alij eadem ſanctitate vngantur. Præterea, ipſi Patrini, & qui baptizãtur & confirmãtur cognationem quandam ſpiritualem adeò ſtrictam in ſe contrahunt, vt in certis gradibus Matrimonium impediat

Societatis IESV inſtitutum.

Marc. 10. 16. complexans eos & imponens Manus ſuper illos, benedicebat eos.

Patrinus ſit confirmatus 30. q. 4 c. ſi quis.

3 p. q. 72. a. 10. ad 2 d. a. 11.

Trid. Conc ſeſſ 24. dec de reſor. c. 3

vt sic perpetua amicitia intelligatur, qua debent inter se esse coniuncti, tanquam parentes & filij amore puro, non carnis, sed spiritus: (qui vt Nicolaus Papa dixit) eò perfectior esse debet, quò spiritus carnem excedit.

In Epist. ad Iuuenal. Valentin. c. 2.

§. 1. *Semper opus esse Patre spirituali.*

Patris spiritualis necessitas.

CONSILIVM hoc, quod Spiritus S. Ecclesiæ suæ inspirauit, nos docet; omnes homines siue sæculares, siue religiosos, qui in virtutibus proficere, & in pugnis ac tentationibus firmi ac constantes esse cupiunt, debere præter maiores Prælatos, Patrem aliquem spiritualem habere, qui Pædagogi, Magistri, Patrini, ac Protectoris instar dirigat, adiuuetque, vt voti cõpotes euadant. Eum in modum, quo DEVS D. N. in sua gubernatione per Angelos suos, non solùm constituit Principatus & Potestates, qui Ecclesias, & Prouincias gubernẽt; sed cuique etiam particulari homini custodem Angelum destinauit, qui eum ad salutis portum peruenire iuuaret. Quod si in via virtutis sis Tyro, danda tibi opera est, vt benè in humilitate funderis: tibi persuadens, te tanquam ignorantem, Magistro indigere, qui te doceat; & tanquam infirmum, Medico, qui te curet; tanquam peregrinum, qui eam viam nunquam ambulauerit, duce, qui te comitetur ac dirigat; tanquã Militem nouum, Duce, qui te gubernet; & tanquam debilem ac timidum, Patrino & Protectore, à quo adiuueris & protegaris: Excitare autem etiam debes fiduciam tuam, quòd DEVS D. N. & custos Angelus hominis defectum circa tuam gubernationem supplebunt.

Duo duces Israelis.

QVOD si bona & commoda illa cognoscere velis, quæ hinc tibi proueniant: conijce oculos in consilium illud ac dispositionem, qua vsus est DEVS ad Hebræos ex Ægypto educendos; & per desertum ad promissam terram deducendos. quod consilium viua quædam imago est eius directionis, quam adhibet ad homines è peccati statu educendos, & per huius mundi desertum ad æternæ promissionis terram dirigendos. Quod si attentè perpendas, inuenies, populum illum duos habuisse dulces, alterum *Angelum* Domini, de quo dixit: a *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via; & introducat in locum quem parau. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaueris, & est nomen meum;* & auctoritas mea *in illo*: Alterum ducem habuit ipsum *Moysem*, qui eduxit populum illum ex Ægypto, & per totam viam magna postea cura deduxit. Ille enim aperuit illis b *mare rubrum*, vt, *aqua diuisa*, sine vllo detrimento transirent: in qua tamen posteà ad eundem locum reuertẽte, *Pharao totusq; eius exercitus*, qui populum persequebantur, summersi sunt. Et cùm Amalechitæ insurrexerunt contra populum, c *eleuauit ipse manus in cœlum*, & impetrauit populo victoriam; Cùm morderentur à serpentibus, d *posuit serpentem æneum pro signo, quem qui percussus aspiciebat, sanabatur.* Cum fame

Angelus.

a *Exod. 23. 20.*

& Moyses.

b *Exod. 14. & 28.*

c *Exod. 17. 11.*

d *Nũ. 21. 9.*

Exod. 6.15 Nū.20.11. Exod.31. 8.& 6.34. 9.

premerentur, impetrauit illis e *Manna de cœlo*, & cùm siti laborarent, f *aquã de petra illis eduxit*. Ac demiq; g *ascendens in montem Syna attulit illis tabulas legis*, & in omnibus aduocati & intermedij officium præstabat in rebus omnibus inter Deum & populum. Tale igitur est munus eorum, quos Deus D. N. tanquam Electorum suorum duces constituit, ad eos educendos ex Dæmonis & peccati tyrannide: dirigentes & adiuuantes eos orationibus, consilijs, varijsque alijs medijs: fauente illis Deo, vt ea sint efficacia. Eorũ. n. industria pertranseunt electi per *mare* tentationum, & tribulationum absque vllo suo detrimento, victis verò & extinctis hostibus. Et si alij recentes insurgant, etiam contra illos impetrant *victoriam*. Quod si à *serpentinis* suis passionibus sint vulnerati, proponunt illis remedia, quæ in Christo crucifixo inuenient; docentes eos ita eundem crucifixum aspicere, vt vulnerum sanitatem consequantur. Quando prę alimenti spiritualis defectu languent, impetrant illis *Manna* cæleste; & aquam *petræ viuæ*, quæ est ipse Christus: applicantes illis Sacramenta ac remedia, quibus refectio spiritus & gratia deuotionis ac lacrymarum obtinentur. Illi eos docent *legem* Dei; & vias, per quas illam adimplere debeant præstantque *consiliariorum* munus in dubijs eorũ: Deo ipso, qui tales Duces constituit, responsa sua per eos dante. qui Duces tam deberent esse in verbo & opere potentes, atque ipse fuit Moyses, ad facinora adeò illustria patranda.

Patris Spiritualis varia vtilitas.

§. 2. *Firmitatem & constantiam non debere esse soli vni spirituali Patri alligatam.*

Tract. 4 c. 2.

QVONIAM de hoc argumento fusiùs egimus in libro Ducis spiritualis, hic tantùm addemus quædam alicuius momenti monita, præsenti instituto accommodata. Est aũt *Primum*: vt nunquã sis adeò alligatus vni Duci etiam bono, qui tibi contigit, vt, eo ablato, aut deficiente, tu quoque à benè cœptis desistas. hoc. n. esset certum signum, te non inniti præcipuè Deo, eiusque sancto timori & amori, sed respectibus humanis, & affectibus terrenis: vt qui pluris hominem facias quam Deum, non secus atque Israelitæ, qui adeò erãt *Moysi* Duci suo adstricti, adeoque ab eius præsentia in adoratione veri Dei pendebant; vt ob eius per dies 40. absentiam, cùm Dei mandato ascendisset in montem Syna, statim à cultu veri Dei recedentes, idolum adorauerint. Et quamuis Moyses loco sui Aaron summum Sacerdotem reliquisset, nihili id fecerint, nec à deprauata sua voluntate potuerint retardari, quò minus ipsum Aaron vrgerent dicentes: a *fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moysi. n. huic viro, qui nos eduxit è terra Aegypti, ignoramus, quid acciderit*. cogitabãt. n. miseri homines, sublato sibi Moyse, Deum quoq; sublatũ, qui per eum loquebatur, eosq; gubernabat, nec posse Deum idem præstare per Aaron. ideoque stultitiam illam fecerunt, vt *tollentes inaures aureas oẽs, opere fusorio facerent ex eis vitulum conflatilem, ac dicerent: hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerũt de terra Aegypti*. In quo facto duo videm⁹ depicta vitios[a]

Deo, non homini innitendum.

a Exo 32.1.

extrema eorum, qui exierunt ex Aegypto, vocante eos Deo per virum aliquem sanctum, qualis fuit Moyses. Alterum extremum est, quod nimium se homini obstringant & addicant, existimantes tali Confessario, aut spiritus Magistro sibi sublato, ipsum Deum etiam auferri; & gubernationem cœlestem, qua per eum dirigebantur: nec posse alium esse à quo possint æquè dirigi ac iuuari. In qua re graui iniuria Deum afficiunt, ob nimiam fiduciam, quam in homine ponunt: quibus propterea imprecatio illa competit: b *maledictus homo, qui confidit in homine.* Ex hoc extremo in alterum facilè deueniunt, æquè vitiosum. Nam sublato illis homine illo, non amplius acquiescũt, vt ab alio dirigantur; sed proprio iudicio seipsos gubernant. hoc enim est, ex aureis *inauribus*, operibus sc. obedientiæ, idolum proprij iudicij conflare; illudque adorare, cùm ei se subijciant, vt gubernentur. Si itaque extrema hæc vitare velis, ita statuas ab homine gubernari, quem Deus tibi ad id designauit: vt præcipuã tuã fiduciã in in ipso Deo colloces, qui per homines te docet, & alloquitur; & qui, vno sublato, nouit alterũ æquè aptũ in ei⁹ locũ subrogare: quemadmodum mortuo Moyse, constituit Iosue, qui promouit q⁹ Moyses inceperat, & vno Prælato, Confessario, aut Magistro ac Directore, iuxta palatũ ac desideriũ tuũ, deficiente, constituet Deus aliũ, qui nõ minus arrideat. Quod si minus quã alter hic aptus esset: ipsius Dei prouidẽtiæ erit, eius defectus varijs vijs sibi notis supplere. ab ipso si quidẽ præcipuè omnis apta ordinatio pendet: iuxta illud Apostoli ad Corinthios hoc errore non nihil infectos, valdeq; gloriantes q⁹ Magistrũ habuissent alij Paulum, alij Apollo: plus eis, quã par erat tribuentes: c *Quid* (inquit) *est Apollo? quid Paulus? Ministri sunt Dei, cui credidistis: ego plantaui* prædicatione mea fidẽ & charitatẽ in vobis: *Apollo* eãdẽ sua prædicatione *rigauit: sed Deus incrementũ dedit*, interiùs illud in vobis efficiens. *itaq; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat:* nihil n. Ministrorũ labor, & industria valeret, *nisi Deus* eadẽ cũ illis faciens, *incrementũ daret.* Hoc dixit Apostolus: non, vt aliquid remitteres de opinione, quã par est habere de ijs, quibus Deus tanquã instrumentis vtitur, ad tuã directionem: ad quos vult te recurrere, quia sine eis non efficiet in te ipse opus suũ. quemadmodum nec plantis ipsis dat incremẽtum, nisi adsit qui eas plantet, ac irriget. Necesse tamen est huic tuæ de illis opinioni certũ limitẽ ac terminũ ponere; ita vt non tanquã ad homines tantùm ad eos recurras, sed tanquam ad Ministros Dei, qui per eos te docet: &, quando vnum aufert, sciet alium tibi assignare; per quem idem, quod per alterum, præstet. Et propterea idem Apostolus addit: *qui plantat, & qui rigat, vnum sunt.* primus scilicet & secundus, & quotquot eis successerint, æquè enim facile est Deo, per hunc ac per illum, te dirigere: modò illius prouidentiæ præcipuè innitaris, nec proprio tuo iudicio dirigi velis. Id enim Salomon suasit cùm

Prius homini nimium.

b *Iere. 17.5*

Post proprio fidunt iudicio.

c *1. Cor. 3. 4.*

Deo per homines regenti innitendum.

dixit: d *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ,* plus ei, quàm par sit, tribuens.

NON possum tamen prætermittere, quin hic admoneam de æstu Dæmonis, cùm videt sublatum nobis esse virum aliquem Sanctum, sub cuius directione feruenter in Dei obsequio pergebamus. tunc enim tanquam agmine facto grauissimis tentationibus nos aggreditur, vt à pijs desiderijs bonisque propositis desistamus: sibi persuadens, remota columna, facilè ruere quicquid ei innitebatur. quemadmodum euenit Regi Ioas, de quo ait scriptura: quòd e *fecerit rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos.* Sancti enim illius viri institutio ac directio cõseruabat, ac promouebat verã in Rege religionem. f *Postquam autem obiit Ioiada,* non passus est Dæmon hanc sibi occasionem elabi; sed instigauit *Principes Iuda, vt ingressi adorarent Regem, qui delinitus obsequijs eorum,* ac blanditijs, & muneribus acquieuit eis, persuaseruntque ei *vt Lucis & sculptilibus seruiret.* Et quamuis *Zacharias filius Ioiadæ* illi obsisteret, maleque facti eum, totumque populum admoneret, nihil profecit: sed potius iussit eum *lapidari in atrio domus Domini,* siue inter templum & altare. In qua narratione quasi depictum appareret, tum quantùm valeat Prælatus aliquis magna sanctitate & prudentia præditus, ad conseruandam veram religionem, spiritumque verum, non solum in priuato quopiam homine, sed etiam in ipso Rege, & toto regno: cuius Prælati iactura grauiter, procul dubiò, est ferenda. quamuis Deus soleat eam reparare mittens loco Ioiadæ defuncti aliquem Zachariam non minus feruentem patre suo.

c 4. *Reg.* 12. 2. 2. *Paral.* 24. 17.

TVM etiam in eadem narratione apparet ad viuum depictus Sathanæ æstus, suis tentationibus euestigiò accurrentis ad religionem & spiritum deturbandum, qui sub tali Ioiada florebat. Cui Sathanæ necesse est viriliter & strenuè resistere: consilia ac directionem sequendo eius, qui in demortui locũ succedit: quia idem D. Deus est, qui per vtrumque loquitur; & stupendo profundas in virtute radices iacere; tuamque in eam propensionem & affectum promouere: non quòd eam Petrus Paulusve prædicauerit, aut docuerit, sed ob ipsiusmet virtutis bonitatem, & præstantiam, Deique dignitatem & eminentiam, cui illa innititur.

HANC veritatem assecuta est feruens nostra RVTH, quæ, etsi ducem haberet NOEMI, per quam DEVS illam ex idololatria eduxit: non tamen constantiam & perseuerantiam suam illi adstrinxit: sed dixit potius: g *quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibiq; locum accipiam sepulturæ.* mentem & voluntatem suã aperiens, vt quamuis diuturnior sua vita esset, quàm suæ Magistræ ac ducis, non propterea esset in patriã suam Moab reditura, sed in Bethlehem tota reliqua vita permansura, vero Deo vsq; ad eius finem seruiendo.

g *Ruth.* 1. 17.

§. 3 *In quibus rebus, & qua ratione Patribus spiritualibus sit parendum.*

QVONIAM in subiectione & obedientia spiritualibus Patribus præstanda alia quoque vitiosa extrema inueniri possunt: ne in illa incidas, obseruandũ est tibi: in actionibus præceptis non esse opus, superiorem aut spiritualẽ Patrem consulere: cùm cõstet teneri te ad eas, etiamsi is tibi eas non imponat, nec debere eas omittere etiãsi is prohibeat, iuxtà illud S. Petri: a *obedire oportet Deo magis quam hominibus*: sed eas quę sunt Consilij, & supererogationis; in quibus plus minusve prętari potest, propriaq; voluntas facilè alitur & fouetur, expedit omninò cum Patre spirituali cõmunicare, eiusque directionem sequi: licèt, quod in te est, meritò debeas vehementer propendere ad ita laborandum in omnibus quæ sunt diuini obsequij, vt nunquam sis otiosus. quod mirificè declarauit Spiritus Sanctus iubens, pigrum discere à duobus animalculis: altero per terram repente, altero volante per aëra: quæ duas constituunt respub. quarum altera nullum habet caput; à quo gubernetur, altera vero caput vnum habet: & vtraque in laborem maximè incumbit. Prima respublica est formicarum, de quibus ait: b *Vade ad formicam ô piger*, & considera vias eius, & disce sapientiam: *quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem: parat in æstate cibum sibi; & congregat in messe, quod comedat.* quasi dicert, considera, ô piger, vehementem formicarum ad colligendum in æstate semina, quæ in hyeme comedant, propensionem: & deprehendes, quod quamuis nec Ducem habeant, nec Magistrum, qui doceat illas viam; nec Principem aut Regem, qui ad laborandum impellat: ipsæmet ex propria inclinatione laborem amplectantur: imò, vt Plinius ait, onus interdum suscipiunt corpore proprio maius; & omnes magno ordine & conformitate, ita vt aliæ alias non impediant, continuè laborant. Hunc itaque in modum toto huius vitæ tempore tantam debes propensionem habere ad præcepta diuina explenda, & c *quodcunque facere possis, instanter operandum*: vt, etiamsi Magister nullus, qui te dirigeret; nec superior, qui te vrgeret; nec vllæ pœnarum minæ, aut præmiorum temporalium spes adesset, non velles huic sancto exercitio manum subtrahere: eò quòd ad tuam salutem ita expediat, ipsique Deo ita placeat. Id quod consentaneum omninò est non solùm eò quòd Christianus sis, sed etiam (vt ait S. Basilius) quòd homo d *natus* sis *ab laborem, quemadmodum auis ad volatum.*

NEtamen ex hac formicarum repub. occasionem accipias existimandi, non esse tibi necessarium Ducem aut Magistrum: audi secundam similitudinem ex apum repub. desumptam, quam idem Salomon addit iuxtà

a *Act.* 5. 29.

b *Prou.* 6. 6.

Lib. 1. *c.* 30. *Exemplo formicarum ipsum vrgeas.*

c *Eccles.* 9. 10.

In illud Isa. 1. *solennitates vestras*

d *Iob.* 5. 7. *S. Hieron. in Ezech.* 3. *& epist. ad Rusticum.*

translationem Græcam, quam multi S. Patres sequuntur: *vade* (inquit) *ad apem & disce, quàm sit operosa, quamq; seriàm operationem exerceat: cuius labores & Reges & idiotæ ad sanitatem assumunt, desiderabilisq; est omnibus, & illustris & quidem cum sit viribus infirma, tamen quia sapientiam honorat erecta est.* quasi dixerit: si à formicis didicisti laborare in operibus corporalibus, disce etiam idem magis in spiritualibus & excelsioribus, imitando apes, solicitè per flores volitantes; mel, ceramque colligentes: ex quibus fauos suos in tanta copia conficiunt, vt habeant non solùm vnde ipsæ alantur, sed etiam alios alant. quo labore sapientiam honorare dicuntur, ob illustre exemplum quod sua diligentia præbent ad eam comparandam. Hunc ergo in modum laborandũ tibi, sanctaq; meditatione volandum per varios diuinorum mysteriorum flores, & colligenda veritatum cera, rosque virtutum in tanta abundantia, vt non tibi solùm sed alijs quoque prodesse possis. Sed aduerte, quod apes suum habeant Ducem, Magistrum, ac Regem, quem, sequuntur, cui parent, qui desides punit, & ex alueari suo otiosas planè repellit, vt ex hoc discas exẽplo, opus te habere Duce, Magistro, ac superiore, q te doceat, ac gubernet: & si incurius sis in iis, quæ tibi incumbunt, etiam stimulet, si itaq; in operibus ac laboribus tuis perfectus esse desideras, quoad affectum quidem imitandæ sint tibi formicæ, quoad effectum verò & executionem apes debes æmulari. adeò enim feruentia laborandi pro Dei amore desideria habenda sunt, vt ipsamet inclinatio tua ad id te compellat, & e *Charitas Christi*, vt Apostolus ait, *te vrgeat*, calcarque addat, vt nõ opus habeas alio, qui te stimulet, aut timorem incutiat. In executione autem horum desideriorum recurrendum tibi est ad spiritualem Patrem, qui spiritualia exercitia, in quibus occupari debeas, tibi designet: vt rectè & vtiliter progrediaris. Quod formicam quandam apemque valdè solicitã videre cupis, à qua & obediendi & laborandi modum hunc addiscas, vt perfectus euadas: audi quæ sacra historia RVTH de ea refert, secundo eius capite.

Orig. homil. 2. in Isai. *S. Damas. lib. 2. Parab. c. 89.* *Ianſen. Prouerb. 6. 6.*

Formicas affectu, apes imitare effectu.

e *2. Cor. 5. 14.*

Cap. 2. Ruth

ERAT *autem vir Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine* BOOZ. *Dixitq; RVTH Moabitis ad socrũ suam: si iubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, vbicunq; clementis in me patrisfamilias reperero gratiã. Cui illa respõdit: Vade filia mea. Abiit itaque & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem, vt ager ille haberet Dominum nomine* BOOZ, *qui erat de cognatione* ELIMELECH. *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitq; messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderũt ei: benedicat tibi Dominus. Dixitque* BOOZ *iuueni, qui messoribus præerat: cuius est hæc puella? Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum* NOEMI, *de regione Moabitide: & rogauit, vt spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: & de mane vsque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reuersa est. Et ait* BOOZ *ad* RVTH:

audi

audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis, & vbi messuerint sequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt. Quæ cadens in faciem suam & adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem? Cui ille respondit: Nunciata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas. Quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc & comede panem & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi; comeditque & saturata est, & tulit reliquias. Atque inde surrexit, vt spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: & de vestris quoque manipulis proicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat. Collegit ergo in agro vsque ad vesperam: & quæ collegerat virga cædens, & excutiens, inuenit hordei quasi Ephi mensuram, id est, tres modios. Quos portans, reuersa est in ciuitatem, & ostendit socrui suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. Dixitque ei socrus sua: Vbi hodie collegisti, & vbi feciſti opus: sit benedictus, qui misertus est tui. Indicauitque ei apud quem fuisset operata: & nomen dixit viri quod Booz vocaretur. Cui respondit Noemi: Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo. Et Ruth: Hoc quoque inquit, præcepit mihi, vt tam diu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur. Cui dixit Socrus: Melius est, filia mea, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. Iuncta est itaque puellis Booz: & tam diu cum eis messuit donec hordea & triticum in horreis conderentur.

In iucunda hac Historia delineata, ac picta sunt admiranda exercitia iustorum, qui valdè perfecti esse contendunt: quorum fundamentum est exacta erga Deum, & erga eos, qui eius nomine gubernant, obedientia. In qua adeò eluxit feruens Ruth, vt de ea dixerit Christus D. S. Brigittæ in quadam reuelatione. Ruth *fuit in populo Dei clarior, quia voluntati propriæ non obediuit*; sed Dei ipsius eam vocãtis, & Noemi, quã in Magistrã acceperat: cui adeò se subiecit, vt dixerit: † Qvicqvid Præcepe-ris Faciam. sed ostendit ipso facto, se formicas apes q; laboriosas imitari. nam cũ in Bethlehẽ peruenisset, & messis hordeacea inciperet, magistrã suã præue-

Christus Ruth commendat. Lib. 6. Reuelat. c. 10.

† *Ruth. 3. 5.*

piso. 7i.

g. *Ruth. 2.7.*

præuenit dicens: g *si iubes, vadam in agrum & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium*. ostendit inquam hic instar *formicæ* desiderium laborandi in occupatione adeò vili ac laboriosa : ad quam sponte sua se obtulit, priusquam facere iuberetur. Nam fortè NOEMI ipsa non fuisset ausa id iubere. Sed & *apis* obedientiam ostendit, quæ noluit prius facere quod optabat, quàm eius Magistra id approbaret, & faciendi potestatem faceret. In quo præclaram quandam obediendi regulam expressit, quam tradit Sanctus Gregorius dicens : in prosperis & honorificis carnique iucundis rebus nihil de suo habere debet perfecta obedientia. non enim debet ad eas propendere, aut desiderare, & multò minus à superiore petere : sed expressum potiùs expectare mandatum. imò & quando illud adest, expedit, si fortè potest, demissè recusari. Quemadmodum Moyses & Ieremias, cùm DEVS illis gubernationis & prædicationis munus committeret, demissè deprecabantur. Quando autem peragenda sunt amara aut vilia pœnalia, & laboriosa : perfectus obediens aliquid de suo habere debet ; vt scilicet in ea propendeat, mortificandæ propriæ voluntatis, Christumque Dominum nostrum seriò imitandi causa. Quam propensionem ac desiderium cùm habet, non est expectandum Magistri mandatum, sed sponte sua cum debita resignatione sese ad ea obeunda offerre, dicens Prælato aut Confessario, quod RVTH dixit Noëmi, breuibus ac synceris verbis & cum resignatione : *si vis, vadam in agrum*, ad laborandum scilicet ; & si permittis, incumbam in hæc & illa opera pœnitentiæ, humiliationis, vt sunt ieiunia, flagella, & ministrare pauperibus in Xenodochijs, &c. Et hoc non est contra perfectionem obedientiæ : talis enim non tendit ad suam voluntatem exequendam, nec ad trahendam superioris : sed aperire tantùm vult viam, vt liberè ille iubeat, quod subdito magis expediet. Huius rei praxis proponetur fusiùs in proximo Tractatu, vbi ratio tradetur, qua se pœnitentes erga suos Confessarios gerere debeant. nunc pergamus ad reliqua diuinæ vocationis media, per quæ Perfecti reddamur.

Lib. 35. Moral. c. 13.

Grata recusanda. vilia amplectenda.

CAPVT X.

VARIOS PROSPEROS ET ADVERSOS EVENTVS medium esse diuinæ Vocationis: quibus iusti confirmantur, & perficiuntur fiunt q; omnibus illis superiores.

ADMIRANDVM est diuinæ prouidentiæ consilium in externis medijs adhibendis ad iustos confirmandos & perficiendos: quemadmodum diximus etiam superiùs, stupendum esse eiusdem consilium ad vocandos & conuertendos peccatores. Inter hæc tamen media valdè eminet varietas prosperorum, aduersorumq; euentuum, quibus eos deducit: nunc a *eleuando vsque ad cœlos, nunc deprimendo vsque ad abyssos*: varijs his euentibus (vt perpendit S. Chrysost.) vitam eorum contexens, vt aduersis profundius in humilitate & patientia radicentur; prosperis verò in sublimè proficiant Charitatis & confidentiæ: & hac ratione diuinum suum Ducem imitentur: (cuius vita ab ipsa natiuitate vsque ad mortem huiusmodi aduersis ac prosperis fuit contexta) & vti nouerint, tanquam alter S. Paulus, manu b *dextra ac sinistra*, proficiantq; per *infamiam & bonam famam*; per diuitias & paupertatem; sanitatem & infirmitatem: non se extollentes inaniter in prosperis, nec deficientes animo in aduersis; nec suam constantiam propter tantam varietatem imminuentes. In cuius signum Episcopus Confirmatos percutit in faciem, pacemque precatur: vt meminerint ipsorum pacem in multa patientia consistere, & in Sanctitatis firmitate: quamuis contrarijs omninò ventis oppugnentur. præparentes se dum flat vnus ad pugnandum cum altero, iuxtà regulam Ecclesiastici dicentis: c *in die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorũ ne immemor sis bonorum*, & d *memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum*. futura enim est ab his in illa mutatio: & virtutes, quas vno die comparaueris, vsui tibi erunt vt in alio sis firmus. Nec immeritò etiam *diem* appellat *malorum*: nam etsi exteriùs videatur nox obscura, interiùs tamen est dies clara: siquidem in aduersitate non amittitur lux diuinæ gratiæ, nec iustitiæ Sol occumbit. Et propterea idem Ecclesiastic. dixit: e *hominem sanctum in sapientia manere sicut solem*. quemadmodum enim Sol nunquam amittit lumen, quod in se habet, etsi varias interdum ecclypses patiatur, quæ eius radios, ne mundum illustrent, impediunt: ita vir iustus & perfectus, quamuis multas ecclypses ob tribulationes, huiusque vitæ aduersitates patiatur: semper tamen in spiritu suo retinet gratiæ splendorem, & substantialem feruorem Charitas.

Per aduersa & prospera eundum.

a *Psal. 106. 26. Homil. 7. in Matth.*

b *2. Cor. 6. 7*

Catechism. Rom. c. de Confirm. ad finem.

c *Eccl. 11. 27.*

d *c. 18. 25.*

Aduersa non tollunt lumen.

e *Eccl. 27. 12.*

§. 1. *Quatuor excellentiæ obtineri, rerum prosperarum, & aduersarum varietate.*

HAc rerum varietate *quatuor* præcipuè intendit DEVS D. N. per quæ tanquam per gradus quosdam ad Christianæ perfectionis fastigium conscenditur, gloriæq; corona excellenter acquiritur. *Primum* est, ne viri instiinordinato amore rebus prosperis adhæresçant, aut nimiũ aduersas timeant: sed spiritum suum supra omnes attollant, animo quodam erectiore & omnibus superiore.

S. Greg. lib. 10. Moral. c. 12.

Secundum est, vt amorem totum & timorem suum in solo Deo collocent; cum quo solo sint cõtenti, & in cuius sola voluntate gloriaq; conquiescant: dicentes cum Dauide: a *quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram.* Huc accedit *tertium*, quod Deus intendit; vt scilic. fidant iusti diuinæ prouidentiæ, quòd prospectura sit illis, siue in prosperis, siue in aduersis quod è re illorum magis erit. Ideoq; ipsi vtrumq; acceptent toto tempore quo Deo ita placebit, vt perfectiùs ei seruiãt. Ex his tribus *quartum* oritur, vt scil. eos in Sancto suo seruitio ita corroboret, vt tanquam immutabiles magna firmitate & gaudio vsq; ad mortem in diuino obsequio perseuerẽt. Quemadmodum S. ille vir Tobias, de quo eius historia refert, quòd varios hos rerum euentus expertus, immobilis in Dei timore permanserit, b *agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* æquè cum Rex c *Senagerib* illum persequerentur, atque cùm Rex *Salmanasser* illi faueret: & cùm sanus esset ac diues; atque cùm ad paupertatem redactus, infirmus esset ac cæcus. d *Iustum* enim (ait Sapiens) *non contristabit quicquid ei acciderit*, ita vt ipsum perturbet, aut benè proposita ipse mutet: potius e *quasi Leo confidens absque terrore est creaturarum*: quia cor eius magnanimum est, & omnibus creaturis ex virtute Dei superius: quemadmodum per suum Prophetam promisit dicens: f *tunc delectaberis in Domino, & sustollam te super altitudinem terræ.* Terra ait Sanctus Gregorius, valles habet, & montes; superiora & inferiora. Inferiora censentur paupertas, ignominia, morbus; & reliqua aduersa, quæ omnes homines fugiunt: Superiora sunt diuitiæ, honores, dignitates; & cætera prospera, quæ huius mundi homines appetunt at viri perfecti à Deo extolluntur supra valles & montes terræ: quia superiores eos facit aduersis & prosperis mundi. non enim negligunt illa, ad quæ tenentur, in valle pusillanimitatis; neque prosperis hærent arroganter, in monte vanitatis; sed æqualiter in vtroque se habent; & tanquam g *aquila eleuantur* à terra, *& in arduis ponunt nidum suum*, in ipso scilicet cœlo; & intra ipsum met DEVM, in quo totum suum gaudiũ & consolationem reponunt. Ac propterea magnum latet mysterium in eo, quòd Isaias duo illa coniunxerit: *delectari super Domino & sustolli super altitudi-*

a *Psal. 72. 25*

b *Tob. 2. 14.*
c *Tob. 1. 22 13.*

d *Prou. 12. 21.*
e *c. 28. 1.*

f *Esai. 58. 14*
Lib. 31. Moral. c. 19.

g *Iob. 39 27.*

nes

nesterra, vnum enim horum sine altero non inuenitur: non enim super omnes res mundi poteris eleuari, nisi totum solatium tuum in DEI possessione constituas; nec delectari poteris in solo DEO, nisi super omnes res mundi sustollaris. Ac proinde si nimio affectu in aliquam earum propendeas, illique adhæresces: non habebis in virtute constantiam. Nam, vt S. Gregorius ait, nemo potest res caducas & instabiles amare, & ipse immutatus permanere: rebus enim terrenis mutatis, necesse est & ipsum cum eis mutari. Si nimium fortunæ bona, honorem aut delicias ames, non es illis superior, sed inferior: ac proinde illis mutatis, & tu mutaberis. Contrà verò magnam firmitatem & immutabilitatem habebis, si te supra omnia creata, prospera & aduersa sustuleris; Deoque soli, qui nec mutatur, nec mutari potest te arctè cõiunxeris. Et tunc benè dicere licebit cum Apostolo: h *certus sum, quod neq; tribulatio, neque angustia neque angeli, neque principatus; neque virtutes, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ; neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo* IESV *D. N.* Nam virtus Dei facit me omnibus superiorem: qui suam omnipotentiam in eo ostendit, vt miro quodam modo contrarijs ventis rebus scilicet prosperis & aduersis faciat velociter currere ad portum saluationis, & perfectionis: eosdẽ proferens effectus per media, quæ in specie videntur contraria: fiduciam scil. per aduersitates; & humilitatem per prosperitates: in illis enim illuminat mentẽ. vt agnoscat se (vt dixit Oseas) deduci i *ad vallem Achor*, & tribulationis, *ad aperiendam spem*; ipsaq; experientiâ sentire prouidentiam diuinam in media sua amaritudine; & simul agnoscat, prosperitates nõ esse suas, sed gratuita dona Dei, cõformantis se ipsius imbecillitati, sine ipsius meritis; eò quòd nec humeros nec vires haberet, ad onus grauius portandũ. Et hoc modo ex omnibus capit vtilitatem. nam (vt ait S. Apost.) k *diligentib. Deum omnia cooperantur in bonum.* Et quamuis dexteram & sinistram manũ habeant, sunt tamen (vt notat Cassianus) ambidextri, quemadmodum ille dux Aod, l *qui vtraq; manu pro dextra vtebatur.* Nam ex prosperis & aduersis spirituale bonum pro anima sua hauriunt; & æquè laboribus crescunt, atq; solatijs; honoribus, atque ignominijs. Ipsis enim, quicquid DEVS vult, etsi carni aduersetur, est felicitas spiritus. tunc (ait S. Gregor.) sunt iusti tanquam illi Cherubini, quos Ezechiel vidit m *palmas habere ad latus dextrum & sinistrum*: eo q; prosperis & aduersis palmam & perfectã victoriã obtineant, vincẽtes impetus tentationũ & pusillanimitatũ, q̃ ex aduersis euẽtibus proueniũt; & impetus similiter vanitatũ, & ambitionũ, quę ex prosperis solent pullulare: dicentes cum Apostolo n *scio & humiliari, scio & abũdare; & satiari & esurire; & abũdare & penuriam pati, vbiq; & in omnib. institutus sum; omnia possum in eo qui me confortat.* cuius gratia & virtute paupertas & diuitiæ;

Lib. 2. Moral c. 3.

h *Rom 8. 38.*

i *Osee 2. 15.*

k *Rom 8. 28*

Collat. 6. c. 9 & 10.

l *Iudic. 3. 15*

Homil. 19. in Ezech.

m *Ezech. 41 19.*

n *Phil. 4. 12*

Serm.21.in Cant. Immutabilitas pars Aeternitatis.

fames & saturitas mihi sunt materia coronę. Quod ait S. Bernard. esse, quasi frui modo quodam stupendæ immutabilitatis, quæ est æternitatis participatio quædam, quæ obtinetur in ipsa gloria.

§. 2. *Confirmantur prædicta exemplo* NOEMI.

OMNIVM quæ dicta sunt possemus afferre præclarissima exempla ex ijs, quæ diuina Scriptura narrat de Iob, Ioseph, Dauide, Tobia, & multis alijs sanctis: qui per varios prædictos rerum euentus ad perfectionis culmen peruenerunt. Sed nunc conijciamus tantùm oculos in duas Matronas NOEMI & RVTH, quæ eisdem vijs fuerunt deductæ. NOEMI primùm magnam habuit prosperitatem in Bethlehem, sed postea tot aduersitates in Moab: vt cùm rediisset in Bethlehem, omnes mulieres

a *Ruth.1.20* ciuitatis cum admiratione magna dicerent: a *Hæc est illa* NOEMI? atque si dicerent: hæc est matrona illa dives, potens & pulchra, quæ adeò solenniter à nobis discessit? & quomodo adeò pauper redit, & misera; quod etsi plurimæ per modum laudis & commiserationis dicerent, referentes eius virtutes, eiusque vicem dolentes; aliquæ tamen idem fortè dixerint, per

4.Reg.9.37. dicebatur haccine est illa Iezabel? modum irrisionis & murmurationis: quasi notando eius superbiam & vanitatem, quòd tales calamitates DEVS reddiderit eius peccatis. nam etiam in ipsis aduersitatibus vult DEVS, iustos sentire ventos contrarios: vt scilicet alij illos consolentur, alij contristent; alij laudent, alij vituperent: vt si laude fortè euanescerent, vituperio humilientur; & si contemptus redderet timidiores, laus animum adderet atque spiritum: & hac ratione (vt S. Gregorius ait) sint in bono constantiores. Sed perfecti altiùs in aduersis volant, nec laudes admittentes, nec timentes opprobria: potiùs

b *Ruth.1.20* cum NOEMI dicunt: b *Ne vocetis me* NOEMI (*id est pulchram*) *sed vocate me* MARA (*id est amaram*) *quia amaritudine valdè replent me omnipotens. Egressa sum plena* (cum viro scilicet, cum filijs & facultatibus) *& vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi quam Dominus humiliauit, & afflixit omnipotens?* In quibus verbis pulcherrima quædam ratio delineatur, perfectionem in aduersitatibus consequendi.

Deus aduersa permittit. PRIMVM, vt tribuas eas sicut NOEMI fecit, Deo volenti te humiliare & omnipotenti, volenti affligere: cuius prouidentiâ res huiusmodi euenit, quod sufficere debet, vt eas libenter acceptes, credęs tibi esse vtiles. Sic enim

c *Lib.9.& 12* ipse DEVS eas ita disposuit, aut permisit: c *quis dicere potest, cur ita facis?* Potius

d *1. Reg.3. 18.* ergo dices cum Heli: d *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat*: Non inem erit etiam bonum in meis: quia ex eo magna mihi proueniunt commoda. Et, si omnipotens est, qui hæc disponit, quis eius decreto resistere poterit? quod si resistere non licet: præstat, me subijciendo

illud

illud amplecti. Nam; vt est omnipotens ad affligendum, quemcunque voluerit, nemine prohibente: ita est omnipotens ad me liberandum ex tali aduersitate, aut eam in meam vtilitatem conuertendam, nemine etiam illum impediente. Nulla aduersa nocere mihi, aut mutare me poterunt: si pro me habeo Omnipotentem: qui me fortem & in eis constantem efficere potest. Etsi enim absolutus sit Dominus, non tamen est Tyrannus; & quamuis sit Omnipotens, nō tamen est crudelis, sed benenolus Pater, qui suis creaturis benefaciēdo delectatur: nisi ipsæ sibi desint. Et æquali amore e *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & sublenat.* Et quamuis reuera multa huiusmodi aduersa eueniant à nostris inimicis, ex odio, & mala intentione: non propterea tribui non debent permissioni ipsius Omnipotentis Domini, qui potuisset quidem auertere; sed noluit, ob tuum commodum. si ea immiserit Dæmon, dices cū Iob: f *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*: Quòd si manifestus aliquis inimicus: dices quemadmodum Dauid, cùm illi malediceret Semei: g *Dominus præcepit ei, vt malediceret mihi*, quatenus eam maledictionem permisit ob commodum meum. Quod si à falso aliquo fratre inferentur, dices cùm Ioseph: h *non vestro consilio, sed Dei voluntate hoc factum est* in multorum commodum. Hac ratione seruabis semper patientiam, hauriesque ex aduersitate lucrum.

e 1. Reg. 2. 6.

f Iob 1. 21.

g 2. Reg. 16. 10.

h Gen. 45 8.

2. *Aduersa purgant & exercent.*

Ex hoc licebit ad aliam recognitionem transire, qua eadem aduersa tuis peccatis attribuas; & agnoscas, te illis indigere: tum, vt purificeris à vitijs, & à recidiua præseruetis: tum, vt virtutum excellentiam consequaris. Nam, si omnipotens cor tuum repleat amaritudine, non id facit, vt in ea sistat: sed vt à prauis humoribus, quibus infectum est, illud expurget, & ab inordinatis omnibus affectionibus purificet; impleat verò donis cœlestibus in maiori abundantia, quàm prius haberes. Superbia tua & arrogantia præsens, aut periculum in eam incidendi, causa est, ait S. Bernardus, cur Deus te affligat, & humiliet: auferens, quod te faciebat arrogantem; vt reddat postea securiùs, cùm altiores in humilitate radices ieceris: & tunc licebit tibi dicere cum Noemi: *egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* nam in prosperitate diuitem te existimabas, plenumque virtutibus: ne verò in ea cogitatione perires, euenit aduersitas, quæ tuum errorem detexit; effecitque, vt pauperem potiùs te agnosceres, & virtutibus vacuum, & sic ob hanc humilitatem redderet tibi Deus, quod amisisti per superbiam: tunc enim reuera es plenus, cùm te iudicas esse vacuum: sicut verè vacuus eras, quando arroganter existimabas te esse plenum.

Serm. 54. in Cantic. 54.

3.

Hinc est, quòd quemadmodum hæc Matrona in afflictionibus suis didicit, non gaudere, appellari se honorifico Noemi nomine, quo antea pas-

sim appellabatur: quia tali se honore indignam iudicabat: ac propterea petijt vocari se MARAM, eò quòd hoc potius nomen illi competeret, quæ in suis oculis non iam pulchra, sed verè amara esset: Ita Iustus ex varijs his euentibus discit, nolle titulos & cognomina honorum, aut dignitatum; nec laudari ab hominibus: quia his omnibus indignum se reputat: & quia tantam in his omnibus videt instabilitatem: & propterea cognominibus potius delectatur vilitatis, & contemptus: vt sic tutior existat. ideoque etiam adueniente prosperitate, eandem retinet animi demissionem: cùm enim non pulchrum, sed turpem se esse agnòscat: non vult ab hominibus nomen habere, quod se non mereri iudicat. Ideoque cum S. Ioanne Baptista *fatebitur se non esse Christum, neque Eliam, neque Prophetam, sed vocem* quandam, hoc est, quasi nihil. Quamuis tamen plurimũ NOEMI prohibeat, pulchrã se ab alijs appellari, sed amaram: verissima est sententia sponsæ dicentis: k *nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, nolite me considerare quod fusca sim, quia decoravit me sol.* Benè enim conueniunt, quod aliqua nigra sit, & formosa; amara, & pulchra; nigra, & amara: ob tristitiam & afflictionem, qua in corpore & in inferiori animæ parte afficitur; sed formosa & pulchra ob excellentiam virtutum, quæ in superiori spiritus parte resplendent. Ipse enim sol iustitiæ decolorat, vt aũgeat, magisque assecuret ipsam pulchritudinem.

Aduersa humiliant & præseuerant.

i *Ioan. 1. 20.*

k *Cant. 1. 5.*

Nigra, sed formosa.

4.

SED num semper NOEMI nigra erit, & semper amara? potiùs ad antiquã pulchritudinem & elegantiam reuertetur. Nam prouidentia diuina, quæ vidit, eam aduersitate profeciſſe; eam remouit, vt, prosperitate adueniente, etiam proficeret. Et quemadmodum Habacuc dixit: l *dum iratus fueris, misericordiæ recordabitur*: & in eadem aduersitate semen aliquod relinquit tanquam principiũ reparationis eius: &, si iubet (vt Daniel refert) m *succidi arborem magnam & pulcherrimam: simul tamen iubet, germen radicum eius in terra relinqui*: vt suo tempore reuiresçat, & ad pristinam redeat prosperitatem. Hunc ergo in modum licèt NOEMI ipsi maritum abstulerit, filiosque & fortunas: solitudinis tamen ipsius sociam reliquit RVTH, per quam pristinam ei restituit prosperitatem: rem ita dirigendo, vt Booz eam duceret, filiumque gigneret, qui senectutem NOEMI ipsi quietam afferret: quemadmodum eius vicinæ congratulantes ei dicebant: n *Benedictus Dominus, qui non est passus, vt deficeret successor familiæ tuæ: & haberos, qui consoletur animam tuã, & enueriat senectutem. de nuru enim tua, quæ te diligit, natus est filius, qui multo melior est tibi, quàm si septem haberes filios.* Discè itaque frater ex hoc exemplo, fidelis DEO esse in aduersis. nam, vt habetur apud Iob: o *si fiduciam habebis in eum: cum te consumptum putaris, orieris vt Lucifer, & quasi meridianus fulgor consurget tibi vespera*, sanctitate tua firmiter & omni tempore, claro & obscuro, elucente.

l *Hab. 3. 2.*

m *Dan. 4. 11*

In aduersitate manet semen prosperitatis.

n *Ruth. 4. 14*

Confide Deo

o *Iob. 11. 17.*

§. 3. *Idem confirmatur exemplo RVTH.*

NON est minus admiratione dignum exemplum ipsius RVTH, cuius vita ex varijs euentibus fuit contexta, in quibus excellentiam & firmitatem suarum virtutum ostendit. Nam, cùm diues fuisset in Patria sua Moab, & iuxta aliquorum Doctorum sententiam magni cuiusdam principis filia: omnia tamen deseruit, vt in Bethlehem DEO seruiret. Peruenit verò ad tantam paupertatem, vt sudore vultus sui cibum quæreret; spicas colligens, quæ ex messorum manibus decidebant. In qua exercitatione raram adeò modestiam, honestatem, & patientiam præ se tulit, vt omnes aspicientes in sui admirationem raperet. dedit etiam operam diligentem, vt legem DEI ad literam seruaret: eas tantùm a *spicas colligens*, quas ipsa lex *pauperibus & peregrinis iubebat* ab ipsis agrorum Dominis, pro talibus *dimittendas*. Sed quoniam multi adeò erant parci & crudeles, vt non paterentur, pauperes, ad eas colligendas venire, RVTH decreuit non ingredi, nisi pij alicuius Patris familias agrum, qui ipsam libenter admitteret, petita priùs facultate. In quo apparet, perfectam sanctitatem, in angustijs, & necessitatibus temporalibus, non solum Iustitiæ leges seruare, nec in remedio illarum quærendo, DEVM offendant, aut proximum lædant: sed etiam accuratè operam dare, ne fraternæ charitatis leges lædantur: & potiùs iuri suo cedere, quàm illo cum proximi displicentia vti, (quamuis ille, quod iniustus & crudelis sit, immeritò offenderetur) ad cõtentiones ac dissensiones euitandas, quæ multorum peccatorum seminarium esse solent. Cùm itaque omnes (teste S. Thoma) spiritualem proximi salutem proprij corporis saluti præferre debeant, magnæ perfectionis erit, abstinere à colligendis bonorum temporalium spicis, etiam cùm ad te iurè pertineant: si eas colligeres cum periculo amittendæ charitatis, quæ vita & salus est animarum. Cuius conseruationis gratia meritò debet corpus ipsum etiam nudum relinqui, iuxta Christi D. consilium dicentis: b *qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

PRÆTEREAMVS nunc insignem RVTH charitatem in largiendis eleemosynis ex ijs, quæ suo labore conquirebat, de qua dicetur postea: & ad virtutem eius tranſeamus, quæ vnicum est pauperum remedium, tristium solatium, & eorum constantia, qui varia fortunæ tela experiantur. Hæc autem est *fiducia* de paterna DEI N. prouidentia, in qua vâldè RVTH excelluit, exiens ad spicas colligendas; nec sciens, quò sibi esset eundum; nec vel panis bolum secum habens, quem ori apponeret: solùm desiderans, in eiusmodi agrum peruenire, qui ad aliquem patrem familias pertineret, erga se clementem & beneuolum. Sed clementissimus Dominus, qui c *voluntatem timentium se*, & in ipso sperantium, *facit*, eius

desi-

Nicol. Lyra Ruth illustris domi mendicat foris.

a *Leuit.* 13. 12. *Deu.* 22. 19.

Iustitia & & Charitas seruanda

2. 2. q. 26. a. 5.

b *Mat.* 5. 40

Fiducia in Deum.

c *Psal.14.4 9. Dei prouidentia.*

desiderium respiciens, eam ad eum direxit, quem poterat desiderare, agri scilicet Boox cuiusdum viri diuitis, potentis, ac pij: cui etiam inspirauit, vt tunc temporis oportunè messores suos visitaret. qui valdè humaniter tristem est consolatus; recens conuersam confirmauit; humilem honore affecit; ac derelictam protexit, dicens illi: d *nunciata sunt mihi omnia, quæ fecerís socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quẽ antea nesciebas: reddat tibi Dominus opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas.* Qui tamen Booz non satis sibi esse existimauit, quod illam his verbis esset consolatus; sed aliud solatium maius opere ipso adiecit, *iubens illam iungere se puellis suis, & manducare ac bibere ex iis, quæ illæ.* sed quid RVTH, cùm vidit, se adeò laudari, & humaniter inuitari? non propterea amisit animi sui demissionem, sed auxit eam potiùs, agnoscens suam indignitatem, & ad pedes ipsius Booz prostrata dixit: e *vnde hoc mihi, vt inuenirem gratiã ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinã mulierẽ?* ô sancta mulier: si nõ nosti, vnde ita repentè felix adeò tibi exitus eueniat: scito, prouenire à prouidentia patris tui cœlestis, cui sui pauperes curæ sunt: & ex eo quòd ipsius amore patriam tuam, domumque paternam deseruieris: ex eo item, quòd decreueris fideliter ipsi in tua paupertate seruire, tuamque fiduciam in Deo Israel collocaueris, f *sub cuius alas confugisti*, qui eas g *gallinæ* instar expandit, vt te reciperet; & instar h *aquilæ*, vt te extolleret, ac protegeret. Et quasnã putas esse alas, quibus Deus fouet & exaltat afflictos pauperes? ipsius alæ sunt *sapientia*, qua eorum miserias agnoscit; *misericordia* & *Omnipotentia*, qua vult & potest subsidio illis esse. Alæ etiam sunt DEI *Angeli*, & *homines*, quibus tanquam instrumentis vtitur, vt suis indigentibus subueniat. Alas fuit DEI *Angelus* ille, *qui Habacuc Prophetã in vertice eius apprehensum portauit capillo capitis sui, posuitq; in Babylone supra lacum leonum*, in quo Daniel detinebatur, similiter fuit ala DEI k *Raphael Angelus*, vt Tobię & Sarę mederetur, conuertendo eorum paupertatem, & ignominiam in magnam tranquillitatem. Peccatores quoque instar l *coruorum* nigri alæ erunt DEI, vt *carnem* portent pauperi, *mane & vesperi*: (sicut Eliæ *coruus portauit*) eamq; sibi detrahant ex ore, vt iustus esuriens illam comedat. Ala denique fuit DEI ipse Booz, ad subueniendum ipsius RVTH necessitati, ita velociter vt intra paucos dies, diuina prouidentia ita disponente, in coniugem duxerit, suarumque diuitiarum Dominam fecerit: quæ reliquum vitæ in magna prosperitate propterea transegit, quòd fuerit in aduersitate fidelis. Cuius exemplo excitaberis meritò, ad constanter DEO seruiendum; & confitendum, quòd suis alis te sit in aduersis protecturus, & in prosperis securè exaltaturus.

d *Ruth.2.11.*

e *C.2.10.*

f *Cap 2. 12.*
g *Mat.23.37*
h *Deut.32.11*
Ala Dei.

Dan.14.35.

k *Tob. 12.14*

l *3.Reg.17.6*

Deus subito honestat pauperem.

CAPVT

CAPVT XI.

DEI CHRISTI QVE PRAESENTIAM ac feruentium in messe virtutum exempla plurimùm adiuuare ad constanter in eisdem progrediendum.

VTILISSIMA alia media docet nos eadem RVTH historia, vt in gratia & sanctitate, quam hæc duo Baptismi & Confirmationis Sacramenta conferunt, confirmemur ac perficiamur. Baptismus enim ponit nos in statu *incipientium*, quē significant pauperes, qui spicas de manibus messorum cadentes, sicut RVTH colligunt. Confirmatio verò constituit nos in statu *proficientium*, & contendentiū, vt perfecti sint: quos significant ipsi messores, qui falce multas plantas simul metunt, quas (vt S. Gregorius expendit) in altera manu retinent. pro cuius explicatione est aduertendū: Christum D. N. cuius sunt spirituales messes veritatū, & virtutum, in quibus perfectio nostra consistit: habere in Ecclesia sua duo hæc operariorū genera, messes illas colligentium. Iusti, qui magis profecerunt, sunt tanquā messores, qui falce suæ cognitionis, & affectus ab Spiritus S. illustratione, & inspiratione adiuti metunt magnā messiū spiritualium abundantiam: quas sibi ipsis applicant; cordique suo imprimunt, vt eas opere ipso exequantur. Neque enim est aliud sacrorum ac piorum librorum *lectio*, quàm messis quædam veritatum ac virtutum, quæ in diuinitatis vel humanitatis Saluatoris nostri mysterijs proponuntur; sculpendo in ipsa anima ea, quæ in eis considerauit. & similiter obseruantia legis Euangelicæ, eiusque præceptorū, & consiliorum; & frequentia sanctorum Sacramentorum, est quasi alia spiritualis messis, in qua iusti sibi metunt, meritorum abundantiam, & virtutum augmentum; aliasque plurimas gratias, & cœlestia dona sibi colligunt: quæ in animæ suæ horreo reponunt, quibus alantur, & diteſcant. Sed quemadmodum messores non eunt ad metendum, nisi à messium Domino ad id vocentur: (quamuis pauperes ad ipsa lege, generalem habeant facultatem, ad a *spicas, quas illi dimittunt colligendas*) ita Iusti hanc adeò copiosam messem non aggrediuntur absque speciali Dei vocatione, eam inspirantis, & ad eam impellentis: Tyrones verò, & in virtute noui, profundæ suæ humilitati adhærentes, nec se dignos iudicantes, quos Deus tāquam messores vocet, sed tanquam pauperes ad imitationem RVTH, sequentes ordinariam suam vocationem, occupant se in colligendis spicis veritatū, & virtutum, paupertati & exiguitati suæ accommodatarum:

Lib 33. Moral. c. 4.

Lectio & executio sūt duæ messes.

a *Leu. 43. 22*

datarum: meditantes scilicet simpliciter peccata sua, pœnasque, quas sunt promeriti, & reliqua, quæ impellere ipsos possunt ad vitia sua & passiones mortificandas, donec DEVS D. N. ad perfectiora alia axercitia velit exaltare.

§. 1. *Christi D. N. qua Deus, & qua homo est, præsentia.*

Christus qua Deus & homo

a *Cant.5.1.*

VT messis hæc spiritualis exactior & feruentior sit, plurimum refert memoriæ nostræ præsentiã infigere aliquorũ sociorum, qui in ea nos adiuunet. *Primus* erit Christus u Deus & homo, qui venit in mundũ, vt messoris officio excellẽter fungeretur; suoq; exemplo Iustos adiuuaret: iuxtail, lud, quod ipsemet dicit in libro Canticorũ: a *veni in hortum meum, messui myrrham meam cũ aromatibus meis.* Nam à quo tempore incarnatus est in horto concluso virginis sacratissimæ, natusque in Bethlehemitico tugurio, donec in altero horto fuit captus & sepultus, nunquam destitit metere sibi copiosam myrrham amarissimarum mortificationum, & aromaticas clarissimarum virtutũ species: vt fideles, qui in eius Ecclesiæ horto habitant, animentur ad easdem virtutes copiosè metendas, eius vestigijs in omnibus insistentes: siquidem non soli ipsi metunt, sed Christus ipse in illis & cum illis, donis suis eos adiuuans. Ex quo fit, vr secundus huius messis socius esse debeat ipsemet Christus, qua Deus est: qui cum æterno suo Patre & Spiritu Sancto, vbique præsens est, secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam, aspiciẽs quomodo metamus, nosque adiuuans, vt id, sicut oportet, faciamus. & interdum speciale suum studium ostendit veniens ad hortum animarum, vt suis inspirationibus eas adiuuet, dicatque ad cor: b *ecce adsum.* & quoniã dicere DEI, est ipsum facere, non aliud est dicere, ecce adsum; quàm remouere ab eis velum ignorantiæ, obliuionis, & inaduertentiæ, quibus laborabant, vt præsentiæ diuinæ diligenter attendant. Sed quoniam huiusmodi impulsus non semper percipiuntur, plurimùm refert, aliquam personam signumve aliquod exterius habere, quo hæc memoria renouetur, vt frequenter simus memores, quod DEVS nos aspiciat.

Christus qua Deus

b *Isai.5.8.9.*

HORVM omnium illustrem quandam effigiem habemus in eo, quod messoribus Booz euenit, in feruore messis existentibus: c *ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitq; messoribus: Dominus vobiscum. qui responderunt ei: benedicat tibi Dominus.* Quis dubitet illos operarios nouum quendam spiritum recipisse visitatione illa, & præsentia sui Domini? sed cùm ipse vir Iustus esset, voluit eorum corda ad illustrioris & vtilioris præsentiæ memoriam excitare. ac propterea verbis illis in salutatione vsus est: *Dominus vobiscum.* quasi diceret, non solùm gaudeatis, quòd ego temporalis vester Domi-

c *Ruth.2.4.*

nus,

nus, sim præsens, qui exiguam escam paruamque mercedem, quæ breuissimè expenditur, vobis offeram, sed aduertite potiùs, præsentem esse Dominum, qui eminenter est dignus hoc nomine: eò quòd cœli terræque sit Dominus; assistitque hic tanquam Iudex, vt vestrum laborem remuneret, puniat verò negligentiam: quem si præsentem attenditis; & labor vester iucundior erit, & præmium maius.

Dei præsentia.

Sed paulò altius historiæ huius spiritum considerantibus Booz hic ciuis Bethlehemiticus, d *homo potens & magnarum opum*, refert (vt glossa hic notat) Iesvm Christvm D. N. summè potentem, & opum maximarum. nam e *omnia dedit ei Pater in manus*, f *dataq; est ei omnis potestas in cœlo & interra: fuitq; potens in opere & sermone: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* & inæstimabiles gratiæ eius diuitiæ: cui ipsum nomen Booz aptè competit. Significat enim, teste S. Hieronymo, *in quo est fortitudo.* Nam quà Devs, est fortitudo æterni Patris, per quem facit, & conseruat omnia; quà verò Devs & homo adeò forte robustumque brachium habuit; vt Dæmonem vinceret, infernum spoliaret, mundumque sibi subijceret. Ad hoc enim natus est in Bethlehem, ibique promulgatum est nomen, quod assumpsiti Emanvel videlicet, *quod est interpretatum nobiscum Deus.* Nam vt Zacharias prædixit: k *per viscera misericordiæ Dei N.* dignatus est *visitare nos ex alto: vt in sanctitate, & iustitia seruiamus illi* Coram Ipso, tanquam qui in eius præsentia, qua Deus est versatur, habetque eius exempla sibi præsentia, quæ idem, qua homo est, nobis dedit. Cum his duobus socijs incumbes feruenter in hanc virtutũ messem; alterum aspiciens tanquam exemplar, à quo discas; alterum tanquam auxiliatorem ad easdem exercendas. Esto memor duarum columnarum, quas l *statuit Salomon in porticu templi, alteram ad manum dexteram, quã vocauit nomine* Iachin, quod significat firmitatem; *alteram* ad sinistram, *quam vocauit* Booz. Quod vt diximus, significat fortitudinem: vt intelligas, omnem tuam perfectionem inniti debere, tanquam duabus firmis columnis, fiduciæ in omnipotentia & bonitate Dei; & meritis fortissimi tui Saluatoris Iesu Christi: à quo omnis fortitudo ventura tibi est, vt in bonis exercitijs perseueres.

d *Ruth.* 2.1.
e *Ioan.* 13.3.
f *Mat.* 28.18.
g *Luc.* 24.19.
h *Coloss.* 2.3.
de nom. Hebr. & Gloss. hic.
Christus Booz fortis.
i *Matt.* 1.23.
k *Luc.* 1.78.
l *Reg.* 37.21.
Christus exemplar, Deus auxiliator.

§. 2. *Feruentium societas.*

Præter societatem prædictam, iuuat etiã incipientes, feruentiũ societas, ad aggrediendas & exercendas virtutes. Cuius rei figura fuit, q̃ facer textus de Ruth refert, q̃ a *colligeret spicas post terga metentiũ* q̃ & approbauit Booz & eidem dixit: *audi filia, ne vadas in alterũ agrũ ad colligẽdũ, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis; & ubi messuerint, sequere;* vt intelligatur voluntatem Christi Domini nostri esse, vt noui & incipientes manent

a *Rut.* 2.37.

Seniorum exempla imitanda.

ant semper in eius Ecclesiæ agro: vt sequentes antiquorum & perfectorum vestigia, seque eis coniungentes, bonis eorum exemplis excitati & animati, virtutum spicas colligant. Quemadmodum Magnus Antonius initio suæ conuersionis, per monasteria discurrebat, monachorum virtutes diligenter attendens: & ab vno modestiam, ab alio humilitatem; ab hoc obedientiam, ab illo charitatẽ addiscẽs: sensim corũ omniũ virtutes collegit. Quod

Lib. 4. in. 1. Reg. in id c. 10. 3. cùm veneris ad quercum.

S. Greg. quatuor pulchris similitudinibus expressit. Iusti, inquit, debent esse tanquam *apes*, quæ ex diuersis floribus, ab his ad illos volitantes, ceram & mel colligunt. debent enim Iusti ex exemplis, quæ in diuersis sanctis elucent, virtutes addiscere. Et quemadmodum Iacob, cupiens suas oues concipere agnos maculosos, p *appposuit virgas decorticatas, quæ varios facerent colores, vt oues eas aspicerent* tempore conceptus; & ita agni prodirent virgis illis similes: ita Christus D. N. posuit in Ecclesia sua multitudinem sanctorum in omnibus statibus, varijs virtutibus exornatorum: vt eius electi in suis actionibus concipiant, & affectus parturiant, & opera ijs similia, quæ in talibus exemplis viderunt. Sed opus est, vt *propè*, exempla illa respiciant, & cum desiderio ea imitandi: Iustorum enim, (vt Ezechiel de mysticis, suis animalibus dixit) c *aspectus sunt, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Quæ licèt illustrent etiam eos, qui aliquanto sunt ab ipsis remoti; sed eos, qui ex amore ipsis adhærent etiam excalefaciunt, ac feruentiores reddunt. Propterea enim idem Propheta addidit: cùm animalia simul volarent, d *alas eorum percutere alteram ad alterum*: ad significandum, (quemadmodum idem S. declarat) quòd cùm feruentes simul conueniunt, non solùm propriarum virtutum alæ sese ita percutiant, vt aliæ alias prouocent, quemadmodum supra est dictum: sed etiam sociorum virtutes excitent, vt suas actiones feruentiùs exerceant. O quam vtilia vulnera ex huiusmodi percussionibus proueniunt! aliquando enim inferunt vulnera *timoris*, & doloris: videntes enim aliorum feruorem, de sua tepiditate erubescunt, incuriam suam deflent, sesèque demittunt: agnoscentes & fatentes quicquid faciunt, esse nihil, iuxta illud, quod quidam Iob amicus dixit: e *respiciet homines*, viros scilicet perfectos, qui esse hominis verè explent: & ex hoc aspectu erubescens *dicet: peccaui & verè deliqui*; &, *vt eram dignus, non recepi.* Qui enim se cum tepidis comparatum, feruentem existimabat: si cùm valdè feruentibus comparet, iudicat esse tepidum. Aliquando autem vulnera inferunt *amoris* & confidentiæ. Qui enim celerem aliorum volatum considerant, sancta quadam æmulatione accenduntur, vt simili velocitate volent: confidentes, se posse, quod alij possunt: Deumque auxilio & fauore suo ipsis quemadmodum socijs adfuturum.

Vulnera timoris.

Et amoris.

c *Ezec. 1. 13. hom. 5. ibid.*

d *Ezec. 3. 13. hom. 10. ibi. & lib. 24. Mor. c. 16.*

e *Iob 33. 27.*

HÆC

Hæc enim exempla tanquam voces sunt cœlestes, dicentes vnicuique, quod S. Augustino dixerunt, ostendendo ei adolescentum & virginum gregem castitatem seruantium: *non poteris tu, quod isti & istæ?* aut existimas quod hi, & hæ faciunt, id facere viribus proprijs, & non auxilio Dei sui? proijce itaque te in eius vlnas, noli timere: excipiet enim te ille, & adiuuabit. Aggredere itaque & incipe facere, quod hi faciunt: & obtinebis puritatem & sanctitatem, quam isti sunt consecuti. *Lib 8. Confess. c. 11.*

Ex ijsdem exemplis disces resistere tentationibus Dæmonis, mundi, & carnis, ac falsorum amicorum conantium te timidiorem ac trepidiorem in bene propositis reddere: respondebis illis, quod Vrias Dauidi dicenti f *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*; respondit: *arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei, super faciem terræ manent & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? ah si! à me, vt rem hanc faciam.* O si oculos aperires, & illustrissima exempla aspiceres trium personarum, quæ hic tibi proponuntur tantaque eas animi fortitudine sequereris, vt nulla tentatio te posset ab eisdem separare! aspice enim imprimis viuam Testamenti arcam, Christum Iesvm vigilantem, & pernoctantem in oratione, in montibus, ac desertis: qui postea in monte Caluario, tanquam virga innumeris doloribus ac tormentis excorticata, præluxit admirandis virtutibus vt te ad sui imitationem prouocaret: aspice deinde supremi tui Regis Duces & Capitaneos, Apostolos scilicet, Doctores, & Ecclesiæ Prælatos; exercitum deinde Martyrum, Confessorum, & Virginum; & Sanctorum multitudinem, qui præterierunt; eos item, qui nunc in religionibus, & varijs alijs statibus degunt: qui in tabernaculis, & papilionibus habitant, gerentes se tanquam peregrinos, & pugnantes tanquam strenui milites aduersus vitia, magnos tolerantes labores: heroicas exercentes virtutes, in quibus constantissimi perseuerarunt: resume tu itaque animum, vt eadem constantiâ ipsos imiteris, erubescens, quòd non viuas sicut illi, & resistens ac repellens à te quecunque conantem te ab ijs, quæ illi faciunt, reuocare. Et quemadmodum Vrias adeò fuit in suo proposito firmus, vt etiam in ipsa aula & palatio Regio id facere voluerit. quod eius socij faciebant in campo, vt eosdem absens sicut præsens imitaretur. Ita debes in virtutis actionibus, & bonorum imitatione adeò obstinatam constantiam ostendere: vt vbicunque fueris; bona eorum exempla sequaris, tanquam iam ea in tua viscera transmiseris, & quasi tibi naturalia reddideris. f *2. Reg 11. 10.* *Christus Arca* *Duces & exercitus Ecclesiæ.*

Vt autem ipsi maiores sanctum Zelum, quo minores adiuuent; hi verò illos imitantes perficiant, ab omni inuidia liberum habeant: audiant, quòd mysticè dixit Booz suis messoribus g *etiamsi* Rvth *vobiscum* g *Ruth. 2. 15*

Inuidia cauenda.

metere voluerit, ne prohibeatis eam: & de vestris quoque manipulis proiicite: de industria, vt absque rubore colligat. significat enim : si qua anima in ipsis statim initijs vero ac solido feruore accelerauerit , egoque desideria suggessero ad perfectorum exercitij ascendendi , nolite prætextu zeli prohibere opus , quod Spiritus diuinus in ea molitur. Nam qui h *operatur in eis velle*, sciet ac poterit *perficere* & i *qui cœpit in eis opus bonum , perficiet vsque in diem* CHRISTI IESV. Ne sitis sicut Iosue, cum iuuenis esset : qui audiens aliquos in castris prophetantes , inuidiæ quodam spiritu permotus k *petiit à Moyse vt eos prohiberet*; potiùs operam dare, vt ipsum Moysen imitemini, qui malum Iosue spiritum correxit, dicens: *quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det illis Dominus spiritum suum?* Proprium enim est perfectorum , vehementi zelo optare , Dei nomen ab omnibus sanctificari, & glorificari ; eumque eadem beneficia vilissimis terræ hominibus conferre , quæ ipsis confert , & multò adhuc maiora, si ipsi omnium largitori ita placebit. Imò vlterius adhuc zelus hic progredietur , vt proijciant de industria aliquas spicas , quas alij sine rubore colligant: afferendo scil. aptas aliquas sentẽtias, & exemplares aliquas actiones in præsentia debilium & imperfectorum faciendo : vt eos ad imitationem prouocent. Non enim nouum est, aut inusitatum, quod tyrones verecundia aliqua afficiantur, seseque contrahant in faciendis aliquibus studiosis operibus, quæ antea facere non solebant : timentes, ne ab alijs irrideantur, aut Hypocrytæ vocentur dicentibus, l *Num Saul inter Prophetas?* solent quoque tales pudore quodã affici, si pauperibus seruiant; aut humilia aliqua opera præstent, quæ huius mundi homines parui faciunt: aut contemnũt. Quamobrem solet DEVS D. N. Maioribus inspirare, vt similia opera interdum faciant : quò Minores pudore deposito , ad ea imitanda animentur. Et S. P. N. Ignatius in Constitutionibus commendauit, vt superior alijq; grauiores Patres obirent nonnunquam humilia domestica officia, ad exemplum & excitationẽ fratrum. Eum in modum, quo noster Saluator in nocte Cœnæ suorum Apostolorum pedes lauit: & lotione finita dixit illis: m *si ego Dominus & magister laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego vobis feci, ita & vos faciatis.* Ex quo apparet, quo spiritu Maiores & Minores præstare debeant quæ dicta sunt. præcipuum enim finem sibi constituere debent imitatinnem ipsius Christi Domini: quemadmodum expressit Sponsa , cum dixit: n *trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorũ*; quasi diceret: si hoc me beneficio affecẽris, vt trahas ad feruenter in tuo seruitio currendum , non ego sola curram; sed cum multis alijs, quos meo exemplo ad concurrendum prouocabo. Qui tamen in hoc stadio non post me current , sed post te : nam

h *Phil.* 2. 3. 1 c. 1. 6.

k *Num.* 11. 28.

Exempla iunioribus prabenda.

l 2. *Reg.* 19. 14

m *Ioan.* 13. 14.

n *Cant.* 1. 3.

Imitatio Christi D. finis noster

1. *Cor.* 11. 1.

eorum

eorum intentio nõ erit me: sed te imitari; quod si me imitabũtur, id facient eo modo, quo ego te imitor: sequentes meũ exemplum, eò quòd tuo fit cõforme. Nec current solùm propter odorẽ vnguentorum meorum; sed quod ipsimet suauissimum percipiant tuorũ, degustãtes interiùs donorũ tuorum suauitatẽ. Non debent iucipientes (ait Gerson, esse sicut catuli, qui videntes canes venaticos currere, sequentes venationis odorem, sequuntur & ipsi illos: sed quia non eundem percipiunt odorẽ, mox subsistunt. Non itaque debent Tyrones, Maiores & perfectos sequi propter id, quod illos vident exteriùs facere; sed propter internam eiusdem facti opinionẽ & æstimationẽ: persentientes ac degustantes in spiritu suo, Christi D. eiusque virtutum odorem: ne defatigentur; aut subsistant, priusquam illas assequantur.

Christus in maioribus imitandus.

CAPVT XII.

BONA EXERCITIA NON INANITER INterrumpenda, sed continuanda talemq; in eis consuetudinem esse contrahendam, vt perduret per totam vitam.

IMponamvs tandem huic Tractatui finem, adductis quibusdam alijs magni momenti medijs, quæ ipsius Rvth exemplum nobis proponit, vt crescere, firmiterque in ipsa perfectione durare possimus.

Primvm sit, studiosa ipsa exetcitia constantissimè continuare: nec sine causa leg itima vnquã ea interrumpere. quemadmodum facer ipse Textus de Ruth refert: a *de mane vsque nunc stat in agro*, suas colligens spicas, *& ne ad momentum quidem domum reuersa est*, vt vel paululùm requiesceret. Pro cuius explicatione est aduertendũ: duobus modis posse cõtingere, vt bona opera abrumpantur. Alter est vitiosus & inanis; alter studiosus & prudens. Primus filum abscindit bonæ vitæ, destruitq; charitatem; aut certè disponit ad eam extinguendã: Secundus aũt adiuuat, vt conseruetur; maiorique firmitate persistatur in ea. Vitiosa interruptio consistit generaliter in malè operando: aut culpabiliter à bonis desistendo. Peccata enim sunt quædam interruptio virtutum; & otiũ, quod vtilem bonæ vitæ laborem interrumpit. Quamobrem apud Deum omnes peccatores, etiã occupatissimi, appellantur otiosi, eò quòd tales occupationes ipsi animæ sint inutiles: quã b *animam* (inxtà mentem Dauidis) *in vano* censentur *accepisse*, quãdiu illã non occupant in seruitio creatoris; & in procurando fine, in quem fuit creata. Et in hoc sensu teneris cõtinuè laborare, die ac nocte absq; vlla vel ad momẽtum vnũ interruptione laboris: siquidem nec vnum temporis momentum est malè expendendum, admittendo scilicet peccatum aliquod siue com-

a *Ruth.* 2.7

Interruptio bonorum operum.

1.

Vitiosa per Peccatum quod Otium dicitur.

b *Psal.* 25. 4.

missio-

& per cessationem à bono.

missionis siue omissionis. Non debes prætèrea deuotionum, piarumque consuetudinum filum abscindere ob solam pigritiam, aut otiositatem: sic enim parùm in eis proficeres, iuxtà illud Salomonis: c *vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Nam pigri anima macra est, & infructuosa, breui enim aliquo tempore vult sua bona exercitia, placentque piæ deuotiones; sed mox eadem non vult, & intermittit, tædio quodam affectus. Anima autem continuè laborantium pinguescet: replebiturque cœlestibus donis, quæ continuatis laboribus comparatur. Stude itaque cum ea pertinacia in colligendis virtutum spicis occupari, quas ipsa RVTH: quæ nec ob corporis defatigationem, nec ob solis ardores, aut occupationis difficultatem, laborem suum interrupit: *ita vt nec ad momentum quidem* ad suum tugurium se receperit, vt paululum requiesceret: quia non existimauit, id tunc sibi esse necessarium. vt intelligas, culpabilem otiositatem; nec ad momentum quidem esse admittendam. Sæpè etiam breuis abruptio cõstantiam in bono opere labefactat: imò etiam ipsam perseuerantiam in bona vita. Hoc est enim, quod Christus Seruator noster dixit: d *qui mittit manum ad aratrum, & dum arat, respicit retro, non est aptus regno Dei.* illa enim in arando interruptio, superflua, curiosa, & vana, inditium est inconstantiæ: tandemque veniet in miserum aliquem lapsum. Et aliquando conuertes caput tuum vnius aspectus causâ, qui perficitur in momento; & quãdo vertere illud volueris in partem anteriorem, forte non scies id facere; e *& verteris sicut vxor Loth, in statuam* marmoris ob cordis duritiem; & *Salis,* ad aliorum cautelam. Quem non reddat cautum valdeque attentum Prophetæ illius infortunium, qui suam obedientiam feruenti adeò principio inchoauit, vt miracula ederet; dixit enim Regi ipsum inuitanti ad prandium: f *si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum nec comedã panem: sic enim mihi mandatum est in sermone Domini.* qui tamen eodem die iter suum prosequens, illud interrupit. vt parum requiesceret sub vmbra cuiusdam arboris, ea intentione vt paulò pòst illud prosequeretur. sed in ea occasione accessit ad ipsum *falsus* quidam *Propheta,* qui illum decepit, & persuasit, vt retrocederet, & mandatum Dei transgrederetur. propter quã causam, cùm inde abijsset, *leo in via occidit eum.* O cordis humani imbecillitatem & inconstantiam! quomodo non timeas horreasque tuum lapsum, videns Prophetam hunc mane adeò fortem & constantem; in meridie verò tam imbecillem! in primo congressu adeò robustum ac firmum; in secundo verò adeò prostratum atque abiectum! cuius causa, ea fortè fuit, quod iter suum extra tempus oportunum abruperit; sedendo scilicet, cùm ei fuisset progrediendum; & subsistendo, vt requiesceret: quod tunc non erat opus. Nam (vt Cassianus aduertit) acediæ spiritus, & studiosorum ex-

c *Prou.13.4.*

d *Luc.9.62. Breuis interruptio non parum nocet.*

e *Gen.19.26.*

f *3. Reg.13.8.*

Propheta quiescens lapsus est.

Lib.10.c.11

exercitio-

ercitiorum tædium in meridie magis premit, excitans vehementiorem appetitum comedendi, dormiendi, & quiescendi, & hac ratione viam aperit innumeris & grauissimis alijs. quemadmodum depictum apparet in infelici Isboseth euentu, g *qui dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. Ingressi autem duo* latronũ duces, *assumentes spicas tritici, percusserunt eum inguine & interfecerunt: sublatoq; capite eius, abierunt.* An non ad viuum hic depictum apparet detrimentum & incommodum, quod huiusmodi inanes & intempestiuæ relaxationes afferunt? aliquando enim virtutis opera abrumpis breui aliqua somnolentia, ex pigritia aut imbecillitate humana: quemadmodum ostiaria illa, quæ labore purgandi triticum defatigata, voluit aliquantum dormire: & tunc hostes ingressi auferunt spicas, fructum bonorum tuorum operum. Sed interdum illa interruptio vlteriùs progreditur; & quemadmodum ipse Isboseth posuit se in suo lecto meridie, adeò ex instituto, atq; si fuisset in media nocte: Ita tu laxatis habenis, quæris extra tempus, magnâ tuæ salutis incuriâ, quietem & solatia tua: & tunc repentè, nec te aduertente, ingrediuntur duo illi latronum duces, duo scil. vehementes deliciarum & vanitatum apperitus, ita Deo permittente, vt in inguine te percutiant, & in libidinis vitium pertrahant; caputq; amputent; & gratiæ vitâ, bonoq; prudentiæ iudicio te spolient: vt remaneas tanquam alter Isboseth, quod teste S. Gregorio, *confusionis filium* significat. satis enim magnum adfert pudorem, tam paruam bonorum, quæ DEVS largitus est rationem habuisse; tuaque propria incuria tantam iacturam fecisse.

Meridies tentationi exposita. g 2. Reg. 4.5

Interruptio quæ ex professo fit, noxia est.

Lib. 1. Moral. c. 18.

§. 1. *Bonæ relaxationes.*

NEc tamen propter ea, quæ diximus, ad alterum extremũ perueniendum est, nõ admittẽdi bonas exercitiorũ spiritualiũ interruptiones, quæ necessariæ sunt; expeditq; locum eis dare, vt diutiùs liceat in eis perdurare; & ne, indiscrete agendo abrumpere cogaris prudentem & sanctam eorũ, quę ex obligatione tibi incumbunt, continuationem: quæ durare diu non poterunt, nisi certis quibusdam horis abscindantur: dando locum necessarię corporis & spiritus quieti: quemadmodum faciebat S. Ioannes Euangelista dicens, quod sicut arcus, si semper sit tensus, mollescit & frãgitur: Ita noster animus, si eundem intensionis rigorem sine vlla relaxatione retineat, virtuti spiritus, cùm necessitas poscit, obsecundare non poterit. Et Christus D. N. dixit S. Brigittæ in simili casu, quòd si manus semper esset clausa & compressa, nerui contraherentur, & manus debilitaretur. Ideoq; necesse est, *arcum* aliquo breui tempore relaxari, & *manus* pugnum aperiri, & spiritus rigorẽ cessare: ne præ tædio, aut imbecillis carnis debilitatione frangatur. Quamobrem S. Ambrosius solebat dicere: quod velis prolixè fa-

Cassiã. Colla. 24 c. 20 & 21. Refert Blosius in Monili spiritu. c. 10.

2.2.q.168. a.2.

cere, aliquando ne feceris. hac enim interruptione (quam S. Thomas dicit esse corpori & spiritui necessariam) vtrumq; vires recuperare, ad progrediendum sine tædio.

Tædium tinea virtutis

BONA hæc & vtilis bonorum operum relaxatio dupliciter fieri potest: *Primum* variatis ac mutatis ijsdem bonis operibus, iuxta eiusdem S. Ambrosij dictū. vt mutatio, inquit laboris, sint induciæ quietis: quia noua occupatio & labor hac laudabili vicissitudine, aufert prioris tædiū: quod est *tinea virtutis*. Ita faciendū esse docuit Angelus Magnum Antonium, cōstituens se coram eo aliquo spatio tēporis orando, & alio sportas texēdo. sic enim ait acediā vinces, & in feruore spiritus sine tædio perseuerabis. *Deinde* ordinarie versus meridiem, quando & studiosus officij & reliquorum spiritualium exercitiorum labor præcessit, necesse est illū interrumpere, accipiēndo refectionem & quietem, ad eundem iterum resumendū necessariam. quēadmodū ipsa RVTH faciebat. cui in colligendis spicis defatigatæ. dixit BOOZ: a *quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellā tuā in aceto.* Cum itaq; voluntas D. N. fuerit, vt leuamen hoc & requiem corpori nostro demus: certum erit ipsammet relaxationē simul esse ipsius virtutis cōtinuationem: modò fiat sicut oportet. Sunt aūt duæ virtutes ad nos in ea re dirigendos destinatæ: prior est *temperantia*: quæ docet, studiosè comedere ad quod etiā iuuerit, *intingere*, iuxta BOOZ consilium buccellam in aceto: miscendo scil. in ipsa refectione memoriam fellis, & aceti nostri seruatoris: cuius amaritudines nostros excessus temperabunt. posterior virtus est, quam *Eutrapeliam* vocant: cuius munus est, teste S. Thoma, moderatè accipere corporis recreationē, quæ necessaria est ad non deficiendum in operibus virtutis: attendendo, ne eodē medio, quo vtimur ad perseuerandum in virtute, eius filū abscindamus. Quod insinuauit S. Ambros. dicens: curandum est, cùm relaxare animum volumus, ne soluamus omnem harmoniam, & quasi concentum bonorū operum. debent enim hæc opera instar esse musicæ multarum vocum benè concordium. Qui concentus, vt sit constans, multum referet, si omnes diei occupationes eo ordine distribuātur, vt præcipuis, hora conueniens assignetur: qua adueniente, statim designatū opus inchoetur. quemadmodum Booz messores constitutam habebant horā ad messem veniendi, & ad sumendum cibum, & quietem in meridie: & ad cessandum ab opere circa vesperum. qui cōstitutis horis diligenter laborabant: quibus præerat vnus præfectus, attendens, vt omnia ordine & constituto tempore fierent. quibus & ipsa RVTH sese accōmodabat, laborans; quando illi laborabant; & quiescens, quando quiescebāt. Hunc ergò in modum constituenda tibi est hora è lecto surgendi; sacrum Missæ audiendi, deuotiones tuas peragendi, orandi, meditandi, & conscientiæ exa-

a *Ruth.2.14*

Temperantia.

Eutrapelia. 2.q.168. a.2.

lib.1 offic. c.20.

Concentus bonorum operum.

men

men instituendi: horæ quoq; in officio tuo, in somno, in cibo sumendo, & requie corporis insumendæ, assignans, vt ait S. Bernard. partem tẽporis rebus spiritualibus, & partẽ corporalibus: ita vt corpus spiritui reddat, q; illi debet; & vicissim spiritus reddat, quod debet corpori: & vtrumq; Deo & proximo, quod illis debet. Et ne quid horum designato tempore desit, expedit præfectum aliquem vigilantem, solicitum, valdéque Zelosum habere, hic autem erit ipsa mat *conscientia* tua, adhibita virtute *prudentiæ*, tuæque virtutis *zelo*. Tibi enim super te ipsum vigilandum est; & attendendum, qua ratione expleas quod debes: exigendaque singulis horis ratio, quomodo præstiteris, quæ in illa præstanda erant.

Ad fratres de monte Dei. Distributio temporis.

§. 2. *Laudabilem consuetudinem in bonis exercitiis esse faciendam.*

CONTINVATIO prædicta in bonis exercitijs, causa est faciendi in ijsdem bonã consuetudinẽ: quæ, quoniã in progressu conuertitur in naturã; efficit suauẽ & facilem vsq; ad finẽ vitæ perseuerantiã. quemamodum sacer Textus refert de nostra RVTH: q; cùm comedisset cõstituta hora, non somno aut otiosæ confabulationi se dederit; sed mox a *surrexerit, vt spicas ex more colligeret*. vt intelligam⁹, finẽ refectionis ac relaxatiõis, quibus bona exercitia remittuntur, eum esse debere, vt illa cũ pristino feruore resumantur: siue vt cõsuetudo bona cõtineatur, siue vt obtineatur. Sed, ne aliqs loc⁹ hic errori detur, obseruãdum est non idẽ esse consuetudinẽ acquirere in bonis operib⁹, & eadem ex consuetudiue sola præstare. Primum. n. horum est laudandũ; secundum, vituperandum. Id quod intelligetur ex triplici modo bonam consuetudinẽ habendi. *Primus* est naturalis, eò quòd ab ipsa natura homo habeat propensionem ad misericordiã, mansuetudinem, temperantiã aut alias virtutes: quemadmodum etiã alij à natura ipsa, ob suam complexionẽ propendẽt ad materias aliquorum vitiorũ. *Secundus* est politicus, ex bona educatione ab ipsa infantia proueniens: qui multum confert ad perseuerandum in virtutis actionibus quod enim in ea ætate addiscitur, diuturnioris est durationis: sicut supra est dictum. *Tertius* est modus studiosæ ac spiritualis consuetudinis, quæ innititur opinioni, & æstimationi ipsiusmet virtutis: & obtinetur exercitatione actuũ perfectè studiosorum. Duæ priores consuetudines ex se quidem sunt bonæ; bonumq; tertiæ fundamentum: sed qui in illis solis sisteret, non haberet perfectam virtutẽ. Natura. n. benè propensa, est instar corporis Adami antequam DEVS in faciem eius b *inspiraret spiraculum vitæ*: quod quidẽ pulchrum, aptumq; erat ad recipiendum spiritum: quem tamen nisi recepisset, nec fuisset homo, nec hominis opera facere potuisset. Ita bona hæc natura aptissima est ad virtutis spiritum recipiendum; quod si secundum suam tantùm propensionem operetur, nõ illã animans cognitione & æstimatione virturis, nunquam viuam & perfectam virtutem sibi comparabit. His & illi sunt similes, qui postquam studiosam

Triplex consuetudo.

a *Ruth. 2. 15. 1.*

b *Genes 2. 7.*

consuetudinem obtinuerunt, sensim intepescunt, & ab antiqua consuetudine ducti operantur sine spiritu; nec attendentes quid faciãt; præcipuè si commoditatem aliquam, honorem, aut lucrum habeant ex suis operibus. quemadmodum Oseas Propheta dixit de c *Ephraim*, quod esset *vitula docta diligere trituram*, quæ etsi libera relinquatur, vt quiescat; consuetudine tamen ducta, ad tribulum redit & ipsa tritura oblectatur; vt comedat, sed nõ ita sponte & lubẽs ad aratrum, atq; ad tribulum accederet: quia, dum arat, non comedit, sicut dum triturat. Ita inquam, qui ex antiqua consuetudine insistunt operibus virtutis, non cum spiritu, sed ob aliquod particulare cõmodum: vbi illud deficit, aut cessat; facilè opera illa dimittunt. Ita ergò oportet te consuetudinem facere in bonis operibus, vt eo spiritu & feruore quotidie ea facias, quo cœpisti, d *cantans Domino* (vt ait Dauid, *canticum nouum*. Nouum inquam in feruore, etsi tempore sit antiquum. Quemadmodum beati semper diligunt & obediunt Deo tanta animi voluptate post mille annos, atque primo die, quo ingressi sunt in cœlestem gloriam. Et quemadmodum qui fortis sunt, & sanæ corporis constitutionis, etsi cõsuetudinem habeant quotidie comedendi, & bibẽdi: semper tamen cum gustu & delectatione comedunt, ac bibunt: quia fame & siti laborant: Ita, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quotidie eam cum nouo gustu & oblectatione exercent: coniungentes *feruorem Tyronum* ob nouitatem, cum *Perfectorum consuetudine* ob antiquitatem.

c *Osee.* 10. 11.

Sit feruens consuetudo.

d *Psal.* 32. 3.

2.

Act⁹ intẽsus æquipollet multis.

SED ne silentio prætereamus mysterium latens in verbo illo sacri Textus, quò dicitur surrexisse Ruth, postquam comedisset, vt spicas ex MORE colligeret: cùm tamen non nisi illo mane officium illud ad horãm vsque prandij exercuisset. An solus vnus actus sufficit generare habitum? & solius vnius diei labore acquiritur consuetudo? sed cùm nullum Scripturæ sacræ verbum casu aliquo, sed magno spiritu exprimatur: qui in hoc verbo cõtinetur, est, docere & manifestare feruentiũ in diuino seruitio felicitatem: qui vel vno die plus proficiunt, & lucrantur, quàm trepidi in vno anno Verum quidem est, habitus cõmuniter non, nisi multiplicatis actibus, generari; sed & illud est certum: vnum actum intensum præstare mille remissis; & consuetudinẽ, quam tepidus ob remissionem suorũ actuũ in multis diebus non consequitur; fructem cõsequi vno die, ob actuũ suorum intensionem. Et, si legamus attentè vitas & gesta Sanctorum, inueniemus, vel vnũ solum actum valde feruentem multos eorum ex magna miseria eduxisse; & illustribus ac excellẽtibus facinoribus initium dedisse. *S. Martinus* incepit diuidendo pallium, quo tegebatur, vt pauperis cuiusdam nuditatem tegeret; *S. Nicolaus* grandi quadam eleemosyna oblata, qua tres Virgines, quæ de Castitate periclitabantur, in Matrimonio collocarentur; S. *Benedictus* proijciendo se nudum, & vertendo inter spinas, vt libidinis tentationes

Sanctorum act⁹ heroici.

vinceret; S. Franciscus leprosi cuiusdam vicera exosculando; S. *Thomas* Aquinas vno heroico castitatis actu obtinuit, vt in ea virtute confirmaretur. Hi & multi alij Sancti heroico opere vincentes carnis suæ repugnantias, cõsecuti sunt consuetudinem, se ipsos in multis alijs rebus superandi: remunerante Deo actum illum copiosa gratia sua, quæ virtutum vsum & exercitationem ita facilem reddebat, atq; si longã in eis exercendis consuetudinem haberent. Et ipsa experientia docet: quando aliquis vehementi & efficaci vocatione à Deo vocatur ad vitæ suæ prauæ mutationem, aut ad Religionis ingressum: eum primis diebus facillimè præstare quæcumq; pia exercitia, ob gratiæ, qua fuit præuentus, abundantiam: Quod si in eijsdem cum eodẽ feruore pergat, comparat sibi consuetudinem, cum qua suauiter perseueret.

3.

Sed quoniam in hoc etiam genere excessus aliquis esse potest, perpendenda est ipsius Ruth modestia, & circumspectio: quæ, etsi: e Booz, *præcepisset pueris suis: etiam si illa cum ipsis metere vellet, ne eam prohiberet.* illa tamẽ noluit eo die tali gratia & fauore vti, donec ipsa Noemi id, vt faceret, iuberet: sed spicas, sicut antea colligebat. vt ex hoc discas, qua humilitate deceat te continuare, & consuetudinem facere in exercitijs tuo Tyronis statui accõmodatis: non te altioribus ingerendo, dum ipse Dominus, qui te vocauit, ad illa non vocat; nec spirituales Patres id suadent. Non enim tutum esse ait S. Bernardus, ab vno extremo ad alterum repentè trãsilire. Nam voleriti repentè ad supremum fastigium conscendere eueniet, vt neq; ad illud perueniat; & locum interim amitat, quem tenebat: & ita vtroque fraudetur. Nec minus necessarium est, ad constantiam & firmitatem in virtute tenendam, nimis præproperum gressum frænare; quàm nimis tardum extimulare. qui enim medium prudenter tenet, citius ac securius ad sui itineris terminum peruenit.

Summa tyronibus cauenda.

Serm. 3. in Cant.

Festina lente.

§. 3 *Lustranda & examinanda esse opera nostra ad finem diei.*

Imponamvs tandem finem, proposito vltimo medio, quod nos Ruth feruens edocuit, de qua Textus facer habet: quod a *spicas collegerit in agro vsq; ad vesperam: & qua collegerat, virga cadens & excutiens inuenerit hordeitres modios: quos portans, reuersa est in domum suam.* Quid autẽ aliud hoc sibi vult, quãte monere cõstantiæ in bonis tuis exercitijs, vsq; ad finem diei, totius sc. vitæ, tenendæ. instituendo semper vesperi de eis examen: certò tibi periudens, quantumuis solicitus ac diligens sis in bonis actionibus, te nõ semper collecturum ita purum semen, nec ipsa opera facturum adeò ab omni puluere expurgata, vt opus non sit, ad vesperum eadem iterùm excutere, ac diligentius lustrare. *Primum.* an ipsa opera vacua fuerint, & inania: ita vt speciem tantum virtutis habuerint? an plena fuerint veris granis, & solida sanctitate? Ne fortè tempore rationis reddendæ eueniat tibi, quod infelicibus

a *Rut. 2. 17*

illis Ephrateis cupientibus transire Iordanem : qui cùm interrogarentur à Galaditis nunquid Ephratei essent;& negantes se esse, interrogabantur probationis causa, vt proferrent verbum b *Scibboleth*, quod interpretatur spica granis plena: qui, cùm nõ possent respondere, nisi *Sibboleth*, quod spicã solã siue culmum vacuum & inanem significat, hoc signo agnoscebantur esse ex hostis exercitu, ideoque *statim apprehensi iugulabantur in ipso Iordanis transitu*. vt intelligas, te in ipso transitu ex hac in alteram vitam seuere examinandũ: quod si opera tua inania erunt, & vera virtute vacua; tanquam hostis Christi punieris, eò quòd c *non inuenerit opera tua plena coram Deo*, Cùm quibus transitus patet sine impedimento ad cœlum.

2. *Iud. 12. 6. Glossa ibid. opera nostra sint plena.*

b *Scibboleth* spica granis plena.

c *Apoc. 3. 2.*

2.

Palea defectuum exurenda.

SED quoniam spicæ ordinariè etsi plenæ sint granis, aliquid habent de palea admixtum, quod nõ est nisi igni aptum; & cùm bonis operibus aliquæ circumstantiæ ac defectus cõiungũtur: necesse est preciosam à vili, & quod bonum est à malo separare: cædendo & excutiendo te ipsum; & ob illud malum, pœnã aliquam malo ipsi proportionatã subeundo: paleã verò ipsam per pœnitentiã reijciendo, ignique amabilis contritionis eã comburendo: vt in anima tua, grana ipsa tantùm bonorũ operum remaneant: gratias Deo agẽs, quod auxiliũ dederit ad ea colligenda. Par verò esset, te adeò esse feruentem, vt ex bonis exercitijs benè purificatis, quotidiè colligeres sicut RVTH trium modiorum mensurã, quos ait hic glossa, esse sanctitatis *meditationem*, locutionis *veritatem*, & *synceritatem* bonæ operationis factæ simpliciter propter Deum. ita vt inuenias, te expendisse totũ diẽ in sanctis meditationibus, vtilibus colloquijs, purisq; cũ bona intentione operibus. Quod ipsum Materia erit tuæ examinationis, qua videas an tres istos modios benè repleueris.

Tres modi bonorum operum.

3. *Bona opera Christo credenda.*

QVOD si tanto beneficio te Deus affecerit, vt hos modios repleueris: supereſt, vt humeris tuis illos imponens, portes sicut RVTH in domum tuam, & in loco tuto, conscientia sc. tua, occultè colloces: ne inanis gloriæ vermis eos rodat, aut inferni latrones deprædentur, & astu fraudeque corrumpãt. Sed quoniam tuæ conscientiæ custodia debilissima est, expedit omnia hæc opera in communi eorũ repositorio recondere, Christo sc. D.N. de quo dixit Apostolus: d *scio cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum seruare in meum vltimum Iudicii diem*. Committe itaq; omnia tua bona opera paternæ Saluatoris tui prouidentiæ, vt hoc depositũ ille custodiat: e *quæ retro sunt* (vt idem Apostolus ait) & præterita *obliuiscere*, *ad ea vero*, *quæ sunt antè*, ipsum *extendens*; stude in virtutibus proficere, donec *ad brauium perueniasſupernæ vocationis*, portum scilicet æternæ gloriæ, fvbi *mensuram bonã & confertam & coagitatam & supereffluentem accipies*, cum tribus gloriæ dotibus in æternum, Amen.

d 2. *Tim.* 1. 12.

e *Phil.* 3. 13.

f *Luc.* 6. 38.

f *Luc.* 6. 38.

Secundi Tractatus finis.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ,

EIVSQVE PARTIBVS: AC DE PERFECTA VITÆ REFORMATIONE, *ad quam illud dirigitur.*

CAPVT I.

EXCELLENTIÆ ET VTILITATES S. SACRAMENTI POENITENTIÆ.

SIcut Baptismi & Confirmationis Sacramenta ita nos in DEI gratia confirmarent, vt ab ea excidere non possemus, non fuisset (vt ait S. Concilium Tridentinum) opus alio Sacramento ad eam reparandam: Sed experientia ipsa docet, raros esse a *Iustos*, qui in acceptaSanctitate tanquam *Sol* immutabiles permaneant: plurimos verò tanquam *Luna mutabiles*, amittentes pulchritudinem & splendorē gratiæ, quā *Sol* Iustitiæ illis communicat. Quemadmodum enim corpus mille morbis est obnoxiū, & aliquibus quidē ita lethalibus, vt reuera priuetur vita: Ita anima est vitijs & passionibus obnoxia: & incidens in lethale aliquod peccatum, amittit vitā gratiæ, cuius peccati adeò est horrēda & infernalis furia, vt b *impetu vno octingentos interficiat*: Charitatē scilicet, exercitumque virtutū Moralium, & Infusarum, & septē Spiritus S. dona destruens: imò & ipsum Spiritum S. ex anima, in qua manebat, expellat: in cuius locum succedit Sathanas, vt antiquam suam habitationem possideat. & quò in posterum securior in ea permaneat, solet c *secum adducere septem alios spiritus nequiores se*, qui suis tentationibus miseram animam in alia plurima peccata lethalia præcipitant: nec solùm infelicem illam gratiæ vita spoliant, sed defœdant, ac d *super carbones denigrant*, quemadmodum lamentatur Ieremias de Nazareis loquens, qui Iustos significabant, DEO per Baptismum consecratos: ex quo *candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, & Saphyro pulchriores prodeunt*. quorum postea facies per peccata turpiores apparuerunt, & carbonibus nigriores. peccata

Sess 14. c. 1.

a *Eccl. 27. 12*

Peccati dāna.

b *2. Re. 21. 8.*

c *Mat. 12. 45*

d *Thrē. 4. 7.*

enim

enim destruunt *niuis* candorem, animæ scilicet sanctitatem; *lactis* dulcedinem, quæ suauitas & iucunditas est bonæ conscientiæ, *eboris* splendorem, hoc est feruorem charitatis; & *Saphyri* pulchritudinem, quæ est vita cœlestis cum ornamentis virtutum. Apte verò eos comparat carbonibus, qui priùs ignis prunæ valdè splendentes fuerunt: quæ tamen aqua, tetraveextinctæ, factæ sunt carbones nigri: peccatum enim ignem amoris Dei suffocat; eosq; qui tanquã prunæ ardentes erant, ita frigidos reddit, turpes, ac ustionum instar nigros: vt nulli alteri vsui esse possint, nisi vt æternorũ igniũ fomentum sint & alimentum. ac proinde cœli ianuas occludit, quę fuerant per Baptismum reseratæ, e *in eam* enim *ciuitatem* (vt S. Ioannes ait) *non intrabit aliquod coinquinatũ; aut abominationẽ faciens & mendaciũ*: sed quotquot eò peruenient, necesse est, esse instar *niuis* candidos; sicut *lac* nitidos, vt *ebur* rubicundos, & pulchros vt *Saphyrus*. Quis verò tot malis remedium afferre potest? quis hos mortuos suscitare? quis candorem illum, nitorem, splendorem, & pulchritudinẽ reparare? num tantæ vires esse in terra possunt, vt id præstent? f *si laueris te nitro* (ait Dominus) *& multiplicaueris tibi herbã borith: maculata es iniquitate tua coram Deo*, nisi de aliquo balneo siue lauacro Deus ipse tibi prospiciat, quod te lauandi virtutem habeat. At quoniã Baptismus iterari nõ potest: Nam (vt Apostolis ait) g *impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus* cadẽ via *renouari*) statuit Christus D. N. POENITENTIÆ Sacramentũ in forma Iudicij in quo peccator ipse comparet, suaq; contritione & Confessione ad peccatum suum delendum cum Iudice ipso, qui Sacerdos est, concurrit: Sacerdos verò sententia lata, eum absoluit: quam Deus ipse in cælo ratam habet, iuxta ipsius Christi verba: h *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: & illa: i *quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo*. Quæ sacerdotis sententia adeò firma est, & irreuocabilis: vt nunquam DEVS æterna pœna in altera vita puniat peccata, quæ semel fuerunt in hac vita dimissa. Estque tantæ efficacitatis hoc Sacramentum; vt (teste. S. Gelasio Papa) numquam ampliùs peccatum aliquod viuat, quod fuerit semel dimissum. Quamuis enim ingratus valdè ac infidelis sit is, qui, postquam DEVS illi peccata dimisit, audet eundem iterùm offendere, ac propterea maiori sit pœna dignus, eò quòd peccatum ipsum sit maius: at hoc ipsum non efficit, vt præterita reuiuiscant: sed æternùm illa extincta manent. k *Dona* enim *Dei* (vt ait Apost. *sine pœnitentia sunt*: ideoq; nunquam reuocat, quam semel concessit remissionem. ac propterea ait Propheta, quòd l *proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Quemadmodum enim lapis decidens in profundum maris non ampliùs exit, nec comparet: ita peccata, quæ DEVS proijcit in mare pœnitentiæ, æternùm manent submersa, & obliuioni tradita. Et quemadmodum Moyses po-

Peccatores carbonibus similes.

e *Apoc.* 21. 27.

f *Iere.* 2. 22.

I.

g *Heb.* 16. 4.

Pœnitentia reparatur vita gratiæ.

h *Ioa.* 20. 23.

i *Mat.* 18 18

Peccata remissa nunquam redeunt.

k *Rõ.* 11. 29.

l *Mich* 7. 19.

pulo

pulo Israel dixit: m *Aegyptios, quos nunc videtis, nunquam vltra videbitis* Vsque In Semiternvm: quia omnes submergentur in mari rubro, vt nunquam eos ampliùs viuētes videatis: Ita etiam peccata, quæ huius Sancti Sacramēti mare rubrum ingrediuntur, ita virtute sanguinis Iesu Christi submerguntur, & sepliuntur, vt nunquam possint eadem redire.

m *Exod.* 14. 13.

Sed non minùs eminet misericordia diuina, cùm dicitur: n *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: etiamsi illæ sint innumeræ: quia omnes simul in profundum maris proijciam, nulla earum lethali in anima relicta; quia nunquam Devs remittit vnam talem sine altera. Et quemadmodum omnes Aegyptij submersi fuerunt, & perierunt, ita vt o *nec vnus quidem superfuerit ex eis*: ita omnia peccata mortalia submergūtur in hoc pœnitentiæ Sacramento, vt nec vnicum supersit: Nam gratia diuina, quæ animam per pœnitentiam ingreditur, omnem culpā ab ea expellit quæ Deo inimicam reddere possit. Et quælibet contritio quantumuis parua, modò ex amore oriatur, omnia peccata delet: quia omnia detestatur, etiamsi eorum non recordetur. Et in ipsa Confessione non solùm ea remittuntur, quæ pœnitens confitetur; sed omnia etiam, quæ vel ex ignorantia, vel ex obliuione, vel ex aliqua causa non culpabili omittuntur. Nam Deus, est Iudex iustus, eiusque iudicium est plenū. Esset verò (ait S. Augustinus) quoddam genus infidelitatis, expectare ab eo iudicium aliquod aut remissionem dimidiatam. Quare simul totum remittit, quo peccator reddebatur iniuiustus, vt eius amicus esse possit.

2.

n *Ezc.* 18. 21.

o *Exod.* 14. 28.

Lib. de vera & falsa pœnitent. c. 6. in tom. 4.

§. 2. *Aliæ eiusdem Sacramenti excellentiæ.*

EX dictis licet alias etiam huius Sacramenti excellentias cognoscere: in quo si peccata extinguuntur, id fit, vt vita detur peccatoribus. Nam quemadmodum in mari rubro Aegyptij submersi remanserunt, Hebræi verò viui & sani inde exiuerunt: Ita in hoc pœnitentiæ mari peccata submerguntur: sed viui remanent peccatores. quia Dominus noster reddit illis supernaturalem gratiæ vitam, Charitatemque, dona ac virtutes, quas in Baptismo receperunt. Quemadmodum apparet in conuersione filij prodigi, quem Pater iussit a *stola prima indui, dariq; annulum in manū eius, & calceamenta in pedes eius*, quibus ornari consueuerat, antequā ex paterna domo discederet. quo ornatu (vt supra est dictum) dona significantur Iustificationis, per quam, *qui mortuus erat, reuixit*. Quemadmodum etiā Christus D. suscitauit filiam Iairi Principis Synagogæ b *non permittens intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobū, & Ioannem, & Patrem, & Matrem puellæ*, significans hoc facto animæ, quæ culpa mortua fuerat, resurrectionem: ad quam concurrunt tres illi actus *Contritionis, confessionis, & satisfactionis*, qui significantur per tres Apostolos; & actus duarum virtutum Theologicarum *Fi-*

3.

a *Luc.* 15. 22. 23.

Tract. 1 c. 10

b *Luc.* 8. 51. *Marc.* 5. 37. 40.

Tract.1.c.11. *dei & Spei*, quæ sunt tanquam Pater & Mater demortuæ: & impetrant resurrectionem, quemadmodum suo loco diximus. Coram hisce quinque testibus, in tribunali hoc pœnitentiæ secretissimo, resuscitat Christus D. N. peccatores per Sacerdotem, qui illos à peccatis absoluit; restituitque vitam gratiæ, & ius ad æternam vitam: Clauibus, quas Christus illi dedit, occludens portas inferni, quas illi suis peccatis aperuerant; reserans verò cœli, quas illi sibi clauserant: quæ semper illis apertæ manebunt, nisi recentibus culpis easdem iterùm occludant.

4. HINC transire licet ad aliam pœnitentiæ excellentiam, quod illa sit adeò potens, vt non macrum, maculatum, aut deformem resuscitet peccatorem: sed cum pristino candore & pulchritudine. Illa enim est c *fons* ille *patens*, quem per Zachariam Prophetam DEVS promisit *habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ*: ita vt nulla in eis macula remaneat.

c Zach.13.1. *Pœnitentia restituit decorem.*

Nã d *si fuerint* (inquit Isaias) *peccata vestra sicut coccynum, quasi nix dealbabuntur*. non quòd ipsa peccata dealbentur, sed peccatores ipsi. dicit verò, ipsa peccata dealbanda, vt significet: nec vestigium aut maculam vllam eorum remansuram. Apta verò est comparatio huius candoris cum *niue*, quæ descendit de cœlo: hic enim candor pœnitentiæ totus est *cœlestis*; & quidem e *supra* ipsam *niuem*, vt dixit Dauid. Licèt faciem habeas carbone nigriorem: si tamen viua aqua gratiæ in hoc fonte ablueris, restitueris in statum Nazareorum, faciesque tuæ conscientiæ super niuem dealbabitur: eritque nitidior lacte; ebore rubicundior; & pulchrior Saphyro. Et si magis eris leprosus & maculatus, quàm fuerit f *Naaman* ille: si tamen in *Iordane* pœnitentiæ *laueris, restituetur* anima tua, *sicut* anima *pueri paruuli*: tanta susceptæ puritate, vt valdè similis sit puritati innocentiæ; & pulchritudini, quæ semper est illi coniuncta. Scriptum est enim: g *confessio & pulchritudo in conspectu Domini*. Si pulcher esse vis: (ait S. Augustinus) confitere. Confessio enim est ipsamet pulchritudo. eras deformis (confitere, & pulcher euades. O quàm amabilem DEVM habemus, qui dilexit deformes, vt formosos redderet! quomodo autem illos dilexit? nonne ad pœnitentiam eos vocando, & exhortando ad confessionem? Quamobrem si amissam pulchritudinem diligis, Confessionem dilige & Pœnitentiam: sic enim eam recuperabis.

d *Isai.* 1.18.

e *Ps.*50.9.

f 4.*Re.*5.14.

g *Psal.* 95.6 *Confessio pulchrum facit.*

5. HVIC pulchritudini renouatio coniungitur, & ornatus templi, domusque illius, in qua Spiritus S. habitare consueuit. Qui libenter ad eam inhabitandam reuertitur, ad cuius aduentũ fugit Sathanas, & h *fortis armatus vincitur*, qui eam possidebat: quia *vniuersa eius arma*, tentationes scilicet, *in quibus confidebat, ei auferuntur*, & peccatorum *spolia distribuuntur*, cum magna Angelorum lætitia: qui hanc victoriam solenniter celebrant. Nam, vt ipse Saluator noster dixit: i *gaudium est in cœlo super vno peccatore* veram *pœnitentiam agente; quàm supra nonaginta nouem Iustis, qui ea non indigent*: idque ob

h *Luc.*11.22. *Christus pœnitentiæ vincit.*

i *Luc.* 15.7.

gloriam, quæ Deo attribuitur: eò quòd hostem adeò fortẽ vicerit; &, vt filium, qui mortuus fuerat, reuiuiſceret, effecerit; ipſumq; peccatorẽ à periculo, in quo verſabatur deſcendendi ad infernum, eripuit. O pœnitentiam ſalutarem! ô confeſſionem glorioſam & admirandam! quibus encomijs laudes tuas potero celebrare? omnes enim, quas in medium produxero exiles erunt valdè. quas enim culpas non remittis? quas pœnas æternas non commutas? quas temporales non exoluis? quas paſſiones non domas? quos prauos mores non permutas? quos non reſuſcitas mortuos? quos Dæmones ex ſuis habitationibus non expellis? Tu clauis es, qua fores inferni occluduntur, cœli verò panduntur; per te, qui fuerant latrones, in paradiſum admittuntur; &, qui publicani, in æternum regnum: Tu Aethiopum pellem commutas: Tygridum maculas lauas; Nazareis reſtituis pulchritudinem, & purificas templum, in quod Spiritus S. cum donis ſuis ingreditur. Nam diuinus hic ſpiritus nunquam vacuus accedit ad domum, in qua hoſpitio excipitur: ſed præclariſſimis donis eam beat, ac fœlicitat. Pœnitentia (inquit S. Auguſtinus) morbos curat, leproſos ſanat, mortuos reſuſcitat, vitia deſtruit, virtutes acquirit, ſpiritum corroborat, & ſanitatem auget, quam conſeruat. Claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum. Temperat ſucceſſus, conſtringit impetus, moderatur exceſſus. Ignorans ſe, per hanc ſe recognoſcit? quærens ſe, per hanc ſe inuenit. Hæc eſt quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori: iſta ouẽ perditam monſtrauit quærenti; & decimã drachmã obtulit anxianti. Hæc diſſipatorẽ filiũ ad patrẽ reduxit & vulneratũ à latronibus, cuſtodi curandum reſeruauit. In hanc omne bonũ innititur, per hãc omne bonũ cõſeruatur: fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipſa ignis conſumens. O pœnitentia (ait S. Chryſoſt.) quæ peccatũ, miſerante Deo, remittis, & paradiſum reſeras: quæ contritũ ſanas hominẽ, & triſtẽ exhilaras: vitã de interitu reuocas, ſtatum reſtauras: honorẽ renouas, fiduciã das: & reformas vires; gratiãq; abundãtiorẽ refundis. O pœnitentia, quid de te noui referã? omnia ligata tu ſoluis, omnia ſoluta reſeras; omnia aduerſa tu mitigas; omnia contrita tu ſanas; omnia confuſa tu lucidas; omnia deſperata tu animas! O pœnitentia rutilantior auro, ſplendidior Sole, quam nõ vincit peccatum, nec defectio ſuperat, ne deſperatio delet. Pœnitentia reſpuit auaritiã, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. Perfecta pœnitentia cogit peccatorẽ, omnia libenter ſufferre, ſi violentus quærat, quæ habet, non vetat; ſi veſtem dirimat, non refragatur; percutienti maxillam præbet alteram; iam angariatus, vltrò adijcit: caſtigatus, gratias agit; prouocatus, tacet; exaſperatus, blãditur; ſuperiori ſupplex eſt, inferiori ſubiacet; in corde eius cõtritio eſt,

Pœnitentiæ encomia.

Lib. de vera Pœnit. c. 1.

Serm. de pœnit Tom. 5.

» in ore eius confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera
» pœnitudo. Sic pœnitenti præsto est Deus, esurienti nutritor, sitienti pota-
» tor. Sapienti, quod stultum putatur, sapit, quod triste est, placet; quod mol-
» le est, displicet; quod fluxum est, horret. O pœnitentia, misericordiæ mater,
» & magistra virtutum! magna opera tua, quibus reos resoluis, ac reficis de-
» linquentes; lapsos releuas, recreas desperatos. Per te nobis Christus regnũ
» cœlorum appropiatum designat, dicens: Pœnitentiam agite, appropinqua-
» bit enim regnum cœlorum: ita & Baptista clamat: facite fructus dignos pœ-
» nitentiæ: quoniam ecce adest regnum Dei. Per te subitò rapuit latronem
» Christus ad regnum; per te Dauid, post flagitiũ felix iterũ recepit Spiritus S.
» per te Manasses, post cruenta facinora, ecce, meruit fieri acceptabilis; per te
» Petro Apostolo; postquam ter negauit, data est indulgentiæ dextera; per te
» filius prodigꝰ regressus ad patrẽ, nõ solũ amplexũ osculũq; paternũ, sed etiã
» epulũ vituli saginati, vestẽq; insignẽ promeruit adipisci; per te mulier for-
» nicaria vberes stillauit lacrymas, fonteq; sui Baptismi protinus lauit pedes
» Christi, crineque deterſit: per te Niniue ciuitas magna, populusque integer
» Barbarorũ subitò Deũ sapuit; virtutẽ tuã sensit; odorẽ tuũ accepit; saporem
» tuũ strinxit; dulcedinẽ tuã gustauit ciliciũ contraxit, lacrymas tuas profudit,
» gemitũ tuũ, suspiriũq; persensit; fructusq; vbertatis tuæ abundanter exhi-
» buit: & sic per opera tua non solùm decretæ mortis discrimen euasit; sed et-
» iam vitæ incognitæ coronam accepit. Cuius similitudini pœnitentiam cõ-
» paremus? Sic est, quomodo ager fructifer, aut vinea fœcunda, aut etiam ar-
» bor fructifera: fructus eius edit peccator famelicus, proficit in fiducia Dei,
» acceptaque remissione pinguescit in vita. Hæc S. Chrysostomus.

6. His addo: adeò feruentem esse posse peccatoris contritionem ac dispo-
sitionem: vt non solùm gratiæ dona virtutesque huius Sacramenti propriæ
ei concedantur: sed omnes etiam illæ, quæ peccatum præcesserunt, resti-
tuantur: Nam pœnitentia (vt S. Augustinus ait) excellens adeò est & efficax,
vt omnes defectus reuocet ad perfectum; possitque sanitatem in ea excel-
lentia reparare, quæ ante fuerat, atque si nulla culpa præcessisset. Propterea
enim dixit DEVS: k *impietas impii nõ nocebit ei, in quacunq; die cõuersus fuerit ab impietate sua.* nam feruens eius pœnitentia, amissa omnia bona recupera-
bit; integrumque ius reparabit, quod ad gloriæ coronas, quas bonis
suis operibus priùs erat promeritus, habebat. Quæ bona opera, mor-
tali admissa culpa, fuerant mortificata: quo tamen impedimento sub-
lato in pristinum suum valorem viuificata restituuntur. l *non enim* (ait
Apostolus) *iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri ac dilectionis.* nec
prætermittet mercedem reddere, quam vestris obsequijs fueratis prome-
riti: modò peccati obicem remoueatis. Cùm itaque pœnitentia tantùm
possit, vt spirituale coniugium Spiritus Sancti cum anima renouet,

3. *Hypogno. c. 9. tom 7.*

k *Eze. 33. 12*

l *Heb. 6. 10.*

cur non sufficiet restituere sponsæ suæ monilia, quæ prius ei donauerat: si ingenuè ac generosè ipsa ad sponsi sui amorem, & obsequium reuertatur? Ipse ex infinita sua charitate Sponsam, m *quæ fornicata est cum amatoribus multis* inuitat, vt ad se *reuertatur*: & promittit, *se eam suscepturum*. Si igitur illa, erubescens & compuncta reuertatur: facilè credendum est, ipsum admissurum eam ad pristinam amicitiam: qui enim spontè offert reuertenti veniã ac dona: non erit parcus in reddendo; si illa, ad ea recipienda, sese disponat. Nouerat benè Pater noster cęlestis, se disponere gratię suæ n *thesauros in vasis fictilibus*, quæ facillimè confringuntur: fuissetque, iustis ingens afflictio ac desolatio, si quos thesauros magno suo labore ac diuturniore tempore sibi comparassent, omnes illos amitterent ob aliquod mortale peccatum, ex hac sua fragilitate admissum: ita vt æquè illis esset laborandum ad thesauros illos recuperandos: atque si nunquam antea laborassent, eosq; promeriti: non fuissent. Quamobrem liberali suâ misericordiâ statuit ipse ac decreuit: si vas pœnitentiâ repararetur, posse thesauros pristinos hoc ipso recuperari: ne (vt Apostolus ait) o *eorum labor inanis esset*.

m *Iere.3.1*

n *2.Cor.4.6.*

o *1.Cor.15.58.*

Præterea: cum gratia sit *pignus* hæreditatis, quæ filiis promittitur; & *arrhæ*, quæ dantur sponsis: si Deus dignatur eos ad totum præmium admittere, quod antea illi fuerũt promeriti: dabit procul dubio feruentibus pœnitentibus statim pignus & arrhã, quibus hæreditas illa innititur vt incipiant statim his talentis negotiari; donaq; ipsa maiori feruore augere. Denique cum Baptismus & Confirmatio non, nisi semel in vita suscipiãtur; cõferant verò Christianis specialẽ gratiã vt sint fideles Christi milites: credẽdum omninò est si eam culpâ aliquâ suâ amittant, eandem per pœnitentiã totam reparare: vt perseuerare & progredi possint in militia spirituali, & obligationibus satisfacere statûs, quem per Sacramentum acceperunt.

Galat.3.4.

His Sacramenti ipsius Pœnitentiæ excellentijs addere possumus heroicos virtutum actus, qui in ea exercentur. quod ita Deus disposuit, vt, p *vbi abundauit delictum, superabundet gratia*. constituens nos & occasionem offerens præclarè exercendi nobilissimas vitæ perfectæ virtutes. Quædã enim præcedunt; tanquam dispositiones ad Confessionis Sacramentum: alię eandem comitantur: aliæ deniq; tanquam fructus ab ea proueniunt: ita vt in lege Euangelica, in solo feruore Confessionis locũ habeat, quod Ecclesiasticus dixit: q *melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*. Nam (vt S. Gregor. interpretatur) feruentes tot commoda ex peccatorum suorũ confessione acquirunt, vt promereantur, multoq; plus hac ratione lucrenrur, quã tepidi bonis suis operibus. In hoc siquidem solo bono opere elucet eorum obedientia, humilitas, fortitudo, patientia, & plures aliæ virtutes: de quibus sensim inferiùs dicetur

p *Rom.5.20*

Confessionis virtutes

q *Eccl.42.14.*
Lib.17.Moral.c.29.

§. 2. *Quædam Sacramenti Pœnitentiæ proprietates.*

IMPONAMVS iam Sacramenti huius excellentijs finem, addita magni Dei nostri immensa liberalitate, qua noluit terminum & numerum præscribere, hoc Sacramentum recipiendi. optimè enim sciens mutabilitatem & fragilitatem nostram, quamdiu in hac vita versamur: liberam fecit potestatem omnibus, turbulentum huius mundi mare nauigantibus, vt si a *septies*, imò *septuagies septies*,, & millies millies naufragium patiantur, possint semper per pœnitentiam emergere, & salui euadere: quia ex sententia communi Patrum, pœnitentia est secunda tabula post Baptismum: ne peccator naufragio pereat. Et quid de nobis fuisset: si, redeunte infirmitate, non potuisset idem antidotum adhiberi! noluit cœlestis Medicus minus esse in sanando liberalis: quàm homo fragilis in morbo contrahendo. Quare si ægrotus curari volet, non deerit cœlesti Medico misericordia, vt sanare illum velit: nec potentia ad id exequendum, per Sanctum hoc Sacramentum.

1. *S. Thom. 3. p. q. 84. a. 10*

a *Matt. 18. 22. Pœnitentia iterari potest. S. Thom. 3. p. q. 84. a. 6. & 10. 1.*

Cuius præstantia etiam in hoc cernitur, quòd nec grauitatis, nec numeri peccatorum, quæ in eo condonanda sunt, mensura aliqua sit constituta. licèt enim peccatorum numerus numerum excedat capillorum capitis, marisque arenarum; illaque sint grauiora & horrenda magis, quàm fuerint Sodomorum, & Iudæ, ac reliquorum qui Saluatorem nostrum crucifixerunt: omnia tamen possunt remitti: modò peccatorem eorum pœniteat, & quàuis in huius mundi tribunalibus soleant supremi Iudices grauiora quædam crimina sibi reseruare at in hoc Ecclesiæ tribunali nullum est soli Deo reseruatum delictum: siquidem absolutè & absque vlla reseruatione dixit CHRISTVS Dominus noster Sancto Petro: b *Ego dabo tibi claues regni cœlorum: & QVODCVNQVE solueris super terram, erit solutum & in cœlo: & quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Et quando idem dixit Pharisæis: c *blasphemiam in Spiritum Sanctum nō dimitti, neque in hoc seculo, neque in futuro:* non negauit etiam hoc genus peccatorum per Sacramenta dimitti; sed insinuauit (vt ait Cyprianus) maximam difficultatem in huiusmodi peccatoribus, ad se disponendum ad pœnitētiam. Quæ tamen difficultas ab eiusdem Spiritus Sancti inspiratione superatur: qui reipsa per Sancti Petri prædicationem multos tales blasphemos; & qui Christum crucifixerant, conuertit. Nam quamuis peccatores instar, d *ossium*, quæ vidit Ezechiel, *aridi* sint: resuscitari tamen poterunt, quemadmodum in primo Tractatu est dictum.

2. *Multa & magna peccata remittit.*

b *Matt. 1. 16 19. & c. 18. 18.*

c *Matt. 12. 31 Lib. de Lapsis, & Epist. 52. S. Chrysost. homil. 52. in Matth. S. Tho. 2. 2. q. 14. a. 3. Act. 2. 38.*

d *Ezec. 37. 4*

3. *Trid. Concil Sess. 14. c. 5.*

SED vlterius progressa est Christi D. N. liberalitas in hoc Sacramento: cùm voluit etiam peccata venialia ac leuia materiam esse sufficientem ab-

solutionis: vt iusti feruētes, qui ex Dei gratia per multos annos viuunt absque mortali peccato, sed leuiter septies in die cadunt, frui possent fructibus huius Sacramenti; & maiorem puritatem, gratiæque augmentum; & heroicorum actuum, qui in eo exercentur, meritum obtinere: sicut dictum est. Et quamuis alia quoque sint media, ad leuia hæc peccata purganda: nullum tamen magis aptū & accommodatum est, quàm hęc sit ablutio à Christo D. instituta, etiam ad leues culpas applicato sui sanguinis pretio, quemadmodum ipse Christus S. Petro dixit: *e qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*, culpas scilicet leues, quibus etiam, alioqui valdè mundi, sępius obfuscātur. Ideoq; dixit S. Augustinus: semper confitere, qui semper quod confitearis habes: vt Confessionis remedio in puritate crescas.

Etiam venialia remittit.

e *Ioan.* 13. 10.

In Psal. 99.

Intendit autem magnus Deus noster omnes vires suas, vt ostenderet, quanto affectu ac desiderio teneatur, vt copiosos huius Sacramenti fructus iusti percipiant. quamuis enim statuere potuisset, ne ab eisdem peccatis absolutio Sacramētalis repeteretur: (sicut in exteriori foro, cùm definitiua sententia de aliquo delicto profertur; non amplius idem delictū redit ad iudicem) noluit tamen hāc rationem in huius Sacramenti tribunali seruari, sed permisit absolutionem toties repeti, quoties eorundem peccatorum confessio repeteretur. vt iustus magis magisq; ab eis purificaretur nouis gratiæ incrementis, quæ animæ puritatem semper promouent

4.

CAPVT II.

QVOS ACTVS SACRAMENTVM POENITENtiæ complectatur: ac diuinam Vocationem ad eos exhortari.

Poenitentiæ Sacramentum, cuius excellentias hactenùs retulimus, multos actus complectitur, ad suam integritatem & perfectionem necessarios. quosdam ad ipsum Pœnitentem, alios ad Confessarium spectantes. Qui ad pœnitentem, tres sunt præcipuè: Contritio: Confessio, & Satisfactio, qui plures alios in se continent. Nam Contritio supponit aliquas considerationes, quibus peccatorum dolor excitetur; & aliqua proposita, vt peccatorum detestatio sit perfecta. Confessio supponit exactum Conscientiæ examen, quo admissæ culpæ inueniantur, & cognoscantur: quam Confessionem, dum fit, excellentissimi alij actus comitantur. Satisfactio fit varijs pœnalibus operibus, quibus pœnas ob culpas nostras debitas exoluimus. Hos omnes actus Confessarius suis actibus

Actus pœnitentiæ.

adiuuat,

[a] diuuat, quibus supplet pœnitentis defectus. extimulando illum ad veram contritionem; dirigendo ad Confessionis integritatem;& corrigendo,atque docendo, quid facere debeat; designans aliquam pœnitentiam faciendam;& absoluens à peccatis: ac in omnibus eum dirigens, quæ ad perfectã vitæ morumque reformationem sunt necessaria. Quod totum acceptare& implere meritò debet, qui perfectus est pœnitens. ad quam perfectionem trium dierum velutiitinere peruenitur. *Primo* à culpis expurgatur per contritionem & confessionem, accedente Sacerdotis absolutione: *Secundo* à pœnis debitis liberatur per ieiunia, eleemosynas, orationes, aliaque pœnalia exercitia: ad quod iuuant indulgentiæ & Sacrificia: *Tertio* mores reformantur, vitaque noua instituitur, a *exuendo* vitia omnia, & *veterem hominem cum actibus suis; nouum* verò eiusque opera & virtutes *induendo*, donec perfectionem Christiani hominis propriam maxima qua poterit firmitate consequatur: quam in Sacramentis Baptismi & Confirmationis fuit professus.

Confessio.

Satisfactio.

a *Colloss.* 3.9

Renouatio.

§ 1. *Diuina ad omnes hos actus Vocatio.*

AD prædictos omnes actus exhortatur diuina vocatio modis ac mediis in præcedentibus Tractatibus indicatis: quorum summa delineata est in ijs, quæ Israelitæ, cùm captiui in Ægypto tenerentur, Pharaoni proposuerunt. a DEVS inquiunt *Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* Quæ autem sunt hæ trium dierum viæ, quas Dei vocatio captiuis ob peccatum sub Dæmonis potestate proponit, nisi trium dierum itinera proximè insinuata: quæ instar viarum sunt, quas oportet peragere, vt ab ea captiuitate liberati, in libertate perfecta constituantur. si enim diuinæ vocationi resistentes, eas conficere neglexerint: superueniet eis pestis, aut gladius. *pestis* scil. vitæ deprauatæ, quæ ab vna culpa in aliam sine remedio labitur;& *gladius* iræ Dei, qui vindictam de eorum pertinacia sumet: permittendo eos in sua culpa mori. Hæ trium dierum vitæ in die,& in deserto peraguntur. præcedit enim & comitatur pœnitentem diuina illustratio, eum deducens & adiuuans, & à peccati tenebris exeat: & quasi b *lux* matutina *splendens procedat ac crescat vsque ad perfectam* sanctitatis *diem.* quamuis ipsa via aspera ex se sit, & laboriosa: propter quod, *desertum* appellatur. non quòd boni comites illi desint, qui consolentur & adiuuẽt: sed quòd improbos deserat, quos eousque habuerat.

a *Exod.* 5.3. & *cap.* 3.18.

Pestis gladius.

b *Prou.* 4. 18.

Tres dies Desertum.

I. *Epist. de* 42. *mansioni. vide Riber. in Osea.* 4.8

PRIMA via est Pœnitentiæ: quatenus illa per dolorem & Confessionem peccatorum, causa est iustificationis peccatoris. quæ, teste S. Hieronymo. significatur per primam Hebræorum stationem in c *Ramasses*, quæ vox

c *Exo.* 12.37

turba

turbationis commotionem, aut *amaritudinem*, aut *gaudii tonitru* significat si enim ex Ægypti strepitu per pœnitentiam exeas, quamuis prauam & profanam *turbationem* deseras; ingrederis tamen (vt ait Dauid) in aliam sanctam & salutarem, d *commouens ac turbans* teipsum: vt, tua peccata deflens, offeras Deo in hoc deserto e *Sacrificium* primum *contriti & humiliati cordis*, cum spiritus *amaritudine*, quæ mox in dulcedinem vertitur: cùm audis tonitru illud *gaudii* ex Confessarij ore procedens. *Ego te absoluo.* & tũc implet Deus, quòd aliàs dixit: f *in cunctis Dijs Ægypti faciam iudicia ego Dominus.* Nam vt S. Hieronymus declarat, qua nocte Deus Hebræos ab Ægyptijs liberauit, vindictã sumpsit de omnibus idolis Ægypti: quæ destruxit, & eorum templa vastauit, quod factum significat iudicium, quod in Sacramento Pœnitentiæ de nostris peccatis facit. Diximus enim, Sacramentum hoc formam habere iudicij, in quo sententiâ iustâ damnãtur, & deuastãtur maledicta idola: vt verus Deus solus, nec vllus alius in anima viuat, quæ eius est creatura; à qua semper adoretur, ipsíque seruiatur

Sed non sistit hic diuina vocatio: nam mox inspirat viam *diei secundæ* nempè Satisfactionem: vt fiat transitus, quemadmodum fecerunt Hebræi ex g *Ramasse in Socoth*, quod significat *peregrinantium tentoria.* Salus enim pœnitentiæ, breuis vt plurimum est; & aliquid super est soluendum atque sanandum. nec (vt suprà fuit dictum) adhoc sanat, vt otiosus subsistas: sed vt pergas omninò, ipsoque exercitio conualescas, offerens Deo secundum h *Sacrificium iustitiæ*, in abundantia bonorum operum, ad exoluenda omnia debita & peccatorum reliquias mortificandas. Eadem verò opera augendę quoq; sunt virtutes, ducendo in hoc mundo vitam, tanquam peregrini & proficiscentis; quærendo (vt ait S. Bernardus) præcipua tua stabilia bona, non in hoc terræ exilio, sed in cælo: quod est patria tua, pergẽdo semper in via præceptorum, ac consiliorum diuinorum, donec ad illam peruenias.

Ad quod diuina vocatio diei tertiæ viam inspirat, vt transeas quemadmodum Hebræi in i *Etham*, quod significat: *immaculatus*, seu *perfectus ero.* Præcipuus enim finis tuus in hac vita debet esse, quærere summam, quã poteris cordis mundiciem, & supremum Christianæ perfectionis gradũ, cum integra totius vitæ reformatione: offerens Deo tuo *tertium Sacrificium* & holocaustum perfectissimi amoris, cuius superiùs meminimus. Et tunc ait S. Hieronymus, impleri Scripturam dicentem: k *Dominus precedebat eos ad ostendendã viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore.* Idem enim Deus, qui te vocat, vt ex Dæmonis tyrannide exeas; te quoque illustrat, accendit, deducit, auxiliumq; præbet in omnibus vijs tuis; & in omni tempore prospero & aduerso, ne aberres à via: sed eius ductum sequens, perfectus euadas.

Ramasses.

d *Psal* 59.
e *Psal.*50 1 *Sacrificium primum.*
f *Exo.*12.1. *Ibid.*

2.
Socoth.
g *Exo.*12.37

*Tract.*2.c. 1.§.4.

h *Psal.* 4.6 *Sacrificium secundum. Serm.*7.*de Resurrect.*

3.
i *Exo.*13.20. *Etham. Tertium Sacrificium*

*Tract.*2.c.6
k *Exo.*13.21 *Num.* 14.14

l Oſea 6.3.

[illegible] trium dierum viæ, de quibus Oſeas Propheta: l *viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Nam quemadmodum Chriſtus Dominus noſter, noſtram redemptionem operatus eſt tribus diebus: feria ſcilicet ſexta, in qua mortuus eſt; Sabbatho, in quo manſit in ſepulchro, deſcenditque ad vinctos educendos ex lymbo; & Dominica, qua glorioſus reſurrexit: ita nobis eiuſdem Redemptionis fructum applicat in hiſce trium dierum vijs. Nam *Confeſsione* peccata noſtra extinguit; *Satisfactione* à purgatorij carcere eruit; *Emendatione* verò & reformatione eleuat nos ad vitam quandam nouam, valdeque perfectam, ſimilem reſurrectioni ipſius, quam, ait S. Thomas, exemplar eſſe noſtræ iuſtificationis. quod & Apoſtolus affirmauit, dicés: m *Chriſtum Dominum noſtrum traditum eſſe in mortem propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram*; & n *quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, quæ ipſius vitæ valdè aſſimiletur. Demiſsè itaque petas, ad has trium dierum vias concedi tibi inſignes illos tres ſpiritus, quos feruens ille pœnitens petebat, dicens: o *Cor mundũ crea in me Deus & SPIRITVM RECTVM innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua; & SPIRITVM S. tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & SPIRITV PRINCIPALI confirma me.* Spiritus RECTVS animam ab omnibus culpis purgans, eam renouat; Spiritus SANCTVS dicitur, qui gratijs ac virtutibus eam ſanctificans etiam adiuuat in Sanctorum operum exercitatione; PRINCIPALIS denique eſt, qui perfectionem & in eis firmitatem tribuit.

l *p* q. 56. a. 3 m *Ro* 4. 25. n *cap.* 6. 4. o *Pſal.* 50. 12.

Tres Spiritus.

§. 2. *Prima via Pœnitentiæ.*

INCIPIENTES igitur viam primam, quæ eſt Pœnitentiæ, dicemus in genere, quæ ſint neceſſaria ad eam fructuosè ambulandam. Præſupponimus autem omnes eius actus ab infinita Dei miſericordia, eiuſque gratuita vocatione prouenire. Quemadmodum Ieremias nomine populi ſui captiui faſſus eſt, dicens Deo D. N. a *caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus: conuerte me, & conuertar; quia tu Dominus* DEVS *meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Totum hoc attribuit Propheta Deo, vt intelligas, ſi tua peccata agnoſcas; ſi paſſiones rebelles domes; ſi doleas ac de tuis peccatis erubeſcas; ſi teipſum propter ea caſtiges; ſi faciem tuam ad Dominum conuerteris, cui antea verteras terga; id totum te facere, eò quòd ipſe gratia ſua te præueniat, vocet adiuuetque, vt ea exequi valeas. Vt autem etiam diligentiam intelligas, quam ex tua parte ad hanc conuer-

a *Iere* 31. 18. *Pœnitentia donum* [illegible].

ſionem

sionem præstare debeas, addit idem Propheta: *statue tibi speculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: reuertere sterilis virgo Israel, reuertere ad ciuitates tuas istas. vsquequo delitiis dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram*, Fœmina in se Circvmdabit Virvm. Videtur Ieremias in spiritu locutus cum modernis, qui in Ecclesia nunc sunt, peccatoribus; eosque ad obscœnarum voluptatum pudorem, & ad peccatorum pœnitentiam permouere: ideoque iubet conscendere speculam Fidei, & infinitam Dei charitatem perpendere: qui nullis nostris meritis, sed solâ suâ misericordiâ creauit, & executus est Novvm illud inauditum, quod virgo Spiritus sancti virtute conciperet, & in vtero suo infantem quendam circumdaret, qui simul esset vir perfectus in Sapientia & Sanctitate; qui est Christus Devs & Homo verus: cuius meritis captiui Dæmonis consequuntur veram libertatem: & anima, quæ virgo erat sterilis, & inutilis b *concipit & quasi parturit spiritum salutis*, c *donec formetur Christus in ea* habitetque cum illa per Fidem & Charitatem.

Peccatores vocat Deus.

b *Isai.* 26. 18
c *Gal.* 4. 19

Sed quoniam opus habet aliquo, à quo iuuetur exire ex ea captiuitate, ait Propheta, vt statuat sibi speculam, siue, vt LXX. vertunt *speculatorem*, hominem scil. qui speculatoris officio fungatur: ad pœnitentē enim spectat, doctum & prudentē Confessarium sibi eligere: vt vterq; simul deprehendant quicquid in conscientia continetur: præterita omnia rimando diligēter, & futura præueniendo. Vera enim pœnitentia, quemadmodū præterita mala cogitat, vt deleat; ita præuidet futura, vt effugiat & quemadmodum inflixis iam vulneribus adhibet antidota, vt curentur ita prospiciet de alijs ne, postquam conualuerit ægrotus, in eadem recidat.

1. *c.* 38. *vide Notationes.*

Confessarius Speculator.

In eum finem *ponas tibi* (vt ait Propheta) *amaritudines*, recensebis scil. omnia peccata tua coram Confessario, cum ingenti cordis tui amaritudine ac dolore, simul constituens ante oculos tuos causas & rationes, cur meritò de eis admissis dolere debeas. Quemadmodum idem Propheta insinuauit, dicens, d *scito & vide: quia malum & amarum est reliquisse Dominum Deum tuum; & non esse timorem eius apud te.* Nominatim aūt cōijces oculos in omnes *amaritudines*, quas tuus Saluator perpessus est à tēpore, quo in vtero materno sese contraxit, vsque dum expirauit in cruce. Quomodo enim non tibi amarescant peccata tua, si attendas tantam Deum tuum amaritudinem pro eisdem tolerasse? quam ipse semper ante oculos habuit, vt eandem tu haberes coram tuis & ad pœnitentiæ amaritudinem ferendam incitareris tam eam, quę prouenit ex pudore Confessionis; quàm, quę ex satisfactionis operibus oritur; teque ipsum offerres, ad omnia ea sustinenda vt amarum hoc antidotum animam tuam expurget, & sanitati restituat.

2.

d *Iere.* 2. 19

Peccata tua Christo amara fuere.

3. *Primus fervor opere exhibendus.*

IVBET Propheta tertiò, vt *cor tuum dirigas ad viam rectam, in qua ambulasti*: reuocans scilicet ac repetens bonos tuos gressus, exercitiaque virtutum quæ antea habebas, cùm Baptismi & Confirmationis gratia adhuc recens in te manebat: qua feruenter ad Christianam perfectionem contendebas. Statuas itaque feriò ad eandem illam redire viam; eodemq; aut maiori etiam feruore, quàm álias in ea pergere: amplectens Christi D.N. admonitionem, dicentis cuidam pœnitenti: *memor esto, vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Nam vera pœnitentia non sistit in solis affectibus aut sensis internis; sed progreditur ad exteriora opera. quemadmodum LXX. Interpretum versio magis declarat, dum ait: *da cor tuum super humeros tuos.* Quod S. Hieronymus exponit, quasi dixerit: coniunge cogitationibus opera: & onus, quod desiderio offers te laturum, impone humeris, incipiens statim illud reipsa portare.

: *Apoc. 2. 5.*

Cap. 38.

4. *Constantia in bonis.*

Ac denique danda tibi opera est, vt *reuertaris ad ciuitates tuas*, domumque Dei, & iustorum congregationem, vnde te subtraxisti: vt animo deliberato ac certo in ea imposterum habites, profundas iaciens radices in gratia & perfectione: quam per pœnitentiam reparas, ne vitam tuam texendo & retexendo, extruendo & destruendo consumas: sed in bono stabilis sis atque firmus. Quod si nouum tibi arduumque videatur: attende quid Propheta addiderit. f *creauit Dominus* NOVVM *super terram, virgo concipiet virum*: qui, quòd sit vir nouus, gloriatur se noua facere, cùm mortuos resuscitat, inueteratos renouat, cor mutat, roborat imbecilles, qui in ipsius habitant Ecclesia. Adde etiã impleri illud: *fœmina circumdabit virũ*: congregatio enim iustorum circumdat verè, & in medio sui retinet Saluatorem hunc omnipotentem, ipseque habens inter eos manet, vt iuuet, foueat, & confortet; & vt à suis hostibus defendat, & vitiorum ac passionum opprobrium ab eis remoueat. Quod etiam significauit Prophetia Isaiæ dicentis: g *apprehendent septem mulieres*, multitudo videlicet fideliũ animarum, *virum vnum*, Christum scilicet: *petentes*, se ab eo protegi, & *opprobrium* quod sustinebant *auferri*. Si itaque vnus tu esse vis eorum, qui virum hunc Saluatorem circumdant: & statuis firmiter apprehendere, fiduciam tuam in eo collocando: experieris, quantum in eo auxilium repositum habeas, ad nouam vitam illius vitæ similem ducendam, ac opprobrijs expeditam, quæ adfert recidiua in peccata. Hæ sunt generatim Pœnitentium viæ, actusque per quos in eis progrediuntur: de quibus in sequentibus Capitibus agetur, adductis jis, quæ ad singulos in particulari pertinent.

f *Isaiæ 7. 14. Matth. 1. 23.*

g *Isaiæ. 4. 1*

Christus fiducia nostra

CAPVT

CAPVT III.

DE ATTRITIONE ET CONTRITIONE PECcatorum, & propositis quæ illa complectuntur; ac motiuis quibus eadem innituntur.

A Deo est immensa cœlestis nostri Patris Charitas, vt statim atque Iustus labitur in peccatum, ingentis illius stragis, quam illud in anima fecit, compassione tangatur; & misericordiæ suæ visceribus velit, eum à tanta miseria liberare. Ideoque eum vocat, & ad pœnitentiam impellit. Id quod facit nunc per *synderesim*, aut naturale lumen, dictamen scilicet ipsius conscientiæ, ipsum cor pũgentis, ac de culpa sua erubescentis; propter quam inquieta, turbata, & in timore est: donec ab ea liberetur: nunc verò per specialem suam inspirationem, ac vocationem accedit ipse; primumque imperfectum actum excitat, quem Attritionem vocamus: quo dolet peccator de admissa culpa ob eius *fœditatem*, aut inferni timorem, & pœnam, quàm propterea iudicat se promeritum. Hęc enim duo motiua sunt imbecillis hominis constitutioni proportionata. Et ideò mox atq; Adamus in paradiso peccauit, accurrit Deus ad ipsum quærendum, animo ac desiderio remedium ipsi afferendi: venit autem cum strepitu adeò tremendo: vt Adam præ metu totus tremens sese absconderit. Non enim (ait S. Augustinus) propterea se abscondit, quòd existimaret, se posse occultare Deo: sed quod timor, pudorque ad effugium illud quærendum impulerint: externo illo indicio ostendens, quantopere erubesceret, indignumque Dei conspectu se iudicaret. Qui, vt ei mederetur, clara distinctaque voce eum a *vocauit dicens: Adam vbi es?* qua vocatione (ait S. Ambrosius) Deus in memoriam Adamo reuocauit ipsius miseriam, vt erubesceret magis, & compungeretur: quasi moneret: attende, quid priùs eras, & quid nunc sis. de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? dereliquisti vitam æternam & attumulatus es morti: consepultus errori. Vbi est illa tua benè sibi conscia confidentia? timoriste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es? hoc est, non in quo loco sis quæro, sed in quo statu? quo te perduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antea quærebas? Antea noui te quia statum, in quo eras approbabam, tanquam à me tibi datum: iam verò te nõ noui, quia statum illum improbo, quem tua culpa elegisti. Vbi est serpentis illa promissio: eritis sicut Dij! quem exitum habuit prohibiti pomi delibatio, tuæque vxori Euæ placendi studium? pœna, quam iam sentis, malitiam declarat, quam habes. Has & alias eiusmodi considerationes vocatio diuina

I. *Syndaresis.*

Trident. Cõcil. sess. 14 c. 4. Attritio.

Lib. 11. super Gen. ad liter. c. 23. S. Tren lib. 3. aduersus hæres. c. 37. a Gen. 3. 9. Lib. de paradiso c. 14.

cc
cc
c.
cc
Adam vbi es?
cc
cc
cc
cc
cc
cc
cc

peccatoribus inſpirat, cùm admiſſorum peccatorum eos pudet: quaſi illud
b *Rom. 6. 21.* Apoſtoli eis obijciat: b *quem fructum in eis rebus habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illarum mors eſt*: culpa præterijt, manet verò pudor, confuſio, timor, turbatio, nuditas, deſertio DEI, reatus mortis, & æternæ condemnationis periculum.

2. *Adami Attritio.*

NON vult tamen Deus, nos hic ſiſtere. nam reſpondente Adamo: *vocem tuã audiui in paradiſo: & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Vidit Deus, parùm eum delicti ſui grauitatem cognouiſſe, ac penetraſſe: qui potiùs timebat, ſeſeque abſcondebat ob pudorem, quo nudum in corpore ſe videns, afficiebatur: quàm quòd creatorem ſuum offendiſſet. Vt itaque ad perfectiorem pœnitentiam eum induceret: occaſionem ex eius verbis accepit ad animæ nuditatem, culpæque grauitatem ei aperiendam, dixitque: *quis indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* quaſi diceret: ne ſiſtas in hac externa nuditate; ſed ex ea iniquitatem tuam agnoſce, quam in præcepti mei tranſgreſſione commiſiſti. ex ea.n.euenit tibi, vt innocentia iuſtitiaq; originali & reliquis gratijs, quibus te exornauerã, fueris ſpoliatus. Quãobrẽ pudore ſuffundere ob admiſſum malum, quo me offendiſti: vt ſic tui peccati veniã obtineas. Hac ratione timor *ſeruilis* quaſi manu ducit *filialem* in animam; pudorque *infamiæ*

Contritio.

gradum facit ad ipſius *culpæ* pudorem: vt aſcendatur ad perfectum peccatorum dolorem, quem CONTRIONEM appellamus. Qui dolor innititur ſyncero puroq; Dei amori, deteſtando culpã ſuper omnia execrabilia, temporalia, & æterna: dolemus enim, quòd eam admiſerimus, propterea'q; Deum ſummum bonum, noſtrumque benefactorem infinitum offenderimus: amamus verò, eumque rebus omnibus creatis præferimus: ſtatuentes firmiter, peccata noſtra iudicio Confeſſionis ſuo tempore ſubijcere: nunquam verò ampliùs eadem repetere, ne eum offendamus, quem mille rationibus diligere, eique ſeruire tenemur.

3.

QVONIAM verò in hoc adeò generoſo actu, tanquam in ſuo ſemine, pœnitentiæ Sacramentum continetur: ſtatim abſque vlla mora Deus peccata remittit, gratiæque & charitatis vitam reſtituit. quemadmodum ſtatim atque Dauid dolore cordis tactus, Nathan Prophetæ reſpondiſſet: c
c *2. Reg 12. 13.* *peccaui Domino*: è veſtigio Nathan reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* dolor.n. Dauidis fuit perfectiſſimus: nec tam ob horrendas minas, quas Propheta, Dei nomine propoſuerat, cõceptus; quã quòd agnoſceret, peccaſſe ſe contra Dominũ, à quo tot acceperat beneficia. Eſt verò is liberalis adeò & miſericors: vt ſatis ſibi eſſe reputet, ſi adſit efficax certaque voluntas implendi Confeſſionis præceptum. ideoq; priùs peccata dimittit, quàm reipſa Cõfeſſio peragatur. quemadmodum ipſe Propheta dixit: d *dixi*

Dauidis Contritio.

d *Pſal. 31. 5*

confite-

cõfitebor aduersũ me mea iniustitiã meã Domino: & tu remisisti impietatẽ peccati mei. adeò.n. desideras me videre sanctificatũ, vt vel ipsum propositum, animiq; mei decretũ acceptes. Quod cõfirmatur ex eo, quòd iubente Christo D. N. e *decẽ leprosos ire, & ostendere se Sacerdotibus, dum irent, mundati sint.* Ex quo intelligitur, culpæ lepram abstergi ab habente eius contritionem, antequam eandem Sacerdoti manifestet: modò sit animus, firmumque propositum eam manifestandi. Quod statuit Saluator noster, vt nos magis vrgeret, ad non hærendum in statu peccati: cùm vel vnico actu interno, qui in momẽto fieri potest, liceat remedium obtinere: & vt studium, quod in præparando nos ad confessionem posuerimus, vtilius & efficacius esse possit, vtpotè in Dei gratia, & cum merito æternæ vitæ adhibitum: Item, vt ipsum confessionis Sacramẽtum cum maiori dispositione suscipiatur: ac proinde copiosiorem conferat gratiam. Certum est enim, multò maiorem gratiam illi cõferre, qui verè Contritus accedit, quàm si solùm Attritus: & quo dolor fuit intensior, eò copiosiorem conferre gratiam: ac denique quòd confessario deficiente, non deficit pœnitenti remedium; nec periculo exponitur, ob talem defectum moriendi in statu peccati.

e *Luc. 17.* 4.

Contritio tollit peccata

Contritionis vtilitates.

4.

Ex his apparet, veram Contritionem haberi posse absque actuali memoria omnium peccatorum, quæ in particulari admisimus, nec opus esse speciatim de singulis dolorem habere: propterea quod D. N. contentus sit generali omnium memoria ac dolore, qui vel in vno momento haberi potest. Est tamen valdè expediens, & confert plurimùm ea omnia in memoriam reuocare, non solùm ad faciendam confessionem, sed ad ipsam etiam habẽdam contritionem. eò quòd in singulis specialis aliqua ratio esse soleat, quę ad nouum prouocet dolorem, aut eum augeat. Propterea enim Deus per Ezechielem Prophetam dixit: *f* quod *impius considerans & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet.* qua sententia insinuat, (vt ait S. Chrysost.) cõsiderantem solùm in genere se esse peccatorem, nec ad particularia peccata inspicienda descendentem, rarò ab eijsdem se auertere. Quam ob causam ait idem Sanctus, expedire antequam Sacerdoti in confessione manifestentur; eadem ipsi Deo confiteri, ac in cordis secreto recensere, iuxta illud quod idem Dominus per Isaiam dixit. g *dic tu prius iniquitates tuas, vt iustificeris*: per contritionem scilicet, quam de eis habueris.

Considerationis peccatorum vtilis.

f *Ezec. 18. 28 Hom. 9. & lib. 1. de compun. cordis. Hom. 4. de Lazaro & diuite.*

g *Isa. 43. 26 iuxta. LXX.*

5.

Denique, ex dictis intelligitur, perfectam contritionem non exigere necessario lacrymas, aliosve teneros sensibilis deuotionis affectus: sufficit enim, corde ipso peccata prædicto modo summè detestari: quamuis ex feruenti interno dolore soleant prouenire, & oriri ex considerationibus inferiùs subijciendis: Sed potiùs donum Dei censendæ sunt: quem supplex merito orabis, vt tibi h *det irriguũ superius & irriguum inferius*, quæ (vt S. Gregorius

Compunctio cordis.

h *Ios. 15. 19. Lib. 3. Dial. c. 34.*

Donum lachrymarũ.

gorius interpretatur) sunt lacrymæ, quæ ab *amore* nascuntur, & quæ proueniunt à *timore*: vt vtræque copiosè rigent aridam tui cordis terram: quam faciant, veræ pœnitentiæ fructus proferre.

§. 1 *Proposita quæ Continentur in contritione.*

Contritio est odium omnium peccatorum.

VT hic peccatorum dolor verus sit ac perfectus, continere intra se debet efficacia aliqua proposita, quæ in eo fundantur, quod CONTRITIO sit odium quoddam, ac detestatio generalis peccatorum omnium lethalium, præteritorum, præsentium, ac futurorum, nullo omninò excepto. Licèt enim præcipuè respiciat iam admissa, vt ea destruat: vniuersim tamen omnia detestatur: Nam eadem ratio, quæ ad illorum detestationem inducit, etiam ad reliquorum odium impellit: eò quòd omnia offendant DEVM, Sanctamque eius legem transgrediantur. Nam quemadmodum S. Iacobus Apostolus dixit: a *quicunque totam legem seruauerit, si offendat in vno, factus est omnium reus.* Nam vel vnico mortali crimine separat se peccator à summo bono, suoque vltimo fine: sicut qui plura committit. Ita igitur, qui vnius lethalis criminis Contritionem habet, dolet virtualiter de omnibus simul: nam in illo inuenitur ratio & causa omnia detestandi.

a *Iaco.* 2. 10.

Sess. 12. c. 4. *Propositum nõ peccandi.*

Hom. 35. *in Euangel.*

HINC deducitur, veram CONTRITIONEM, sicut Concilium Tridentinum testatur, in seipsa includere efficax propositum ampliùs non peccandi mortaliter. Vera enim pœnitentia (vt S. Gregorius ait) est, *præterita mala plangere*; & firmiter statuere: *plangenda iterum non committere.* Quod propositum, imposterum abstinendi, si absit: manifestum est signum, non esse verum præteritorum odium. Et in eum sensum explicat idem Sanctus sententiam illam Ecclesiastici: b *qui baptizatur à mortuo*, hoc est, qui, quòd tetigerit corpus mortuum, sese lauat: *& iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, id est dolet, quia peccauit: & iterum eadem faciens: quid proficit humiliando se? Quare si defleas & confitearis tuas culpas: habeas verò animum ad easdem redeundi, frustra laboras, teque humilias. nam etsi in specie videaris lauari, maculatus tamen manes: si ea mente ad Sacramentum tentes accedere. Illusor, ait S. Isidorus, & non pœnitens censendus est, qui id facit, aut facere cogitat, cuius dolorem præ se fert. Id quod adeò est verum, vt neque ipsa venialia peccata remittantur, quamdiu non adest firmum propositum ab eis abstinendi: ac proinde qui absque tali proposito ea confitetur, verè non absolueretur ab eis: imò, nisi aliquod confiteatur cùm firmo voluntatis decreto, ad illud non reuertendi, ipsa confessio esset sacrilega. eò quòd sufficiens ad Absolutionem materia illi deesset: talis enim materia non potest alia esse, quàm peccatum cum ea detestatione & odio, quo diximus,

b *Eccl.* 34. 3. 3 *p. Pastoral. Admouit.* 31. *& in Psal.* 50.

Lib de Sum. bono c. 16.

Cõfessio sine proposito emendationis sacrilega.

2.

PROPTER eandem causam vera contritio non patitur secum vel vni-

cum

cum inordinatum affectum ad aliquod peccatum lethale, etiamsi reliqua omnia detestetur: Nam, qui in corde suo dat locum, fouetque aliquem Dei hostem: manifestum est signum, quòd nec reliqua propterea detestetur, quòd aduersentur Deo, sed ob humanos alios respectus: & quamuis, vt dixit Dauid: c *mentita sit iniquitas sibi*: Deum tamen ipsius fictionem videntem, non potest decipere. Quemadmodum sceleſtus Rex Antiochus magnum dolorem ac pœnitudinem præ se ferebat, ob damna à se Iudæis illata: quibus etiam plurima bona se facturum proponebat. de quo tamen diuina Scriptura ait: d *orabat hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* quicquid enim in hoc genere faciebat, id erat in specie tantùm, absque verò proposito suum peccatum deserendi.

Omnia peccata detestanda.

c *Ps.* 2. 6 12.

d 2. *Mach.* 9 3.

3.

Propter eandem causam aliud quoque firmum propositum est necessarium, remouendi scilicet statim proximas omnes occasiones, ac pericula in eadem peccata relabendi. Nam vt Sapiens ait; e *qui amat periculum, in illo peribit;* & f *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* signum est enim eum vere non optare mundus esse, qui non statuit à tangenda pice abstinere. Et in eũ sensum dixit Christus D.N. g *si oculus tuus scandalizat te, erue eum*: & *si manus tua, vel pes scandalizat te, abscinde, & proiice abs te.* deserendo sc. societatẽ & cõtuberniũ cuiusuis personæ, siue maioris, siue minoris aut æqualis, qui te inducit, aut occasioni tibi est mortifere peccandi. Quare siue famulus sit, siue famula: discedere oportet ab eo hero vel Domino, qui ipsos scandalizat: & ipse Herus expellere ex domo sua debet ancillam, cùm qua peccat: & frater vel amicus fugere debet sibi æqualem, à quo ad peccandum incitatur. Quòd si reipsa non possis talem societatem deserere; necesse saltem est, firmiter statuere, eam deserere, euellendo ex corde tuo prauam, quæ te scandalizat, affectionem. Ad eum modum, quo Dauid dixit: h *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ*: non reipsa, sed efficaci firmoque animi proposito; quod ob suam firmitatem cum ipso opere æquiparabatur, suo tempore executioni mandando. Simile quoque esse debet propositum deserendi officinm, aut munus periculosum, quemadmodum Sanctus Matthæus suum omninò deseruit, ad quod non ampliùs sit redeundum: propositum item res alienas & honorem restituendi; & quoduis damnum, & iniuriam, quam proximo intuleris, reparandi. Nisi enim hæc adsint proposita, non potest dimitti peccatum. Adeò verò certum ac resolutum propositum esse debet, vt Confessario tuo dicas quod Zachæus Christo D N. i *ecce dimidium bonorum meorum, Domine,* Do *pauperibus*; & *, si quid aliquem defraudaui,* Reddo *quadruplum.* non dixit *dabo* & *reddam,* sed Do & Reddo, quia id facere adeò firmiter statuebat vt, factum reputaret.

Occasiones proximæ deserendæ.

g *Mat.* 18. 8.

h *Ps.* 100. 8

Minimum affectu.

Restitutio facienda.

i *Luc.* 19. 8.

DENIQVE firmissimum etiam propositum adesse debet vitam tuam emendandi, & omnia præcepta legis diuinæ Ecclesiæ, & quæ status tui sunt propria custodiendi nullo prætermisso, quod grauis culpæ te reum constitueret: etiamsi hoc nomine quemuis laborem, & incommodum temporale subiturus esses. Et quamuis opus non sit, huiusmodi comparationes facere: expedit tamen eas facere, vt certior sis de tui propositi firmitate circa ea, quæ ordinariè occurrunt. Nec opus est exprimere v. g. etiamsi afficiar ignominia, aut fortunæ bonis spolier, aut vitam amittam, quemadmodum Martyres: tale peccatum non admittam. Expedit tamen expressè dicere: quamuis iterùm occurrat mihi occasio, tentatio, quæ nuper me superauit non patiar me iterùm superari. Nam *primum* natura ipsa includitur in Contritione; neque est cur ea exprimendo, qui imbecilles sunt, periculo exponantur titubandi, si tales faciant comparationes: *Secundum* verò magni momenti est, vt præsens resolutio firmior sit, quàm præcedens: statuendo nunc, difficultatem omnem superare, ac deuorare, quæ causa fuit præcedentis lapsus.

Proposita vera non semper efficacia.

NON tamen existimandum est, proposita non fore vera & sufficientia, ad Contritionem & Confessionem, propterea quòd in eorum executione posteà deficias: possunt enim hæc duo esse simul: vt aliquid firmiter apud te constituas, innixus diuinæ gratiæ: sed in executione deficias, ob tuam debilitatem. Illud quoque aduertendum: omnia prædicta proposita non solùm ad Contritionem, sed etiam ad veram Attritionem esse necessaria: hoc enim solum interest, quod Contritionis sint ex amore, Attritionis verò ex timore.

Eadem proposita requiruntur ad Attritionem.

§. 2. *Contritionis motiua.*

SVPEREST doloris peccatorum motiua indicare. nam licèt is dolor sit donum DEI: procurandus tamen est nobis aliquibus considerationibus, ad eum impetrandum efficacibus. ne nobis obijciat DEVS, quod dixit per Ieremiam: a *nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci?* ingredere igitur intra teipsum, si vis ad perfectam tuorum peccatorum Contritionem impelli & reuocans ea in memoriam, vt magis erubescas, dicas tibi ipsi, QVID FECI, cum peccaui? quid contra Creatorem meum feci? quid contra meum Redemptorem? quid contra meam animam? quid contra proximos? & quid contra omnem Creaturam?

a *Ierem.* 8. 6

I. *Peccatum Creatorem offendit.*

ET incipiens à primo: dic tibi ipsi quid ego feci contra meum *Creatorem* qui tanta pro me fecit? ipse me ex nihilo creauit, & ego ipsum pro nihilo offendi; ipse me ad suam imaginem & similitudinem fecit, ego imaginem illam deleui, ac dæmonis similitudinem indui; ipse mihi potentias & sensus largitus est, vt ei seruirem, & ego eisdem abusus sum, vt

cum offenderem: Mundum hunc visibilem pro me creauit, & ego, quantum in me fuit, totum contra illum conuerti. Hæc feci contra meum Creatorem. sed quid contra meum Redemptorem, qui tanta fecit ac perpessus est in mei gratiam? quid mea gulæ intemperantia feci, nisi Redemptori meo fel & acetum iterum propinare? quid mea superbia, feci, nisi eiusdem caput spinis iterùm pungere? quid proprio mei amore, nisi lancea latus eius aperire? quid furtis & concupiscentijs meis, nisi dorsum eius flagellis lacerare? quid prauis meis desiderijs & actionibus, nisi pedes & manus eius clauis transfigere, meisq; peccatis iterum crucifigere Filium DEI?

QVOMODO autem exprimere sciam, quid contra meipsum fecerim? animam enim meam culpa occidi, gratiaque & charitate expoliaui; DEI amicitiam perdidi, & cœlestem hæreditatem; feci meipsum Diaboli mancipium, & in perpetuum inferni carcerem me conieci: quis maiori me odio habuit, quã ipsemet me oderim. O quis crudelis adeò meus fuit inimicus, atque ipsum meum peccatum. O me miserum QVID FECI?

QVID etiam feci contra meos proximos? Nam alios temporalibus bonis per fraudem spoliaui, alijs per murmurationes honores detraxi; alii, ob scandala illis à me data, animæ vitam perdiderunt; alij per iram meam, corporis damnum subierunt. Denique peccatis meis matrem meam Ecclesiam contristaui; Iustos fratres meos afflixi; Angelos pacis ad planctum prouocaui; &, quod in me fuit, creaturas feci proditrices, dum eis sum vsus contra communem Creatorem. Si itaque tantum est malum, quod perpetraui, quid faciam, vt illud dissoluam? quomodo Creatorem meum placabo? Redemptori meo reconciliabor? quid faciam, vt amissa recuperem, & proximis, quod male illis abstuli reddam? Scio quid faciam, ibo cum b *Maria Magdalena ad pedes Iesu Christi Domini mei*, facti mei pœnitudine ac dolore cor meum ibi conteram; lacrymarum torrentes, propterea, quòd ipsum offenderim, affundam: & ad pedes Ministri eius omnes meas culpas aperiam; meque omninò ei subijciam, vt, quæcunque in earum satisfactionem ille mihi iniunxerit, subeam: per quod medium de misericordia Domini mei confido, quod gratia sua dignabitur totum damnum dissoluere: quod mea ego culpa contraxi.

HVNC in modum feruens illa pœnitens peccata sua ad CHRISTI pedes defleuit. de qua Sanctus Gregorius: *considerauit quoa fecit, & noluit moderari quid faceret.* Viua enim eorum, quæ fecerat, consideratio eam impulit, vt extraordinarijs illis, quæ refert Euangelium, medijs, ea, quæ fecerat, dissolueret: quemadmodum ad finem primi Tractatus indicauimus.

EXTOLLAMVS adhuc quatuor has considerationes quatuor alijs, quas indicat S. Bernardus his verbis: cogita in DEO tuo quatuor hæc occurre-

2. *Redemptorem.*

3. *Animam propriam.*

4. *Proximos.*

Creaturas.

b Luc. 7. 12.

Homil. 33. in Euang.

Serm. 16. in Cant.

re, quòd sc. sit CREATOR, quòd sit BENEFACTOR, quòd ut PATER, & DOMINVS. Ad omnia reus es, plange per singula. Ad primum & vltimum respondeat timor tuus: ad duo media *pudor*. PATER sanè non metuitur, cùm pater sit: Patris enim est misereri semper & parcere. Et si percutit, virga non baculo percutit; & cùm percusserit, sanat. paterna vox est: percutiam & ego sanabo. Non est proinde, quod à patre formides, qui etsi quandoque feriat, vt emendet; nunquam tamen, vt vindicet. At verò cogitantem, quòd PATREM offenderim, est certè quod pudeat: etsi non quòd terreat. Voluntariè genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deindè etiam nõ pepercit vnigenito, pro sic genito. Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem c *Exitus aquarum deducite oculi mei*: d *operiat confusio faciẽ meam*, vultum meũ pudor suffundat, occupetque caligo. e *Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*. Proh pudor, f *quem fructum habui, in quibus nunc erubesco*! si g *in carne seminaui, de carne*, non *metam* nisi *corruptionem*: si in mũdo, &, h *ipse transit & concupiscẽtia eius*. Quid? caduca, vana, & propè nulla; & quorũ finis mors est. infelix & insanus præferre non erubui æterni Patris amori & honori! Cõfundor, cõfondor audire: i *si ego Pater: vbi est honor meus?* Sed & si Pater nõ esset: obrueret me beneficijs. Instaurat aduersũ me testes (vt alia innumera taceam) huius corporis victũ, & vsum temporis huius, & super omnia sanguinẽ dilecti filij clamantem de terra. Pudet ingratitudinis: quanquam ac confusionis cumulum, arguar etiam k *reddidisse mala pro bonis & odiũ pro dilectione*. Minimè quidẽ mihi à BENEFACTORE, sicut nec à patre timendum. Verus quippè beneficus est, dans affluenter, & non improperans. Non improperat dona quia dona sunt: & beneficia sua mihi dedit non vendidit. Denique sine pœnitentia sunt dona eius. At quãtò de illo benigniùs; tantò de me indigniùs sentire cogor. Erubesce & dole nihilominus anima mea quoniam etsi illum non repetere & non improperare decet: nos tamẽ omninò dedecet ingratos immemoresque extitisse. Heu, *quid* vel nunc tandem *retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*? Quod si segnior fortè suas partes minus exequitur pudor: timor sanè excitetur in adiutorium. EXCITETVR, *vt* EXCITET. Sepone parum pia vocabula benefactoris & patris, atque ad austeriora conuertere. Nempè qui legitur m *Pater misericordiarum* & DEVS *totius consolationis*: Legitur nihilominus: n DEVS *vltionum Dominus*. Legitur: o DEVS *iudex iustus & fortis*. Legitur: p *terribilis in consiliis super filios hominum*. legitur DEVS *Zelans*. Quòd pater est, quòd beneficus est, tibi est: quòd Dominus ac creator, sibi.

c Psal. 118. 136
d Psa. 68. 8.
e Psa. 30. 11.
f Rom. 6. 21.
g Gal. 6. 8.
h 2. Io. 2. 17.
i Mala. 1. 6
k Psa. 108. 5
Psal. 115. 12.
m 2. Cor. 1. 3.
n Psal. 39. 7.
o Psal. 7. 12.
p Psal. 67. 5

Etenim

Etenim propter semetipsum fecit omnia, scriptura teste. Qui ergò, quòd tuum est, tibi defendit ac seruat: putas & pro se aliquando non celabit! putas sui non requiret principatus honorem? q *Propter hoc irritauit impius Deum, quia dixit in corde suo, non requiret.* Et quid est in corde suo dicere, *non requiret*, nisi non metuere, quòd requirat? Sed requiret vsque ad nouissimũ quadrantem: requiret & r *retribuet abundanter facientibus superbiam.* Requiret à redempto seruitium, honorem & gloriam ab eo, quẽ psalmauit. Esto quòd dissimulet pater, ignoscat beneficus: sed nõ DOMINVS & Creator. Et qui parcit filio, non parcet figmento, nõ parcet seruo nequã. Pensã; cuius sit formidinis & horroris, tuum atque omnium contempsisse factorem, offendisse DOMINVM maiestatis. Maiestatis est timeri, DOMINI est timeri, & maximè huius maiestatis, huiusque DOMINI. Nam si reum regiæ maiestatis quamuis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum sit, qui finis contemnentium diuinam omnipotentiam erit? tangit montes & fumigant: & tam tremendã maiestatem audet irritare vilis puluisculus, vno leui flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus? ille s *timendus est, qui postquã occiderit* corpus, potestatem habet *mittere in gehennam.* Paueo gehennam, paueo iudicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Cõtremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem & sulphur, & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. t *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum* vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula: & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, & cõsumentium? Heu me Mater mea, vt quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ! u *cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus*, natus in combustionẽ, & cibus ignis? Hucusque S. Bernardus, qui non minus eleganter, quàm piè hortatur nos ad considerationem eorum, quæ filialẽ *timorem* & sanctum *pudorem* in nobis excitent ob Deum offensum, sicut & timorẽ pœnæ subeundæ. Nec hi timores erunt sicut x *Baculus Elisæi*, qui per manum Giezi superpositus mortuo neq; vocem ei dedit neq; sensum, nam baculus diuini timoris, si cor tuum tãgat, etiamsi propter culpam sis mortuus, excitabit te, vt eam sentias; aperietque os tuum, vt clamans ad Deum, veniam petas de tuis erratis; & oscitare incipies, gratiæque vitam recipere: non enim baculum hunc ponit Giezi, puer Prophetæ, sed ipsemet Propheta: nec seruorum est timor, sed filiorum, qui virtutem habet ad illos per amorem cum Patre suo reconciliandos.

q *Psal.* 9. 33.

r *Psal.* 9. 33. 24.

s *Luc.* 12. 5.

t *Ier.* 9. 1.

u *Iob.* 3. 12.

x 4. *Reg.* 4. 31.

CAPVT IV.

CONSIDERATIONES SEPTEM DE PECcatis, quatenus illa diuinam Maiestatem & Christum Seruatorem nostrum offendunt: quæ iuuant ad perfectam Contritionem.

QVAMVIS in nostro libro MEDITATIONVM aliquot fuerint positæ de peccatis: ad perfectum eorum dolorem & Contritionem concipiendam: subijciemus tamen hic septem adhanc Contritionem perfectius consequendam, quæ proindè vsui esse poterunt præparantibus se ad Confessionem: ijs præcipuè, qui illam frequentant. Nam hac varietate tædium remouebitur, dolorque & lacrymæ crescent, expensis veritatibus adeò claris ac firmis, vt exijs, quæ in singulis subijciemus, apparebit.

Consideratio prima de peccatis, quà tendunt contra Dei naturam æternam & infinitam.

1. *Deus æternus & infinitus.*
1. *Punctum.*
a *Exod.* 3, 14
b *Isai.* 40. 17

CONSIDERANDVM itaque primùm est, DEVM D. N. esse naturam quandã infinitæ perfectionis, adeò vt solus ipse dicatur ESSE, *a* QVI EST, & b *omnes gentes, quasi non sint, sic esse coram eo; & quasi nihilum & inane reputari*: & in eo inueniri perfectiones oẽs rerum creatarum, & quæ creari possunt; & quidem vnamquamq; cum eminentia quadam infinita: ex quibus omnibus oritur adeò immensa pulchritudo, vt rapiat cor cuiusuis eam aspicientis; sitq; impossibile, clarè eam videre, & summa charitate eam non amare. Ex quo fit, vt lethale peccatum, eò quòd, teste S. Thoma; tendat contra infinitam hanc Dei naturam, fit quædam iniuria infinita: in qua innumeri inueniantur malitiæ modi, & singuli quasi infiniti: eò quòd iniuria illa sit contra infinitam bonitatem Dei, contra infinitã eius charitatẽ, misericordiã, & iustitiam: & quemadmodum impossibile est, vel cogitare rem aliquã Deo maiorẽ, aut præstantiorẽ: ita nulla potest esse iniuria maior, quam quæ fit Deo. ideò enim dixit Dauid: c *tibi soli peccaui.* cùm. n. omnes creaturæ coram eo sint nihil: etiã iuiuriæ contra eas, sunt quasi nihil; si cum eius offensione conferantur. Ac propterea etiam S. Iacobus Apostol. d *quicunq; ōffendit in vno, factus est omnium reus*: nam offendit Deum, qui est natura quædam infinita, in quo omnia continentur. ô DEVS meus & omnia! fateor: e *peccata mea multiplicata esse super capillos capitis mei, & super arenas maris.* Nã vel vnico eorum infinitas pefectiones tuas offendi. ô si possem infinitos

Peccatum est infinita Dei iniuria. 1. 2. q. 87. a. 4. & 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.

c *Psal.* 50. 6.

d *Iacob.* 2. 10

e *Psal.* 39. 13

sentire

sentire dolores, cùm sint infiniti tituli & causæ, quæ ad eos concipiendos me vrgent! peccaui in bonitatem tuam, quàm diligere debebam; in iustitiã, quam timere; in supremam excellentiam, quam adorare ac venerari, eique seruire tenebar: per easdem peto supplex, peccatorum meorum veniam. Et hunc in modum ratiocinari licebit per reliqua diuinitatis attributa.

2. Punctũ.

DEINDE considerandũ: hanc Dei naturã ita esse vnã in se, vt sit impossibile plures esse Deos: & qui tentaret plures introducere, eum esse tanquã proditorem; qui, cùm in toto regno vnicus tantum sit Rex legitimus; id agit vt eo repulso, alius constituatur; aut vt regni comes illi adiungatur. vtrumq; aũt horum crimen esse læsæ maiestatis: ac proinde horrendo supplicio dignũ. Ex quo intelliges tui peccati grauitatẽ, directè contra hãc Dei vnitatem tendentis: tot enim Deos tibi constituis in corde tuo, quot sunt creaturæ, quas contra ipsius voluntatem diligis, collocans in eis vltimum tuum finẽ. hoc enim facto (quod in te est) studes spoliare Deũ vnico suo ESSE & maiestate; aut socium illi adiungere; collocando, sicut fecerunt f *Philistæi* in eadem ara *arcam Testamenti, & idolum Dagon*. Nam licèt fide credas & fatearis, vnum esse solum verũ Deum: opere tamẽ plures Deos nouos, & falsos admittis, Attende itaq; proditor, tuæ proditionis grauitatẽ: qua insurgis contra Deum infinitæ maiestatis, conãdo adiungere illi in socium creaturã, quę est infinitæ vilitatis. Ex vtraq; itaq; parte scelus tuũ sine mensura crescit, de quo Deus ipse conqueritur, dicens per Prophetã: g *cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem*? vilissimæ creaturæ, quæ h *corãme quasi nihilum est, & inane*! ô stulte, i *cui similem fecisti Deum*? cui *eum coæquasti*, qui æqualẽ non habet? nec in cęlo, nec in terra est, qui possit cum illo cõparari. Gẽtes (ait Sapiens) k *incõmunicabile Dei nomen lapidibus & lignis imposuerunt*, tu verò ventri & pecuniæ; & cuicunq; alteri rei, propter quã peccatum admittis, Dei nomen imponis. ô DEVS infinite, quomodo tantã iniuriam tolerasti! ô pater æterne, qui tuã diuinitatem filio & Spiritui S. communicas, quomodo non sumpsisti vindictam de præuaricatore, qui conatus est diuinitatem tuam creaturæ, in qua vltimum suũ finem collocauit, cõmunicare? dimitte mihi, Domine, hanc iniuriam, quam admisi: vt l *per dona tua efficiar diuinæ tuæ consors naturæ*; gratiæque tuæ similitudo mihi reddatur.

f 1. *Reg* 5. 2.

g *Isai.* 46. 5.
h *Cap.* 4. 18.
i *Psal.* 88. 7.

k *Sap.* 14. 21

Vilem rem Deo præponit.

l 2. *Petr.* 1. 4

Hoc ipsũ poteris adhuc magis perpẽdere, si naturæ huius diuinæ æternitatẽ aspicias: quæ nec initiũ habuit, nec finẽ; aut mutationẽ aliquos iã in suis omnib⁹ perfectionibus habere potest. Et quicunq; temerè tẽtaret bellũ in Deum mouere, & aliquid eorum, q̃ in se habet, detrahere: similis ei erit, qui expuit in cęlũ, & sputũ ipsum super oculos eius cadit: Nã talis conatus nõ potest Deum attingere, cui nihil nocere potest: Ideoque pœnam accipiet stultâ suâ audaciâ dignam. Talem (ait S. Bern.) esse voluntatem propriam,

3. Punctũ.

Serm. 3. de Resurrect.

dum

dum peccat: nam, quod in se est, omnia, quæ Dei sunt, tollit & diripit: imò & ipsum Deum perimit. omninò enim vellet, Deum peccata ipsius aut vindicare non *posse*, aut *nolle*, aut ea *nescire*: vult ergò, eum non esse Deum: quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei *potentiam*, *Iustiam*, *Sapientiam* perire desiderat; qui æternus est & immutabilis! ô quàm iustè DEVS me horrendùm puniuisset, siquidem vel manum ad gladium apponere contra Regem tali pœna mulctatur. O si quis m *oculis meis daret fontem lacrymarum, vt plorarem die ac nocte* meas scelera: n *quia te dereliqui fontem aquæ viuæ, fodi vero cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*: siquidem æternũ bonũ cũ perituro, & infinitũ cum bono valdè limitato commutaui.

m *Iere. 9. 1.*

n *Cap 2 13.*

Secunda Consideratio de peccatis, quà sapientiæ & immensitati Dei aduersantur.

II. *Deus sapiẽs & immẽsus.*

1. *Punctum. Deus omnia videt.*

CONSIDERA primùm infinitam Dei sapientiam, qua cognoscit, & clarissimè videt res omnes etiam occultissimas; cui nulla omninò potest abscondi ex omnibus quæ cogitantur, dicuntur, & fiunt in mundo: ac proinde cùm peccabas, DEVS te peccantem aspiciebat: a *in omni* enim *loco* (ait Sapiens) *oculi Domini contemplantur bonos & malos*. quamuis ipsa iniquitas adeò sit horrida, b *oculi* verò ipsius *adeo mundi*, vt alter Propheta dicat, quod *respicere ad iniquitatem non possit*, vt eam scilicet approbet, quã potius reprobat & peccatorem odit: quiin ea delectatur. propterea enim dicitur, quod c *auertat oculos suos* & d *faciem suam* à peccatoribus, vertatque illis dorsum, tanquam hostibus suis.

a *Prou 15. 3.*

b *Habac. 1. 13.*

c *Isai. 1. 15.*

d *Psal. 43. 24.*

QVID igitur facitis oculi mei? cur non lacrymas funditis, quod Deum vestrum coram ipsius oculis offendere ausi estis? ô me cæcum, qui non attendi, quòd me DEVS aspiceret, cùm peccabam? agnosco, Domine, culpam meã & peccatum meũ coram me est semper, conscientiam meam crucians: quia e *tibi soli peccaui & malum coram te feci*, hoc est, quod me maximè confundit, & pudorem affert: quod peccauerim coram te, qui solus es DEVS meus, Iudex meus & Pater meus. O Pater mi, f *peccaui in cælum & coram te!* qui ergò me peccantem patienter aspexisti, aspice & nunc benignè pœnitentem.

Coram Deo peccare magna impudentia.

e *Ps. 50. 6.*

f *Luc. 15. 18.*

2. *Punctum.*

PERGES vlteriùs considerare, quòd, quando tu peccabas, DEVS non solùm à longè & ex cœlesti throno gloriæ suæ te aspexerit, sed etiam ex proximo: quia & ipse propè te erat & tu propè illum: nam immensitate sua cælos & terram implet, nihil relinquens vacuum; & tu intra ipsum versaris, sicut pisces in aqua, aut infans in vtero materno: ita enim ipse DEVS

loqui-

loquitur: g *qui portamini à meo vtero vsque ad senectam: ego ipse & vsque ad canos ego vos portabo.* Quæ ergò tanta fuit temeritas tua, vt Deum offenderes non solùm in eius cõspectu, sed propè ipsum, imò intra ipsum manens? gestabat te ipse intra sua viscera, quæ tu tanquam viperinus fœtus, quod in te fuit, lacerare voluisti, vt extra illa vitam in laxitate duceres. ipse te prope se habebat, vt defenderet; tu eras propè ipsum, vt offenderes. O DEVS immense, quàm es propè me, & quàm procul à me? propè: quia in te viuo; longè verò ob dissimilitudinem vitæ meæ à tua. Ignosce, Domine, ex misericordia, & fac me propè accedere in sanctitate vitæ.

g *Isai 46 13.*

3 *Punctum.*

ADHVC vlteriùs considerabis, non solùm te intra ipsum Deum vitam agere: sed etiam Deum ob suam immensitatem esse intra te; tuumq; corpus & animã magis intimè penetrare, quàm anima ipsa corpus penetret. quamobrem quemadmodum corpus tuũ dicitur animæ tuæ habitatio, ita dicere licet suo modo, quòd anima tua, & corpus tuũ habitatio sit diuinitatis, intrà te ipsum per Essentiam, præsentiam, & potentiam, sicut in alijs creaturis existentis. Quare cùm corpus tuũ & animam peccatis maculas: Deo præbes hospitium sordidum, horridũ, eiusq; puritate infinita indignũ: simulq; cum illo in eandẽ habitationẽ recipis eius hostẽ Dæmonẽ, qui habitat vbicumque est mortale peccatũ. Et quamuis nihil Deo ex nequam hoc hospite adhæreat: tibi tamen ipsi non expedit, eum illi adeò inurbanè adiungere, tradereque Dæmoni optimam tui hospitij habitationem, ipsum scilicet cor tuum: & expellere inde Deum, ne per gratiam in te habitet. O DEVS vltionum! quomodo tantam meam inurbanitatem toleras? quomodo non redegisti in nihilum domum hanc, in qua manebas: ne cum tali comite in ea habitares? Cùm igitur ex misericordia me sustinueris, destrue in me peccatum, vt tu inposterum habites in me solus.

Tertia Consideratio de peccatis, quà aduersus Dei omnipotentiam & prouidentiam tendunt.

3. *Deus omnipotens & prouidens.*

1. *Punctum. Tres digiti Dei a Isai. 40. 12.*

CONSIDERA primùm, Deum omnipotentem, omnipotentiam suam in conferendis tibi innumeris gratijs ac beneficijs occupare. Quotquot enim bona intrà & extrà te habes: omnia ab hac omnipotentia procedunt; quæ illa contulit, &, vt essent, dedit; eademq; illa conseruat, sine qua neq; ad momentũ durare possent: a *appendit* enim te *tribus* suis *digitis*, *cognitione* scil. sua, *amore*, ac *potentia*. Qui si te dimitteret: *mox* redires in nihilum. Quomodo ergò nõ aduertis hic innumera doloris motiua: cùm vides te Dominum adeò potentem, & benefactorem infinitum offendisse: Creatorem & conseruatorem perpetuum? Ille te ex nihilo condidit: tu ob nihilum eum offendisti; ille tuæ conseruationi attendit: tu eius offensioni; pendes ex eius digitis: ex quibus etiam iniuriũ nõ dimittit; veteris eius creaturis

Beneficia Dei infinita.

in eius offensionem: quas tamen non propterea tibi subtrahit: ostendens in his omnibus non minorem esse suam charitatem, quàm sit omnipotentia: quia etsi hac posset te in nihilum redigere; illâ tamen eum continet, & ad te sustinendum inclinat. Adiuuet, quæso Domine, tua omnipotentia: vt semper in tuo perseuerem obsequio, sicut tu in beneficijs conferendis.

2. Punctum.

EMICAT verò multò amplius hæc Dei omnipotentia, cùm concurrit continuè, adiuuatq; omnes creaturas in omnibus earũ actionibus: cum *sole* enim concurrit actu, vt illustret; cum *igne*, vt calefaciat; cum *aqua*, vt refrigeret; cum *cibo*, vt tibi sapiat; cum *vino*, vt oblectet atq; confortet. Concurrit cum *animantibus* ad omnia eorum opera, quæ ad tuam vtilitatem & oblectationẽ faciunt; cum omnibus *hominibus* ad ea, quæ in tuũ faciunt cõmodum; & super omnia continuè est paratus, concurrere tecũ in vsũ omniũ *potentiarum & sensuum* tuorũ: ipsius enim actuali auxilio audis, vides, comedis, ambulas, cogitas, vis, facisq; omnia tua negotia. Ita vt si concursus hic Dei tibi deesset: nihil omninò efficere posses. b DEVS enim (ait Isaias) *omnia opera nostra operatus est in nobis*: eiusque auxilio nos ea facimus. Hinc magnâ licet haurire admirationem, & stuporem, tàm de beneuola Dei omnipotentia, quæ in omnibus tuis operibus, etiam in quibus eum offendis, quoad id quod culpa non est, te adiuuat, tecumq; concurrit: quàm de summa tua ingratitudine & impudentia, qua diuinâ eius omnipotentiâ eiusque concursu vteris, ad ea, quæ ipsũ offendunt. O insane! quis tuos oculos, aures q; adiuuat: vt videant & audiant: nisi DEVS! cur ergò arma efficis ad illum offendẽdum, ex potentijs & auxilijs, quæ tibi dedit ad ipsi seruiendũ? cur deseruisti Deum, vt abutereris creaturis, quibus ipse suum præbet concursum: vt earum vsu tu illi seruias. O si tot doloris actus habere possem: quot illæ sunt res, quibus in meam oblectionem sum abusus!

Deus operatur in omnibus creaturis.

b *Isai. 26. 12.*

Peccator abutitur Deo.

3. Punctum.

PERPENDES denique exactissimam Dei circa res tuas prouidentiam, quam per suã omnipotentiam stupendâ efficacitate exequitur. Nam ab ipso die, quo te creauit, semper tui curam gessit, prospiciẽs de alimento, vestitu, habitatione & suppellectili necessaria: attendens tuæ vitæ, saluti, oblectationi, honori, & fortunis: liberauit te ab innumeris periculis, morbis, ignominijs, indigentijs & calamitatibus: & in his omnibus innumera tibi cõtulit beneficia *occulta*, præter manifesta, quæ tu agnoscis. Quæ omnia vt tibi conferret, totã huius mundi machinã disponit, ac dirigit: prouidentiam suã exequẽs per cœlos, per Elementa, cæteras q; spectabiles creaturas; & per ipsos angelos, quibus earum gubernationẽ commisit. te verò iubet oẽs tuas curas in eius prouidentiam proijcere: se enim ea omnia in se recipere, vt tu liberius in eius seruitio occuperis. Sed eousq; tua ingratitudo peruenit: vt semper in eius offensione te occupaueris. Conuertere itaq; in teipsum, di-

Deo tuæ est homo; Deus homini contemptui.

c *Deut. 32. 6.*

cens

cens tibi illud Moysis:c *Hæccine reddis Domino, homo stulte & insipiens? nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* cur ergò pro tot beneficijs, tot illi peccata redidisti? Patrem tuum iniuria affecisti? creatorem contempsisti? gestantem te in vlnis suis tanquam nutricem, vestientem tuâ nuditatem, famem saturantem, dantem tibi quicquid habes? huic inquam tot reddis iniurias? redeas igitur ad teipsum sicut filius ille prodigus: & prosterne te humiliter cœlesti tuo Patri: siquidem amica eius & beneuola prouidentia etiam ipsam tuam pœnitentiam complectitur, vt propter eam te liberet à tua miseria.

Quarta Consideratio de peccatis, quà infinitam Dei charitatem & misericordiam offendunt.

Deus bonus & misericors.

1. Punctum. Ab æterno dilexit nos Deus.

CONSIDERA primùm: DEVM Dominum nostrum ab ipsa sua æternitate, & à quo DEVS est tui memoriâ habere, teque diligere: non ob tua merita, neque propter obsequia, quæ illi eras præstiturus; sed ex sua sola bonitate ac misericordia, miserans miseriæ, qua in immensam nihili abyssum eras immersus: videns enim sapientia sua innumeros homines in ea abysso: coniecit in te oculos suos, teque amauit ac dilexit, statuens dare tibi esse cum omnibus naturæ bonis & ornamentis, quæ nunc habes. Et quoniam Dei amor non sistit in verbis, sed progreditur ad *opera*: suam illam beneuolentiam tempori est per suam omnipotentiam executus; addens semper charitatem in ijs beneficijs, quæ tibi confert. Cùm amore enim te condidit, & conseruat; cum amore te sustentat, tecumque concurrit, hac ratione te obstringens, ad redamandum, te priùs amantem; & cum amore facienda ea, quæ ipsius sunt obsequij: quemadmodũ ipse cũ amore facit opera tibi vtilia & ad illum continuè in tua memoria habendum, vt ipsum colas, eique obedias: quemadmodum ipse ab æterno te habuit in sua memoria, vt tibi faueret, ac indulgeret. Tu verò miser, quid feci sti, aut iam facis? obliuisceris a *eius, qui nunquã tui obliuiscitur*; deles ex tuis manibus *eũ, qui in suis te descripsit*; eum non amas, qui semper te diligit: & potiùs eum sæpè odio habes. &, sicut alter ille populus ingratus, oblitus es Dei creatoris tui, Saluatoris, & potentissimi auxiliatoris. Nam ipse ait: b *etsi mulier oblita fuerit infantem suum, vt non misereatur filii vteri sui: ego tamen non obliuiscar tui.* tu verò eius obliuiscaris, qui te gestat in vlnis suis, c *virgo non obliuiscitur ornamenti sui, nec sponsa fasciæ pectoralis suæ: tu vero oblitus es Dei* te diligentis, omniaque largientis, quæcũque habes. O DEVS benignissime, quid iam mihi faciendum, nisi vt amoris lacrymas fundam ob admissa peccata contra eum, qui me adeò diligebat: sperans de tua misericordia. quòd quemadmodum Magdalenæ, dices animę meæ: d *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; & cum amore niam eorum petijt.

In tempore exequitur.

a *Isai. 49. 15. Peccator obliuiscitur Dei.*

b *Isai. 49. 15.*

c *Iere. 2. 32.*

Amantem redama.

d *Luc. 7. 47.*

2. Punctum.

VLTERIVS perge, infinitam hanc Dei charitatem & misericordiam perpendere: quæ in eo adhuc plurimùm emicat: quòd non destiterit ab amore, & misericordia sua erga te, etiã postquàm eum offendisti, factus es eius inimicus, adeoq; ingratus omnibus beneficijs ab eo acceptis. Nam potius e *pater hic cœlestis, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos: pluitq; super iustos & iniustos*, eodem modo tecum perrexit, quo antea: largiendo tibi vitam, facultates, honores, & bona reliqua temporalia: vt hac misericordiæ & immensæ charitatis exhibitione te prouocaret ad desistendũ ab eius offensione; & incipiendum diligere eum, qui nõ solùm te dilexit, cùm non promeritus esses eius amorem, eò quòd nihil esses: sed etiam cùm ob tua peccata indignus esses, quem ipse diligeret. Quamuis enim tua peccata detestetur, amat tamen bonum naturæ, q̃ in te posuit; optatq; illud suâ gratiâ reformare: teq; vt ad id te disponas, hortatur, & impellit. idque totum facit æterno quodam amore. Nam à sua æternitate id facere decreuit: f *in charitate*, ait, *perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans tui.* ô amator æterne, qui me, à quo DEVS es, diligis: cuius g *charitas* tanta fuit, vt *aquæ multæ* mearum culparum *non potuerint* accensas eius flammas *extinguere*! optarem te dilexisse, tibiq; in omnibus placuisse à primo instanti, quo fui rationis vsum assecutus; nec vnquam hunc amorem meis peccatis rupisse: sed quia id hactenus non præstiti, per amorem illum, quo me prosequeris, peto, mihi ignosci & auxilium conferri, ad te semper diligendum, sicut tu me diligis: vt nullæ tribulationum aquæ hunc amorem culpis nouis extinguant.

e *Matt.* 5. 45 *Deus peccata odit, peccatorem amat.*

f *Iere.* 31. 3.

g *Cant.* 8. 7

3. Punctum.

ADHVC ascendit altiùs Dei charitas, & h *misericordia* erga te. Nam quẽadmodum illa *est ab æterno*: ita, quod in se est, cupit eam esse sine fine, vsque in æternum; eo animo, vt singularia dona ac beneficia tibi conferat, tum in mortali hac vita, tum etiam in æterna. Quare non solùm teneris Deum diligere, eique ex animo seruire ob amorem, quem hactenus erga te habuit, & habet; & præterita & præsentia beneficia: sed etiam ob ea, quæ conferre tibi cupit per totam æternitatem. Quid itaq; existimas, ô infelix homo, te facere, cùm lethaliter peccas: nisi quòd manifesto periculo Deum in æternum odio habendi te exponas: si enim in eo peccato ex hac vita excederes, odium illud tuum esset æternum? & quomodo tua culpa non censebitur infinita, quæ tendit contra innumera & infinita beneficia, non solùm præterita, & præsentia, sed etiã futura, quæ Deus; quod in se est, tibi offert? ô quàm benè collocaretur æternus quidam dolor ad satisfaciendum pro tali peccato! offero tibi, Domine, desiderium quoddam, illud per totam hanc vitam deflendi, etiam si æterna esset; & aliud simul te diligendi, tuamque sanctam legem æternùm custodiendi: vt æternus sit amor meus erga te, sicut est tuus erga me.

h *Ps.* 102. 17

Amor Dei est & erit æternus.

Consi-

Consideratio quinta de peccatis quà Dei Iustitiæ & misericordiæ aduersantur.

Deus iustus & misericors.

PRIMVM considera, DEVM D. N. non minus esse Iustum, quàm misericordem. ad Iustitiam autem eius spectat, æquè peccatores castigare atque remunerare Iustos. Statim autem atque aliquis peccat, peccatum ipsum ante diuinum eius tribunal clamat, petens Iustitiam contra ipsũ peccatorem. Et nonnunquam ex occultis Dei iudicijs exauditur primi peccati mortiferi clamor: ferturque definitiua sententia, qua peccator damnatur ad infernum, quæ sententia statim executioni mandatur, quemadmodũ euenit Apostatis Angelis, ob primum peccatum in cœlo admissum; & innumeris hominibus, quos in primo delicto mors deprehendit. Interdum autem suspenditur sententia vsque ad secundum peccatum: & tunc promulgatur, & executioni mandatur. alias verò plura peccata expectantur, vt plus temporis pœnitentiæ relinquatur: donec eorum *clamor*, quemadmodum *Sodomorum, multiplicatus*, ita vrgeat diuinum ipsum tribunal, vt sententia eò seuerior expediatur, quò fuit patientia diuina diuturnior: vt simul omnia, & vno momento luant, quæ longo tempore perpetrarunt. Quod cùm ita sit: quos clamores dederint tua peccata ad Iustitiæ diuinæ tribunal, iustam contra te vltionem petentia? quis autem eam continuit, ne ad primum peccatum, aut ad secundum saltem, vel tertium de te vindicta sumeretur? Quis ipsum Iudicẽ flexit, vt diutiùs te expectaret, & longius tempus darẽt pœnitentiæ? Quod cùm opera tua non promererentur, signum est diuinam misericordiam se interposuisse, ac iustitiam ipsam continuisse: vt sic ad dolorem tuorum peccatorum, vitæque emendationem prouocareris. O Iustissime Iudex fateor, me iuxta diuinæ tuæ Iustitiæ leges promeritum fuisse infernum: sed cùm tua misericordia à tanto periculo me hactenus liberauerit: ego meum peccatum lugebo semper; non tam ob pœnam promeritam, quàm ob amorem, quo illam auertisti. En constituo me ante iustitiæ tuæ tribunal, cui diuina tua etiam misericordia assideat: vt in hac vita ea ratione me punias, vt gratiæ tuæ restituat. *Hic vre*, Domine, *hic seca vt æternum parcas.*

1. Punctum.

Peccata nos accusant.

Genes. 18.

S. August.

2. Punctum.

DEINDE considera, apud idẽ diuinæ Iustitiæ tribunal ipsa peccata petere vt etiam temporalia supplicia peccatoribus inferantur, ad aliorum exemplum & cautelam: Et huiusmodi petitiones sæpè exaudiri ideoque Dominum D. N. mittere morbos, rerum penuriam, ignominias, rerum pretiosissimarum & charissimarum iacturas, aliaque mille infortunia, quæ oculis tuis quotidiè perspicis euenire tuis conciuibus: & cum tua peccata similem etiam vindictam de te sumi petiuerint, distulit Iustitia diuina manumque retraxit à grauibus & ignominosis pœnis, quas intulit aliis, quas

Temporales pœnæ peccatis debitæ.

quas tu non minus fuisti promeritus, quam illi. Nullam enim pœnam aut supplicium sustinet vnus peccator, quod non sit etiam promeritus alter: cùm quodcunque sit minus ipso inferno, quem est promeritus. Quoties ob tuam gulam aliamve sensualitatem promeritus fuisti sanitatem amittere, aut in morbũ graue incidere? à quo tamen te Deus præseruauit: quoties in aliquod peccatum incidisti, quod si alijs innotuisset, euasisses infamis, aut bonam opinionem amisisses: DEVS verò ita rem dispossuit, vt maneret occultum: vt sic honori tuo consuleret: cùm tu peccatis tuis honorem illi detrahere studeres? Quis hoc totum effecit, nisi diuina misericordia, quæ miseriæ tantæ misserta, diuinæ Iustitiæ rigorem temperauit? Quod si aliquam tibi misit calamitatem: voluit, vt eò citiùs peccatum desereres, gemens ob causam, quam tali pœnæ dedisti. Nunc ergò lacrymas funde: non tam ob supplicium, quod es promeritus, quàm ob Deum adeò bonum offensum. qui cùm iustè potuisset iustitiæ rigore in te animaduertere: sese tamen continuit, & misericordiæ magnitudinem potiùs ostendit, miserans tui ob tuam imbecillitatem; aut tanquam filium puniens; commutans seueri Iudicis officium in beneuoli Patris animum.

COGITARE etiam licet, ad idem tribunal diuinum millies accessisse *Dæmones* petentes, integrè & plenè ipsorum te manibus tradi; aut potestatem sibi fieri, te grauioribus tentationibus, alijsque aduersitatibus prosequendi: Et similiter peruenisse aliquos *homines* à te affectos iniuria, petents & orationibus obsecrantes vindictam de te, quam ipsius Iustitiæ cõmittebant: ipsas quoque *creaturas*, rationis & sensus expertes, quibus cum Creatoris iniuria abuteris, veluti clamare ad idem tribunal, petentes *liberari* à tyrannide, qua in tua potestate premuntur. Et quãuis cõtra alios huiusmodi clamores sæpè exaudiantur, nõ tamẽ sunt cõtra te exauditi: vt hac ratione monereris audire clamores, quibus diuina misericordia te prouocat & impellit ad clamandum, vt tuorum peccatorum veniam lacrymis ac gemitibus obtineas.

a *Osea* 29.

3. *Punctum Virga & corona.*

DENIQVE cogitabis, Iudicem tuum iustissimum in suæ Iustitiæ tribunali sedentẽ, & in sinistra manu *ferreã virgã* tenentẽ, ad impios, qui in die Iudicij ad eam manum stabunt, puniendos & conterendos: quibus dicet b *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*; in dextera verò habentem *coronam* gloriæ, ad bonos, qui tunc ad latus eius dextrum stabunt, remunerandos, quibus dicet: b *venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

b *Matth* 25. 41. 34.

COGITA deinde, quòd nunc audias benignissimi huius Iudicis verba, qui ferream vĩrgam tibi ostendens, dicat; si vt mea Iustitia exigit, tuaque peccata promerẽtur, vellem tecum agere; meritò possem hac virga te comminue-

minuere,& in infernum præcipitare, quod,cùm facere noluerim, contere ipsemet cor tuum magna contritione, ego enim c *cor contritum & humiliatum non despiciam*;ostendens verò coronam gloriæ,tibi dicat: iuxta meæ iustitiæ rectitudinem, iam ob tua scelera coronam hanc amiseras: quam tamen hactenus ex magna misericordia tua tibi reseruaui, cupiens, te ea gaudere,si pœnitentiam agas,& vitam emendes.

c *Psa.50.19 Mors & vita in manibus tuis.*

3.

Qvæ verba vbi audieris profundè te supremo huic iudici prosternes: qui benignum adeò Patrē se tibi præbet;gratiasq;ages maximas ob tot beneficia,dicens cum Dauide.d *benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius:benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius:qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,qui sanat omnes infirmitates tuas:qui redemit de interitu vitā tuam,qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Quomodo verò non censebitur *corona* misericordiarum, cuius nec sit initium,nec finis?siquidem ab ipsa æternitate voluit te misericordijs replere:quibus etiam per totam æternitatem te coronare intendit? Quamobrem defleas peccata tua pœnitentia vera: vt reddat tibi DEVS e *coronam* quam *daturum* se promisit ijs,qui *cinere* se operiunt.

d *Psa.102.1.*

Corona misericordiæ æternæ.

e *Isa.61.3.*

Sexta Consideratio de peccatis nostris, qua sunt contra Christi D. N. Redemptionem.

VI. *Deus redemptor.*

1. *Punctum*

CONSIDERA imprimis, infinitam Dei Maiestatem, cùm innumera hominum peccata & tua ipsius in illis cerneret, decreuisse, ex mera sua misericordia, fieri hominem, vt remedium illis afferret; quo remedio omnes admirandas suas perfectiones manifestaret;quas proinde omnes tu offendis,cùm peccas:eādē verò te ad dolendum & pœnitendum prouocāt.

INFINITAM suam CHARITATEM ostendit PATER,a *sic diligens mundum,vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat;sed habeat vitam æternam.* Tu verò adeò fuisti malus, vt nec eum dilexeris,qui adeò te dilexit;nec magnifeceris donum adeò pretiosum ab ipso tibi oblatum:sed illud reieceris: vt expleres quod tuo palato arridebat. Et licèt Fide credas,& b *confitearis te nosse Deum,* quia tamen *factis eum negasti*, indignus factus es vita æterna.

2.

a *Ioan.3.16. Patris charitas.*

b *Tit.5.16.*

IMMENSAM suam BONITATEM FILIVS ostendit, cùm infinitam suam personam humanæ naturæ communicans, cum omnibus hominibus cōsanguinitatem inijt:vt donis à se oblatis eos deuinceret:& ipsi tanquā cognati ipsiusmet Dei incarnati ad ipsum accederent. Tu verò ab hac nobilitate degenerasti,teque abiecisti, vt fieres peccati vile mancipium: potius honori tibi ducens,fieri filium Sathanæ,quàm filium esse DEI,& Christi fratrem.

3.

Filij bonitas.

MISERICORDIAM suam manifestauit, compassus suorum inimicorum

3. *Misericordia.*

rum miseriis eorumq; debita in se recipiens: vt exquisita, subiens tormenta, ea ipse exolueret, illi verò liberi manerent. Sed tu adeò in eum durus fuisti, & crudelis; vt pro alleuiatione tanti oneris, nouis illud culpis auxeris, eum quodammodo cogens, ad nouos dolores tolerandos, si eorum esset capax; & ad noua subeunda tormenta, nisi quæ iam passus est, ad id suffecissent.

4. *Omnipotentia.*

OMNIPOTENTIAM suam patefacit, dum res adeò distantes, DEVM scilicet &, hominem in vna persona coniunxit: vt omnes homines cum ipso per gratiam vnirentur; & tandem etiam vnionem gloriæ assequerentur. Tu verò procul valdè ab eo te per superbiam separasti; eamque similitudinem, quam ille tibi offerebat, amisisti: vt eam indueres, quam serpens Euæ obtulit, si prohibito sibi fructu vesceretur.

5. *Iustitia.*

IVSTITIAM suam in eo ostendit, quòd noluerit dicta absque pœna condigna relinqui impunita: ita tamen vt eadem pœna potès esset, ad culpæ damna reparanda. Tu verò multiplicas nihilominus delicta, tanta contra diuinam Iustitiam irreuerentia, atque si huiusmodi solutio non præcessisset: dum, quod in te est, id efficis, pro quo non potest reddi æquale, nisi is reddat: qui DEVS sit & homo.

6. *Virtutes alia.*

DENIQVE hic ostendit LIBERALITATEM & FORTITVDINEM, & infinitas suas virtutes: vt exemplum tibi præberet, quod imitareris; & ea subsidia tibi compararet, quibus ad talia opera perficienda indigeres. Quæ tamen omnia tu peccando contemnis, nihili faciens exempla & auxilia, quę tibi obtulit; nec labores: quos pro te suscepit. Quamobrem meritò existimabis, tuum peccatum esse maius, quàm fuerit *Dæmonum.* nam illud non fuit contra DEVM incarnatum; nec contra Iesu Christi redemptionem, qui nõ est pro illis mortuus: Tuum verò summam continet ingratitudinẽ, vtpotè contra beneficium, quod non Angelis, sed solis hominibus fuit cõcessum. quod adeò est præstans, vt par nullum habeat. Hæc omnia simul, & eorum singula te ad peccata tua vehementissimo dolore deflenda prouocant, eò quòd contra DEVM adeò tibi beneuolum, tantumque tuum benefactorem, atque in supremo hoc beneficio apparet, sint facta,

2 *Punctum.*

CONSIDERA deinde licèt Christus D. N. quocunque actu suo sufficienter exolueret pro nostris peccatis, eò quòd fieret à Deo & homine, à quo illi valor infinitus proueniebat; voluisse tamen eam solutionem ac redemptionem fieri intensissimis doloris, ac tristitiæ actibus; nominatim ob nostra peccata; vt eo exemplo nos doceret, veram contritionem, eorumq; dolorem concipere, propterea nominatim, quòd essent contra infinitam Dei bonitatem, & innumera eius beneficia; ipsa enim ratio dictat, vt de propriis tuis peccatis ita tu doleas, sicut ipse doluit de alienis. Aspice itaque tuum Saluatorem tuis peccatis oneratum, quæ in sua memoria præsentia

habebat:

habebat: quorũ adeò vehementi dolore afficiebatur, vt nullus fuerit, nec in hac vita sit vnquam futurus illi par. Vt propterea optimè illi conueniat illud Ieremiæ: c *attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

c Thre. 1.12.

1. Mat. 26. Mar. 14. f Luc. 22. 43

Agonia.

INGENTIS eius doloris tria fuerunt indicia manifesta. *Primum* apparet ex ijs, quæ referunt Euangelistæ, cùm dicunt, quod d *cœperit contristari, mœstus esse, e pauere ac tædere, & esse in f agonia.* Aspiciebat enim hic Dominus super se peccata nostra: ex quibus, eò quòd & horrida essent, totiesq; reperta, *tædio* afficiebatur; *pauebat* verò, eò q̃ adeò essent fœda, ac temeraria; *tristabatur*, eò quòd voluntati gloriæq; æterni sui patris aduersarétur; in *agonia* etiã fuit, quã illi afferebat obligatio pro eis satisfaciẽdi, ne homines dãnarentur.

2. Sudor.

Ex quo *secundum* processit indicium, prodigiosus scilicet ille *sudor*, quo per omnes corporis poros sanguis erupit: vt cor, eius multitudine oppressum, subleuaretur: quo satis ostendebat eius anxietatem, & quàm essent terribilia peccata, quæ eam afferebant.

3. Christus esse beatus ob peccata dolere voluit.

HVC accedit *tertium* indicium. nam cùm in superiori spiritus sui parte summo gaudio lætitiaque frueretur, ob claram Dei visionem: hic nihilominus peccatorum aspectus sufficiens ei fuit, vt profundam adeò tristitiam agoniamque sentiret. vt ex hoc intelligeretur, quanta sit peccati fœditas: vt quæ sufficiat, quantumcumq; gaudium diluere in eo, qui sit alicuius pœnæ capax: etiamsi esset alioqui beatus. Quare hoc Saluatoris tui exemplum pro primario exemplari accipiens, altiùs res eadem considerabis, quas ille: cõtendendo tantum sensum habere, vt te prauæ tuæ vitæ plurimùm *tædeat*: *paueas* verò, timeasque ad eandem redire; summè *tristeris*, quòd in tantam deueneris miseriam; concipias etiam *agoniam* & anxietatem maximam, vt ex tanta miseria libereris: tantam in orando vim adhibens, vt præ anxietate *sudor* erumpat: donec impetres, quòd à Deo petis; etiamsi ad obtinendum sanguinem fundere sit necesse.

Imitatio Christi

3. Punctum.

Dolores Christi externi.

TERTIO considera: quamuis ad nostram Redemptionem, *interni* Seruatoris nostri dolores sufficissent, eum tamen voluisse horrendos quoque dolores *externosque* cruciatus addere: magnasque *ignominias* & contemptus sustinere: vt tu exactius cognosceres grauissimam tuarum *culparum* malitiam, & iniuriam; *pœnarum* verò terribilitatem, quarum propter reas factus es reus: vt sic vtrasque fugias, culpas præcipuè: summè dolens, quòd illæ causa fuerint, cur tuus Saluator tot cruciatus sustineret. Eò respexit illa ipsius ad filias Ierusalem sententia: g *nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.* quasi diceret, etsi meos hosce labores, & cruciatus deflere par sit; multò magis tamen vestra peccata, quæ illorum fuerunt causa, & incomparabiliter sunt peiora, ac digniora, quæ defleantur: nullũ siquidem peccato & culpa grauius est malum, nec pœna maior inferno: quò de-

g Luc. 23. 28

 neuie-

uenietis propter vestram in peccato obstinationem. *quia si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* si aliena peccata horrendos adeò cruciatus innocẽti afferunt: quales afferent peccatori? Ex his quos ego patior, cognoscere licet eos, qui vos expectant: nisi de vestris peccatis pœnitentiam egeritis.

1. *in domo Caiphæ.*

HAC itaq; adeò tremenda Saluatoris sentẽtia permotus, eius labores perpende; tua peccata, quę illorũ fuerunt causa defle: Accede ad domũ *Caiphæ*, & aspice à vili & abiecta turba circumdatũ; quę iniurijs illũ afficiebat, & mille modis vexabat, quibus omnibus tu eundem peccatis tuis crucias & torques. Tu illũ *conspuis*, cùm ex ore tuo horrida fœdaque verba profers; tu eius *oculos* velas, immemor quod ipse te videat: &, quasi te nõ aspiciat, eũ tractas; tu *colaphis* eũ cædis, cũ opera mala facis; tu eius euellis *capillos*, cũ tuis scãdalis proximos tuos ab eo retrahis; tu *blasphemias* & iniurias in eũ iacis, quãdo tua causa, Dei nomẽ blasphematur, & iniurijs ab alijs afficitur. Qui ergò vicẽ eius doluisses, si vidisses hos cruciatus sustinentem: doleas nunc multò ampliùs, ob tuas culpas, quæ eorum fuerunt causa: petasque de eis veniam.

2. *in prætorio Pilati.*

HINC consideratione tua perge ad prætorium *Pilati*, vbi copiosam flendi materiam reperies ob ea, quæ tuus Saluator patitur: quorum tu causa fuisti: Ineptæ enim & peruersæ electiones tuæ *Barrabam* ei proponunt; cupiditates & inobedientiæ tuæ terga eius *flagellis* aperiunt; curiositas in tuis vestibus *purpura* illum ob illusionem induit; ambitiones tuæ *spinis* eum coronant; vanitates tuæ *arundinem* pro sceptro ei porrigunt; tuæ hypocrises tanquã fictum *Regem* eum tractant; & peccatorũ tuorum multitudo contra reum clamat: *crucifige*: crucifige cùm sit multò æquiùs, contra teipsum clamare defle, defle; crucifige, crucifige teipsum cùm sit magis cõsentaneum, vt ipsemet peccator pœnam luat, qui culpam admisit.

3. *in monte Caluariæ.*

PERGE denique mente & consideratione ad montem *Caluarium*, vbi adhuc maiorem multò deflendi materiam inuenies. Peccatorum enim tuorum pondus grauem illam *crucem* humeris eius imponit; voluptates tui gustus vinum illi cum *felle* & *myrrha* propinant; voluptates sensuum tuorum *nudo* existenti pudorem afferunt; mali tui gressus eius *pedes*, & praua tua opera *manus* configunt, amor tuus proprius lancea *latus* eius aperit, & quoniam tu gratiam eius destruxisti, perdidit ipse *vitam*: Et tu repetitis culpis h *rursum crucifigis tibi ipsi Filium Dei*, i *quem conculcas, sanguinem q; eius pollutum ducis*. Cùm igitur hæc Seruatoris nostri passio multis, qui ei interfuerunt, magnam attulerit compunctionem, ita vt k *videntes quæ fiebant, percutientes pectora sua reuerterentur*: l *terra mota fuerit, petræ scissæ, & monumenta aperta*; æquum omninò est, vt & tu *tremas*, paueasq; diuinam iustitiam; tuumque cor *contritione* frangas, & conscientiæ sepulchrum per *confessionẽ* aperias: vt corpora mortuorum, scilicet peccatorum, ex eo prodeant.

h *Hebr. 6. 6.*
i *Cap 10. 29.*

k *Lu 23. 48.*
l *Mat 27. 52*

Consideratio-

Consideratio septima de peccatis, quà tendunt contra specialia beneficia, quæ à Christo Seruatore nostro accepimus.

VII. *Christus benefactor.*

1. *Punctum Baptismus.*

CONSIDERA primùm, particulare illud beneficium, quod à Christo D. N. in *Baptismo* accepisti: quo simul cum charactere & Christianismi signo, gratiam infudit, & Charitatem, Fidem, Spem, reliquasque virtutes ac dona Spiritus Sancti, imò & ipsum Spiritum Sanctum, tanquam animæ tuę hospitem: Sed contrà peccatis tuis quadruplicem huic beneficio iniuriam intulisti. *Prima* est, qua ab ea vita degenerasti, quam talis professio exigit. a *habes* enim *nomē quod viuas, & tamen mortuus es*; cognominaris Christianus & vitam ducis Gentilis. *Deinde* iniuriā intulisti gratiæ & charitati acceptæ: eius pulchritudinem maculans ac deformans venialibus peccatis: lacerans deindè ac destruens pretiosam hanc vestem, nullo habito respectu valoris eius, aut donantis Domini. *Tertio* septem Spiritus S. dona destruxisti, eumq; cum magna ignominia è domo tua expulisti; eiusque loco Dæmonem ad habitandum admisisti. *Vltimo* characterem ipsius Baptismi, & virtutes Fidei & Spei, quæ tibi supersunt, pudore affecisti: eò quòd inclusas & captiuas eas teneas, ne possint ad bonorum operum exercitationem prodire; sed in eadem cauerna cum peccatis tuis, quæ sunt peiora latronibus & homicidis, sepultæ maneant. Quapropter omnes illæ ante diuinæ Iustitiæ tribunal contra te clamabunt, petentes liberari se ab hac tyrannide: nisi tu per pœnitentiam id facias. Defleas igitur amarè, iniuriam his virtutibus illatam; & ingratitudinem in ipsum Spiritum S. qui cum donis suis in te habitauit: donec dignetur cum eisdem redire,

a *Apoc. 3. 1.*

Quatuor iniuria Peccatoris.

2. *Punctum.*

CVM hoc beneficio alterum est coniunctum, quod Christus D. N. te fecerit viuum Ecclesiæ suæ membrum, domusque suæ habitatorem: donans tibi ordinariam spiritualem portionem ex mensa sua, Sancta scilicet Scriptura, Sanctis Euangelijs, & sanctissimo Altaris Sacramento; certumque pignus, quod post hanc peregrinationem transferet te ad domum & habitationem æternam triumphantis Ecclesiæ, quæ est in cœlo Empyreo. Sed quid putas, te fecisse cùm peccasti? audi ipsius Dei querelas per suum Prophetam: b *quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* quod infideles extra domū meā manentes scelera admittāt, non mirarer: quia sunt cæci, & absq; vera fide vitam extra meam Ecclesiam ducunt; carentes auxilijs, quæ in ea habentur. quod verò tu, quem ego adeò dilexi, in quem tot beneficia contuli, audeas in domo mea, in conspectu meo, non vnum peccatum, sed multa; non leuia, sed magna cōmittere: quænam huius erit causa? quid potes, ô peccator, ad hāc quæstionem respondere: nisi grauē tuā culpā confitendo? Nam cùm per fidem sis huius domus inhabitator, vita tamen

b *Ier. 11. 15.*

Filij peccata magis affligunt.

c Luc. 15. 13. tua remotissimus es ab ea: nam tanquam filius ille prodigus c *profectus es* e domo cœlestis Patris *in regionem* quandam *longinquam*: tanta est mores tuos inter & illius distantia: vbi esca, quæ tibi datur, est communis cum porcis; & adhuc in tanta parcitate, vt famem tuam non satiet. *reuertere* itaque *in teipsum*, quemadmodũ filius ille prodigus; magnoque sensu delicta tua defle, procidens ad Patris tui pedes: donec in domum suam te admittat, habitumque pristinum reddat: habeasque portionem filiorum in signum, quòd te faciat vnum ex illis.

Filius prodigus.

3. *Pũctum.* 1. d *Isai.* 1. 9. *Deus facilis erga peccatores.*

SED & in hoc ipso aduertere licet aliud quoddam singulare beneficium, propensionis sc. ac *facilitatis*, qua cœlestis tuus Pater, tuam pœnitentiam admittit; locumque & auxilium, ad eam peragendam præbet. d *nisi* enim *Dominus reliquisset tibi* hoc *semen, tam fuisses quasi Sodoma.* Verùm in hoc ipso perpendes meritò detestandam tuam malitiam, qua ex eadem facilitate ac promptitudine, qua Deus peccata remittit, occasionem & audaciam accipis, ad peccata perpetranda, sæpiusque repetenda. Quoties quæso es confessus: & mox, tanquam canis ad vomitum, in eadem, quæ confessus; aut in alia maiora es relapsus? Videris cum Deo certare, vt tu pecces, & confitearis; ipse verò audiat, ac condonet: & mox peccatum repetis, atque si eius patientiam experiri velis: an ignoscet nõ solùm septies, sed septuagies septies. Iustum quidem est glorificare Deum, ob eam humanitatem & facilitatem, qua tibi ignoscit: sed æquius est tamen, vt inde occasionem nõ accipias eundem iterùm offendendi; sed flendi potiùs, ob offensum eum, qui adeò facilè compatitur, & sustinet seruum adeò impudentem.

2. *Vocationis diuinæ constantia.*

QVID autem dices de beneficio *Vocationis*, quo tantam inspirationum & illustrationum cœlestium copiam ad te mittit, quæ te ad virtutum exercitationem prouocent? & licèt innumeras earum in corde tuo suffocaueris: nõ tamen desistit, easdem frequenter immittere: vt segnitiem tuam excitet, animumque addat ad veræ pœnitentiæ exercitationem. Et fortè, cùm hoc ipsum legis, easdem tibi mittit, prouocans ad flendum, & gemendum, ob tuam hactenus resistentiam.

3. e *Cor* 2. 9. *Peccatum malum maximum.*

DENIQVE quemadmodum S. Apostolus ait: e *nec oculis vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit* bonorũ magnitudo, & copia, quæ communicat Deus suis electis etiam in hac vita: ita etiã nec oculus potest videre, nec auris audire, nec cor hominis potest comprehendere; quantum malum sit vnum peccatũ, & quanta amittas bona, quantisque malis te subijcias, quãdo illud admittis. Quamobrẽ tantus dolor tibi est concipiendus ob illud admissum, vt quoscunque dolores ob reliquas iacturas, & miserias cõceptos excedat; detestando illud ex toto tuo corde, anima, spiritu, & viribus: Nam quemadmodum Deus summè est diligendus: ita peccatum est summo odio habendũ.

CAPVT

CAPVT V.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONE: IN qua, ob secretorum peccatorum manifestationem, gloriosa & præstans obtinetur victoria.

Secvndvs Poenitentiæ actus est peccatorum Confessio quæ fit Sacerdoti ad quam nos Christus Dominus obligauit, cùm suis Apostolis, & in eis omnibus Sacerdotibus, eorundem in eo munere successoribus dixit: a *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*: Item: b *quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo* Qua sententia (quemadmodum Sacrum Concilium Tridentinum declarauit) constituit eos Iudices nostrorum peccatorum: ac proinde obligauit nos ad ea illis manifestanda: siquidem non possent illi rectam de eis sententiam proferre, nisi ea cognoscerent. Cùm itaque dicit, non remitti, nec solui, nisi Confessarij ea remittant, ac soluant: clarè ostendit, nunquam peccatorum causam omninò expeditam; & concluſam censendam, donec illorum accedat sententia. Etsi enim Contritio (vt prædiximus) sufficiat, vt peccata dimittantur: semper tamen supereſt obligatio Confessionis. remissio enim Contrito datur cum ordine ad Sacranentum, Cuius rei fidem facit, quòd Christus D. N cùm Lazarum solo verbo resuscitasset, etsi eodem verbo potuisset feralem amictum & instita, quibus ligatus erat, soluere: id tamen non fecit: sed voluit eum c *ligatum pedes & manus institie, & facie sudario ligata*, ex monumento prodire, & tunc dixit Apostolis: *soluite eum.* ad significandum, (vt ait S. Augustinus) omnes peccatores à Deo per contritionem resuscitatos; etsi vitâ gratiæ viuant, reos tamen manere ad Confessarios accedendi: per quos iudicij series concludatur, perfectaque libertas resuscitato detur.

Sæpissime verò ipsimet Confessarij sunt ipsius resurrectionis instrumenta, vox enim Christi, vocatio scilicet & inspiratio eius non aliud facit, quàm peccatoris cor emollire; & imperfecto quodam dolore attritum reddere: qui cùm postea confitetur, virture Absolutionis iustificatur, & resuscitatur; remouente Deo interna vincula, quibus pedes & manus ligabantur; & sudarium, quo eius facie obleuata, agnosci non poterat. Et tũc potestambulare, & facere opera æternæ vitæ meritoria: ad quam ita cognitus, approbatur à Deo. Ex quo apparet, quàm in fauorem & commo-

a *Ioan. 20. 23.*
b *Mat. 18. 18*

Sess. 14. c. 5. & can 6. & 7.

Contritio dimittit peccata, in ordine ad Confessionem.

c *Ioan. 11. 44. Tract. 49. in Ioan. tom. 9*

Sacramenti via ad gratiam facilima.
Sess. 14. *c.* 4.

dum nostrum institutum sit præceptum Confessionis: quamuis speciē præferat grauis oneris. Cùm enim perfectam peccatorū contritionem obtinere, res sit difficillima, ita tamen ad iustificationem necessaria, vt nemo sine ea iustificari possit: imperfectam, verò, quæ est Attritio, habere sit res facillima; nec tamen sola ad iustificationem sufficiens: hoc Sacramentum (vt idem Concilium declarauit) virtutem habet ex Attrito faciendi Cōtritum: ita scil. Attritionis defectum supplendo, vt cum ea sola accedentem, reuera iustificet. Quid igitur vtilius nobis esse potest, quàm quòd via obtinendi veniam peccatorum, ex qua æterna vita dependet, adeò facilis expedita nobis reddatur? Ad hæc præter gradus Gratiæ contritioni respondentes; & Gloriæ, propter eam communicandæ, addit Absolutio alios Gratiæ gradus. & quidem *ex opere* (vt Theologi loquuntur) *operato*, ex virtute scilicet ipsius Sacramenti. quibus gradibus totidem etiam respondent gradus gloriæ. Abundè igitur Confessionis labor remunerarii iudicandus est: cui & in præsenti & in futuro præmium adeò proportionatum redditur. Quis aurem non videat, summæ consolationis esse, auribus corporis sententiam illam percipere: EGO TE ABSOLVO. quæ reuera id efficit, quod significat, & sæpè (quemadmodum ait Psalmista) tantum d *gaudium & lætitiam auditui* pœnitentis sensibiliter affert, vt confortentur, & *exultent ossa* ob culpam, *humiliata*.

Absolutio ex opere operato gratiam confert.

d *Ps.* 30. 10.

§. 1. *Quanti referat, confitendi pudorem superare.*

Verecundiæ noxiæ superatæ vtilitates. 1.

NON negamus, esse valdè difficilè, verecundiam & pudorem vincere, qui oritur ex manifestatione peccatorum occultorum, quæ fit Sacerdoti: maximè si illa sint in materia vili, infami, aut verecunda: sed recompensatur hæc difficultas præstantissimis commodis, quæ hanc victoriam consequuntur. *Primum* enim hæc victoria liberat nos ab æterna illa confusione, qua in nouissimo Iudicij die afficeremur, si nunc præ verecundia, nostra peccata occultaremus. Quod mirificè perpendit S. Augustinus dicens: cur erubescis confiteri quod facere nequaquam erubuisti? melius est, coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui culpa denotatum tabescere. Cogita ergò, Confessarium fore vnum ex illis, qui iudicio illi intererunt: nec erubescas nunc ei magno tuo commodo manifestare, quod apertè cognoscet, cum insigni adeò pudore & contemptu tuo. Astantem (ait idem S. Doctor) coram te a *Sacerdotem Angelum Dei*, existima: sic enim eum Malachias Propheta appellat &, cum qua Deum & Angelum eius decet reuerentia, Dei ministrum affare. aperi ei penetralium tuorū abditissima latibula. non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Nam humanum est peccare, Christianum est

Lib. de visitatione Infirm. c. 5.

» *Melius hic quam in die Iudicii.*

a *Malac.* 2. 6

» » »

à peccato desistere; Diabolicum est perseuerare: & hoc præuenies confessione patrati peccati.

Ex hoc fiet, vt hac verecundia, quam vincis in Confessione, etiam redimas æternam, quam æternùm ferres in inferno, ob occultatam culpam: obtinebis verò æternum honorem, quo fruuntur, qui sunt in cælo, ob eam manifestatam. Hac ratione, ait S. Clemens, ex hortari consueuisse S. Petrum ad Confessionem: non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc, huic qui præest, vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur: quò possit fide integra, & operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire. Hoc idem fusiùs his verbis expendit Tertullianus: Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam ibi exomologesis extinguit: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adoptione non dubites. Igitur cùm scias aduersus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia: cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales; medicinas sibi diuinitùs attributas in tempore agnoscunt, *Cervus* sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. *Hirundo* si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia, Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens, præteribit illam? An melius est damnatum latere, quàm palam absolui? Te miserum, pudoris magis memorem, quàm salutis; & perire potius eligis, quam vulnus verecundum medenti aperire. Næ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem: ad deprecãdum verò subducens? Ne ergò rubori locum facias, ex quo tantum detrimentum acquiris: cùm ipsè te quodammodo exhortetur: ne me respexeris, dicens: pro te, mihi melius est, perire.

Pereat temporalis honor: modò seruetur æternus, si pernitiosum aut venenatũ cibum sumpsisses, quem stomachus ferre non potest: si retineas, mors tibi imminet; si euomueris, releuaris. Quod si pudore astantium, teq; aspicientium nolles euomere: an non stultus esses? quanto igitur maior stultitia est, cùm peccati venenum hauseris, nolle per Confessionem illud euomere? Nam cum tu ipse (vt ait Origenes) teipsum accusas & confiteris: simul euomis delictum; atque omnem morbi tui digeris ac reijcis causam & mox sanus & quietus euadis.

His accedit: quòd adeò sit glorioſum, hanc verecundiam seu pudorem vincere; vt hoc ipsum, Christum Dominum Nostrum induxerit, ad hoc præceptum Confessionis in lege sua Euangelica (quæ lex est perfectionis) edendum, in qua lege, cùm nos ab innumeris oneroſis, horridisque sacrifi-

cijs

cc
cc
cc

Epist. 1. ad Iacob. Fratrem Domini.

Lib. de Pœnitent. vide Canis. c. de pœnit. q. 1.

cc
cc
cc

Melius hic quam in gehenna.

cc
cc
cc
cc
cc
c.
cc

3

Confessione peccata euomuntur. Homil. 2. in Psalm. 37.

4.

Confessionis sacrificium eue & vtile.

cijs liberauit; quæ in antiqua lege propter peccata offerebantur, etiamsi nõ propterea ea remitterentur: eorum loco solùm vnũ constituit, quod insignis perfectionis esset motiuum; pugnantibus nobis contra hunc pudorẽ & verecundiam humanam, & cordis humilitate triumphum de ea reportantibus. In cuius rei præmium, ad filiorum Dei dignitatem nos exaltat, gratiæque pulchritudinem donat. Et in hac ipsa vita facit nos magno honore & gloria dignos: locum enim habet in confitentibus, quod suprà de Iuda filio Iacob diximus: cui benedicens pater dixit; b *Iuda confessus es, & non erubuisti: in te confitebuntur fratres tui.* In quibus verbis insinuantur mystice excellentiæ, & vtilitates nostræ Confessionis, depictæ in heroicâ quadam, quã ipse Iudas fecit. qui, cùm peccasset cum nuru sua, quæ se finxerat meretricẽ, illaque concepisset, criminis huius accusata fuit, quàm ipse iussit c *produci, vt combureretur, quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suũ dicens: cognosce, cuius sit annulus, & armilla, & baculus: de viro enim, cuius hæc sunt concepi, qui agnitis muneribus*; (nam ipse illa ei tradiderat post peccatum) ait: *iustior me est.* agnoscens scilicet, & confitens peccatum suum, ac dicens: fateor culpam meam: cum qua si ipsius Thamar culpa conferatur, illa est minor: quia ego illi occasionem dedi, *non tradens eam Sela filio meo, vt suscitaret semen fratri suo* defuncto, iuxtà illorum temporum consuetudinem. Hæc fuit Iudæ confessio: quam facere non erubuit; tum, vt se humiliaret; tum, vt nurum suam liberaret ab igne. quamobrem promeritus est à fratribus suis laudari: qui etsi ex imbecillitate lapsus est in culpam; fortem tamen se ostendit in vincenda verecundia, qua ex culpæ confessione afficiebatur. Hunc itaq; in modum qui animam suam liberare desiderant à morte, ad quam damnata est ob sua peccata, vt æternis inferni ignibus comburatur: debent omnia illa, nullo præ pudore, omisso, Sacerdoti confiteri, & subire & amplecti honoris & opinionis iacturam, quæ propterea illis eueniet: iuxtà Ecclesiastici sententiam, dicentis: *pro anima tua, ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio, adducẽs gloriã & gratiam.* Talis autem est, quæ ex Sacramentali confessione obuenit pœnitenti: qua gratiam & amicitiam Dei nobis comparamus; gloriamque & honorem coram Angelis & prudentibus Confessarijs: meritò enim talis pœnitens ab omnibus laudabitur. quamobrem cùm Patriarcha Iacob vellet filij sui Iudæ magnalia recensere, rectè ab hac peccati sui confessione initium fecit: qua pudorem vicit, qui solet eam impedire. Ideoque adiecit: *in te confitebuntur fratres tui*, confessione scilicet laudis: Nam reuera maiorem sanctitatis honorem & opinionem comparat sibi verus pœnitens, qui magna humilitate culpam suam fatetur; quam eam admittendo amisit: & quam amisit, dum peccauit, reparat, dum confitetur. vnde non fine

Confessio gloriam adducit.

b *Gen.* 49 8 *Vide Pere. ibid.*

c *Gen.* 38. 24

d *Eccl.* 14. 24.

5.

magno mysterio Sanctus Iob, dum suas narrat virtutes, vt in medijs suis afflictionibus respiraret, ait de seipso: e *si abscondi quasi homo peccatũ meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* insinuans his verbis, se non secutum fuisse mores hominum filiorum Adam: qui ad imitationem sui parentis, culpam suam tegunt, & excusant, aut defendunt: sed fuisse plus quàm hominem, dum suam confitebatur: & sic Gygantem illum inanis honoris vincebat, qui plurimos homines vincere consueuit, vt suam reticeant. Quamobrem Sanctus Gregorius de Sancto Iob ait: Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis: mihi certè sublimis apparet, etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui volunt Castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. Scio enim, quòd per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris est certaminis, commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare: & maior interdum fortitudo requiritur, ad culpam fatendam: quàm ad eam vitandam &; vnumquodque malum, quamuis robustius vitetur: tamen humilius proditur. Hæc Sanctus Gregorius. Et hic semper fuit Spiritus Sanctorum: qui humili suorum peccatorum, licèt leuium; & tentationum aut imperfectionum confessione insignes & glorioſos de regina vitiorum superbia, inaniq́ue pudoris & infamiæ timore triumphos obtinuerunt: præferentes oris pudorem dolori & maculæ cordis: culpamq́ue suam exaggerantes; vt eius veniam à Deo impetrent. Non negant peccatum suum sicut Cain; nec suam culpam excusant, alteri eius causam tribuentes, sicut Adam. Ita enim (vt idem Sanctus ait) multiplicatur & aggrauatur tribus alijs culpis minimùm additis. *Prima* contra humilitatem, cùm minùs mali volunt videri, quàm in conspectu Dei sint: cui nihil est occultum: *Secunda* contra veritatem: dum falsa multa commiscẽt; vt, quæ vera sunt, dissoluant: *Tertia* contra charitatem: dum culpam propriam attribuunt proximo, qui ad eam aliquid contulit. Potuisset sanè Patriarchæ Iacob filius Iudas, (cuius illustrem confessionem non extollebamus) maiorem ipsi Thamar culpam tribuere, eò quòd meretricio habitu ipsum decepisset: ac Propterea meritò comburenda esset: non tamen id fecit Iudas, sed charitatis & humilitatis visceribus, complicem criminis præ se iustificauit. extollendo scilicet propriam culpam, & excusando, aut alleuiando alienam: quam suæ incuriæ, aut negligentiæ tribuit: eò quòd suam promissionem non impleuisset. & hanc propriam confusionem elegit, vt nurum suam à pœna, quam fuerat promerita, excusaret: & propterea eius confessio meritò fuit adeò laudata. eodemq́ue modo nostra laudabitur, si Dauidis exemplo f *confitebimur ad-*

c *Iob. 31. 33 Confessio supra hominem.*

Lib. 22 Moral. c 13.

Confessionis S. Iob. encomium.

Triumphus humilitatis

Iuda confessio syncera.

f *Psal. 31. 5.*

g *Iob.3.7.*

uersum nos iniustitiam nostram Domino dantes operam, quemadmodum ait Iob, vt g *nox* culpæ nostræ *sit solitaria*, nec habeat comitem excusationem: sic enim facilius remittetur. Nam Dauid cùm dixisset: *confitebor aduersum me iniustitiam meam*, subiunxit: *& tu remisisti impietatem peccati mei.* Est enim hæc Dei natura & ingenium, vt se humiliantem exaltet; &, se accusantem, dimittat; culpasque condonet, eas confitenti.

6.

In vitis Patrum. Dæmon reddit verecundiam.

Ex quo etiam intelligitur mali spiritus ingenium: qui Confessionem ob pudorem ex ea prouenientem, impedire conatur: quemadmodu reuelatum fuit cuidam ex Sanctis Patribus, consideranti, eum valdè sollicitè per confessionalia discurrentem. quòd scil. pœnitentibus restitueret, quod abstulerat: abstulerat autem pudorem in occasione peccandi, vt expeditiùs & propensiùs peccarent: quem restituit eis tempore Confessionis, vt culpam aliquam reticeant: siquidem vel vna lethali culpa, præ pudore non expressa, in causa est, cur & reliquæ maneant, & noua alia, sacrilegij scil. accedat: eò quòd non integram fecerunt Confessionem. quibus propterea competit illud Dauidis: h *quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Ille (ait S. Gregorius) tacet, & clamat, qui peccata quidem præterita per Confessionem non enunciat; & per cor impœnitens alia committit, quæ noui sunt clamores apud Deum, sicut i *clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendit ad Deum*, & noua supplicia petunt. Aliud (ait S. Augustinus) tacet, aliud clamat. Tacet in Confessione peccata, quæ manifestare oportuit; & clamat, adfertque excusationes, fictaque merita sua, quæ fuissent reticenda. Ex quo prouenit, vt ossa inueterascant, ac debilitentur: nam occultati peccati venenum penetrat cor, vitamque gratiæ consumit, donec vigorem & fortitudinem illi auferat ad omne bonum: eò quòd eius morbus, quamdiu tacet, sit incurabilis. Et quamuis tota die clamet ad Deum orationibus; cilicijs, ieiunijs, & alijs pœnitentijs: nunquam exaudietur. quia, qui reticet peccatum, non clamat, quemadmodum oportet: sicut dictum est. Sed ego, DEVS meus, statuo, in Confessione meas culpas manifestare: tacere verò excusationes; exaggerare mea peccata, & occultare bona opera: sciés, te, ob gloriam tui nominis, mihi remissurum, si peccatum meum magnum esse confitebor.

h *Psal 31. 3 In. Psalm pœnitent.*

i *Gen 8 20 in Psal. 31.*

Peccator tacet, & clamat.

§. 2. *Refutantur rationes, quas pro se affert vitiosus pudor.*

EX ijs quæ diximus, facilè erit rationes illas dissoluere, quibus pernicioſa verecundia vtitur, ad prætextum aliquem suo silentio inducendum. Aliquando enim ait, esse necessarium, a *bonum nomen* conseruare: siquidem est melius, quàm diuitiæ multæ. quamuis enim Confessarius ipse secretum seruare teneatur: magni tamen facienda est iactura

a *Prou.22.1.*

bonæ

bonæ opinionis apud illum: præcipuè si sit vir grauis. Aliquando etiam fingit, vnumquemque teneri, non præbere malum exemplum aut scandalizare ipsum Confessarium. Et quemadmodum Martha, quamuis fratris sui Lazari vitam desideraret: quando tamen Christvs iussit, b *tolli lapidem ab spelunca*, in qua illa iacebat, vt eũ resuscitaret: illa conata est impedire, *dicens: iam fœtet: quatriduanus est enim.* Ita caro nostra resistere conatur manifestationi peccati secreti, sub specie & prætextu, quod amittet spiritus bonam opinionem: & emittet fœtorẽ & infamiã mali exempli, quod ipsum Confessarium audientẽ offendet. Sed satis apparet, quantus hic sit error, ex responsione Christi Domini ad Marthã: quam reprehendit ob ea, quæ proponebat: decreuerat enim ipse, non resuscitare defunctum, nisi detectum, & spelunca patente; etiamsi aliquid fœtoris exhalaret: cùm enim statim esset viuus ex sepulchro proditurus; statim etiam fœtor ille ex putredine euanesceret. Eo facto, mystice nobis significans, se non resuscitaturum peccatorẽ pœnitentẽ, nisi simul statuat se manifestare, & apud Sacerdotẽ culpas suas aperire. non attendens ad fœtorẽ ex eis exhalantem. adeò est enim humilis Confessionis odor suauis, vt culpæ fœtorem dissipet; &, ipso ad nouam vitam resurgente, præteritæ fœtor euanescat. Vt hoc idẽ significaret, voluit Christus Dominus N. in die suæ passionis c *aperiri sepulchra, & monumenta* Sanctorũ, qui essent in resurrectione communi ad vitam resurrecturi: nam nullum resurrecturum, qui clausus semper manere voluerit, & suo monumento tectus. Maiorem etiã affert admirationẽ: quod, cùm multa miracula erga absentes infirmos edidisset: (nam & d *Reguli filium*, & e *Centurionis puerum* absentes sanauit, nullũ tamen resuscitare voluerit, nisi præsens esset, & ipsum mortuũ videret. Nam quãdo f *Iairus* ille *Archisynagogus petiit ab eo, vt filiam iam defunctam* vitæ restitueret, non illum reprehendit, quòd paruam fidem haberet: sed secutus eum, intrauit in locum, vbi iacebat defuncta, & ipso tenẽte eius manum surrexit puella. Et quamuis Elisæus olim tentauit defunctum puerum absentem resuscitare, mittens g *Giezi puerum suum*, qui ipsius baculum defuncto super imponeret: id tamen non successit pro voto, donec ipsemet eò venit, suisq; oculis puerum defunctũ vidit. Quod factum etiã significat, spiritualem resurrectionem, quam Dei ministri per Sacramentum pœnitentiæ tribuunt, non fieri, quando pœnitẽs à Sacerdote abest; sed cùm præsens tolerat pudorem: & cõfusionem ex eo, quòd ipsemet coram Sacerdote suas miserias aperiat, seipsum accusans; & ostendens desiderium ab eis emergendi, & resuscitandi. Ideoq; Christus D.N. cõstituit, formam absolutionis his verbis: *Ego te absoluo*, proferendam esse à Sacerdote, quasi digito pœnitentem præsentem indicante, & eius accusationem ac testimonium audiente suæ pœnitudinis, & emendationis desiderij.

b *Ioan.* 11. 39

Confessio peccati fœtorem dissipat.

c *Mat.* 27. 52

d *Ioan.* 4. 50.
e *Matt.* 8. 31

f *Matt.* 9. 18. 25. *Marc.* 5. 22. 41.

g 4. *Reg.* 4. 31.

Absolutio est præsentis. Clemens 8. declarauit absolutionẽ in absentem nullius esse momenti vide Suarez Tom. 4. in 3 part. disp. 19

Mutans cõfessarium incipit cadere.

HINC accipit humanus pudor occasionem alios modos adinueniendi, quibus peccata sua occultet, & pudorem illum euadat: omisso enim Confessario, Medico sibi noto, prudente ac perito, cui vtiliter consueuerat confiteri: accedit ignotum aliquem, apud quem non tantam suæ opinionis iacturam faciat: etiamsi minorem ex ea Confessione fructum percipiat. Hoc enim etsi possit absque culpa fieri, indicium tamen est timidi & abiecti animi: & qui propè sit, vt hosti se dedat, qui in huiusmodi occasionibus non dormit: & quemadmodum primam hanc victoriam ab eo obtinet, sperat se etiam secundam obtenturum: augendo scilicet metum, ex pugna, & conflictu fugienti. estque genus quoddam pernitiosæ hypocrisis, leuiora peccata ordinario Confessario aperire; & pro grauioribus alium quærere. nam ratio ipsa & prudentia suadet, ad grauiorem morbum quærendum esse medicum magis notum, ac peritum, & expertum. Valdeque procul distat à Christiana humilitate, qui ex Confessione, ad mundanam superbiam destruendam instituta, honorem quærere velit; & qui inaniter bonam opinionem quærit apud Confessarios, qui ipsius animam curare debent ac dirigere: tantumque abest, vt perfectionem consequatur, vt neque Christianum honorem obtineat, qui in virtute, eiusque fundemento, humilitate scilicet, fundatur: cuius gloria, vt in aperta culpæ Confessione valdè elucet; ita obscuratur, si illa taceatur aut occultetur. Non est quidem negandum in aliquibus casibus expedire, Confessarium mutare: nam cùm semper minus malum sit eligendum, si pudor te constitueret in periculo peccatum aliquod huic Confessario occultandi; melius est, alium quærere, cui sine tali impedimento liberius illud aperias.

Hypocrita est

Vtilius est vni, quam nulli.

EVENIRE denique nonnunquam solet, vt postquam pœnitens sua peccata aperuit, Confessarius verò ea reprehendit: prodeat verecundia, vt se, excusationibus mille adhibitis, defendat, facilius siquidem hostis hic vincitur, cùm sponte pœnitens culpam suam manifestat, quàm si alterius audiat reprehensionem. Sed de hoc puncto, quod maximi momenti est, proprius instituetur sermo, cùm agemus de ratione has reprehensiones excipiendi, & sustinendi.

Excusationes caue.

(**)

CAPVT

CAPVT VI.

CONFESSIONEM PRAECEDIT EXAMEN AD imitationem Iudicij extremi. Indicantur omnes modi peccandi, in commodum huius examinis vsum.

AD Confessionem integrè, clarè, ac perfectè, vt oportet, faciendam, neglecto pudore, qui ex ea oriri potest, proponendum est tanquam exemplar ob oculos id, quòd in extremo iudicio agetur: ad quod in hoc Sacramento peragitur, nos præparamus: Et vtrumque S. Euangelista Ioannes in sua Apocalypsi coniunxit, dicens de primo: se a *vidisse sedes & iudicium datum esse illis, qui super eas sederunt.* per quos Iudices S. Augustinus intelligit Cõfessarios, in Ecclesiæ tribunali sedentes, ad causas peccatorũ audiendas, & iudicandas; qui se in hoc iudicio constituunt tanquã reos, accusatores, & contra seipsos testes: vt peccatorum remissionẽ obtineãt: licèt pœnitudo peccatorum, & vitæ emendandæ propositum: quod secũ afferunt, munus faciat aduocati. Cuius iudicij forma & ratio similis esse debet ei, quæ in extremo iudicio seruabitur. de quo idẽ Euangelista ait, quod *viderit mortuos magnos & pusillos stãtes in conspectu throni, libros q; eorũ apertos fuisse; &*, nominatim *alium librũ, qui erat liber vitæ, & ipsos mortuos iudicatos fuisse ex iis, quæ scripta erant in libris secundũ opera ipsorum.* per quos libros intelliguntur hominum *conscientiæ*, in quibus scriptũ est quicquid fecerunt, dixerunt, & cogitarunt in totius vitę decursu: & manifestabitur coram omnibus hominibus, & Angelis, cum grauissimo reproborum rubore & confusione, ob admissa & non cõfessa peccata; Electorum verò magno honore, ob pœnitentiam, quam de suis peccatis habuerunt, & obtentam victoriam, qua pudorem vicerunt, ea confitendo. Sed simul tunc aperietur *liber vitæ*, qui (eodem S. Augustino teste) est ipsa notitia Dei de nostris omnibus cogitationibus, verbis, & operibus. Qui liber tunc aperitur, cum peccata nostra lumine quodam, vique adeò magna, ea nobis reuocat in memoriam: vt ea non videre non possimus. Alius quoque [b] *liber vitæ* similiter aperietur, *diuinorum* scilicet *mãdatorum*: in quo scripta sunt quæcunque Deus iubet, ac prohibet, vt conformitas ac diuersitas appareat reliquorum librorum cum hoc. Iure enim optimo hic *liber* dicitur VITÆ, vtpotè in quo illa sint scripta, quæ ad æternam vitam nos ducunt; & quæ seruare oporteat eos omnes, qui ad eam sunt destinati.

Confessariorum sedes.
a Apoc. 20. 4. Lib. 20. de ciuit. c. 9.

Aduocatus

Sup. ver. 12.

Liber conscientiæ.

Lib. 20. de Ciuit. c. 14. Liber vitæ duplex.

b Eccl. 24. 12. Baruch 4.

S. Tho. 1. p. q. 24. a. 1.

HVNC itaque in modum accedenti ad iudicium Confessionis duo sunt

libri coram Iudice aperiendi: liber sc. *legis* in quo Dei, Ecclesiæ, proprijq; status, ac officij mandata scripta continentur: nisi enim hæc sint manifesta, non poterũt peccata cognosci: siquidem, Apostolo teste: c *vbi non est lex, nec præuaricatio*, aut peccatum: Mox verò aperiendus est tuæ *conscientiæ* liber. manifestando scil. peccata omnia in eo scripta; ita vt post singula mandata confitearis, quicquid contra illa peccaueris: vt collato vtroque libro à Confessario, ipse Dei nomine iudicium faciat, feratque pro te sententiam: cuius virtute omnia peccata manifestata & confessa deleantur, & remittantur. Non enim in hoc iudicio sicut in extremo agitur, in quo nihil ex libris deletur; Sed ex rigore Iustitiæ aperiuntur, vt manifestata peccata puniantur; manent enim scriptę ipsæ culpę; d *scribuntur* autẽ super illas *amaritudines* & æternæ pœnæ, ita, vt neq; hæ, neque illæ deleri vnquam possint, Cuius rei figuram expressit Zacharias Propheta cùm dicit se e *vidisse volumẽ* quoddam *volans, cuius longitudo esset viginti cubitorum, & latitudo decem cubitorum: ex quo iudicandi essent homines, & veniens ad domum furis, & ad domum iuranti*, & reliquorum peccatorum, *omnes eas consumet*: quemadmodum alio loco fusius diximus: at in hoc iudicio confessionis, libri aperiuntur, & peccata manifestantur, vt statim deleantur. est enim hoc iudicium *misericordiæ*. in quo Deus D. N. implet, quod promisit: *ego ipse sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nõ recordabor*, &, ne quis existimaret, sic adiungit: g *deleui, vt nubẽ iniquitates tuas; & quasi nebulam peccata tua*: omninò scilicet ea delendo. Cœlumque animæ serenum, & librum Cõscientiæ candidum relinquendo. Ad quorum Confirmationem refert S. Ioannes Climachus: quod cum feruens quidam pœnitens confessionem publicam in Ecclesia faceret, viderint aliqui Religiosi Angelum, magnum quoddam volumẽ in manu sua tenentem, in quo omnia illius hominis peccata descripta erant: & rectè, sicut ille ea confitebatur, Angelum ex illo libro singula nullo prætermisso deleuisse. Ex quo fit, quod iudicio finali, etiam si separatio sit facienda hœdorum & ouium; & hœdi, qui sunt reprobi, sint ad sinistrũ Iudicis latus collocãdi; oues verò sc. electi, ad dextrum: attamẽ illius Iudicij virtute nõ fiat aliqua mutatio à sinistra ad dextrã: sed vnusquisque statione suam tenebit, quam ante habebat: In hoc autem Iudicio; si, iuxta præsentem Iustitiam, sinistrum Christi latus inter reprobos tenebas, vt meritò esses ad inferna damnandus: absolueris ac mutaberis ad manum dexteram, inter eos, qui ad cœlum sunt electi: nec locum hunc & stationẽ amittes, si in Dei obsequio fidelis perseueres. Hinc quoq; fit, q̃ in extremo iudicio, priùs per Dei omnipotentiam mortui resurgent, & ad h *vallem Iosaphat* deducentur; ibiq; mox aperientur libri, ex quibus illi iudicentur: In hoc autem iudicio prius aperiuntur libri, & mortui peccatores iudicãtur, cuius iudicij virtute

illi

c *Rom.* 4. 15.

d *Iob.* 13. 26.

e *Zach.* 5. 1.

Spiritual. Ducis Tract. 2. c. 1. *Iudicium misericordiæ.*

g *Isa.* 44. 22.

Cap. 4.

h *Ioel.* 3. 12.

illi resurgunt, vitaque fruuntur. Quare commodissime adaptatur Ecclesiæ Confessionali, quod sit vallis Iosaphat: in qua sc. Dominus ipse iudicat, quæ vallis propè montem oliuarum est sita: quia hoc iudicium omninò est *misericordiæ*; in quo extinctæ lampades accenduntur, & mortuæ animæ viuificantur. quæ non ita sunt mortuę, vt non possint se ad resurrectionem præparare, fideique lumine libros aperire, ex quibus iudicium peragatur.

Confessio est vallis Iosaphat.

Qvi libri, vt prudenter & vtiliter aperiantur non expectandum est tempus ipsum, quo Confessio peragenda est: sed citius aliquo tempore plus aut minus, iuxta materiam legendam & examinandam. *Primum* seorsim per te ipsum librum mandatorum Dei aperies dando operam, vt benè intelligas, quid Deus iubeat quidq; prohibeat. Nam i *mandatū* (vt ait Salomon) *lucerna est, & lex, lux*, cū qua ingrediaris ad scrutādos angulos cordis tui: (qui locus est valdè tenebrosus) & legas, quod in tuæ conscientiæ libro scriptum est; soletque vt plurimum esse valdè intricatum, danda proinde opera est, vt nihil prætereat, quod non videas & intelligas, nec ex ignorantia, aut culpabili obliuione; nec ex ignauia aut incuria; nec ob sufficientis temporis defectum ad omnia exactè examinanda & expendenda. cui examinationi adiungendus est ingens dolor & *contritio* tuorum peccatorum, iuxta illud Dauidis, k *quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini*: vt ex cordibus vestris ita punctis & apertis exitiale virus emittatur, tot fusis lacrymis, vt vestras culpas delere possint.

i *Prou. 6. 23.*

Examen.

Contritio.

k *Psal. 4. 5.*

Sed quoniam Spiritus S. illustratione opus habes, qua adiueris in libris perlegendis, & Iudici ita manifestandis, vt reipsa absoluaris, & resusciteris: cogitandum tibi est, cùm de præparatione ad confessionē agis, vocari te aut citari ad hoc iudicium tremenda illa voce: *Surgite mortui & venite ad iudicium*. Surgite, peccatores, & venite vt iudicemini iudicio misericordiæ, quo plene restituamini ad vitam gratiæ. hoc ipsum clariùs admonuit Apostolus, cùm dixit: l *omne quod manifestatur, à lumine manifestatur. Propter quod dicit: Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus* cœlesti sua illustratione: vt cognoscas quæ debeas manifestare, & ita confitearis, vt viuas. Deus est, qui per suum Prophetam dixit: m *scrutabor Ierusalem in Lucernis*. Siquidem ergo accensurus est eas in die iudicij: obsecra illum, vt eas nunc accendat in corde tuo, vt illud scruteris. Et quemadmodum tunc libros aperiet, lumenque ad eos legendos dabit: ita nunc tuæ conscientiæ librum aperiet: vt quicquid in ea est, perlegere; & iudici, qui eius nomine & loco te iudicaturus est, manifestare possis. Hac ratione præmissa, tuam quoque diligentiam adhibebis: diuina enim gratia industriam nostram non excludit, sed adiuuat; vt ita adhibeatur, vt vim suam & efficacitatem sortiatur,

Lumen S. Spiritus.

l *Ephe. 5. 13*

m *Seph. 1. 12*

Peccata omnia ad octo legis Dei mandata summatim reducuntur.

VT Conſcientiæ liber facilius legi, & explicari poſſit, ſubijciemus hic ſummam quandam peccatorum, quæ prohibet liber diuinæ legis: reducentes omnia ad octo priora mandata ex decem Decalogi : in quibus quaſi in quadam ſumma reliqua Eccleſiæ præcepta, & diuerſorum ſtatuum particularia, & quæ ſpectant ad ſeptem vitia capitalia continentur. aduertendum eſt tamen, non omnia, quæ hic exprimentur, lethalia eſſe peccata: ſed tunc ſolùm, quando ſunt huiuſmodi, vt amorem Dei, & proximi; religionem aut iuſtitiam in materia graui, & cum plena aduertentia lædunt: reliqua cenſentur leuia ſiue venialia: quòd facilè diſcernet ſapiens ac diſcretus Confeſſarius. Nec eſt quod pœnitens valdè propterea ſit anxius, cùm accedit ad Confeſſionem. Satis facit enim ipſe, manifeſtando peccatum eo modo quo geſtum, nihil interim occultando: ſi enim hoc fecerit, nihil illi nocebit, quòd cogitet fuiſſe lethale, quod erat veniale; aut veniale fuiſſe, q̃ erat lethale: vtrumuis enim ſit exponit, explicatque illud coram DEO, eiusque miniſtro cum vero dolore, quod admiſerit; & firmo propoſito numquam illud repetendi.

NOTA.

Ne diſputes, quale ſit peccatum.

Circa primum præceptum.

1. *Fides.*

PECCATVR primo contra FIDEM idololatria, aut infidelitate, negando verum Deum; aut idola & falſos Deos adorando; aut negando veritatem aliquam exijs, quas DEVS Eccleſiæ ſuæ reuelauit; aut ſciens & volens de aliqua dubitando; aut curiosè rationem & cauſam ſcrutando, vt ei præcipuè innitatur ; aut ſi dedigneturaliquam fidei veritatem confiteri; aut opus bonum præſtare, ob timorem eorum, qui contra id obmurmurant, aut Symbolum, ſiue fidei articulos ex negligentia ignoret. Item quibuſcumque ſuperſtitionibus, aut augurijs vtendo, cum aliquo pacto explicitè vel implicitè inito cum Dæmonibus, aut familiaritatem cum eis habendo; fidem ſomnijs vanis adhibendo; aut denique res ſacras cum turpibus & profanis miſcendo.

2. *Spes.*

DEINDE peccatur contra Spem: ſi quis diffidat, ſe poſſe conſequi cœlum, aut peccatorum remiſſionem, aut vitæ emendationem: dando locum puſillanimitati, animique circa virtutem defectioni: aut contrà, ſi temerè exiſtimet, ſe hoc totum conſecuturum abſque medijs, quæ Deus conſtituit: pœnitentia ſcilicet, quam aut reijcit in ſenectutem, aut in ipſam mortis horam: aut non eſt ſolicitus noſſe præcepta, & reliqua ad ſalutem ſuam neceſſaria; aut non recurrit ad orationem & Sacramenta. Item ſi diffidat, DEVM eius orationes adiuturum, quemadmodum ſe facturum promiſit;

aut

aut abiectè de diuina prouidentia sentiat; aut murmuret de ipso Deo, eò quòd non largiatur ipsi sanitatem, aut diuitias, aut bona alia, quæ ipse desiderat: aut si DEVM tentet, miracula absque necessitate exigendo, humanis medijs non adhibitis; aut contra, totam fiduciam suam in illis potiùs, quàm in DEO collocando; arroganter plus quam par sit suis viribus & industriæ tribuendo: ideoque peccandi & errandi periculo sese exponendo.

TERTIO contra CHARITATEM peccat, qui DEVM odit, aut minus quàm creaturas diligit; diuinamq; voluntatem calcat, vt propriam suã exequatur; aut vt alijs gratificetur; aut ob timores & respectus humanos: aut si Deo quidem seruiat, sed intentione præcipuè aliqua terrena, inani, aut mercenaria; aut cum acedia tædioque rerum eius obsequii, aut cum notabili segnitie, & laxitate in eisdem exequendis. *Item* peccatur contra præceptum de *diligendo* Deo ex toto corde, & ex tota mente, spiritu, fortitudine, & viribus cùm vel ex incuria, passione, aut malitia *cor* ipsum in varias inordinatas affectiones est diuisum; *anima* multis sensuum perturbationibus, *spiritus* distractionibus ac diuagationibus inutilibus dat locum; *vires* verò & *fortitudo* in multas occupationes terrenas intendentes non satis faciunt puritati & integritati dilectionis Dei. 3. *Charitas.*

QVARTO denique contra HVMILITATEM, reuerentiam, timorem, & subiectionem, siue obedientiam DEO debitam peccat, qui in DEVM arrogans est, sibique ipsi: & meritis suis tribuit bona, quæ habet: aut ita de eis gloriatur, ac si DEI non essent: aut gratias pro eis non agit; aut falsa quadam libertate ita eisdem vtitur, quasi omninò suis; aut, si cogitet, ea esse maiora, quàm reuera sint; aut verbis inanibus de eis glorietur, ob laudes proprias; aut in operibus, quæ facit, inanem hanc intentionem respiciat. 4. *Humilitas.*

Circa secundum præceptum.

PRIMVM peccat cõtra hoc præceptum, qui per Deum aut eius Sanctos aut res sacras *iurat*: affirmando rem aliquam falsam, aut dubius de eius veritate, aut priùs quàm id attendat; aut si promittat aliquid absque intentione adimplendi; aut promittat, quod malum est, aut non impleat bonum, quod promisit, aut si temerè & cum parua nominis Dei reuerentia iuret: vt si leuiter & ioco iurans, iurandi consuetudinem induat. 1. *Iuramentum.*

DEINDE peccat, qui Deum aut eius Sanctos blasphemat, aut aliquam eorum partem cum irrisione profert, aut Dei nomina alicui creaturæ attribuit; aut per creaturã aliquã iurat, quasi ei diuinitatis aliquid ineesset: & similiter peccat grauissime, qui per idolu, aut falsum aliquem Prophetam iurat. 2. *Blasphemia.*

3. *Periurium.*

TERTIÒ peccat, qui iuramentum, aut votum frangit, quod fecit: aut sine causa differt implere; aut sine rationabili causa dispensationem petit; aut de voto aut iuramento prudenter facto dolet; aut in eo seruando est negligens. Necesse est autem expressam facere mentionem votorum, & iuramentorum, quæ Religiosorum statui, aut Iudicum officio sunt annexa, vt cum iurant se seruaturos, aut operam daturos, vt leges aliquæ & pragmaticæ seruentur; aut se non manifestaturos suarum consultationum secreta, & alia similia.

Votum.

Circa tertium præceptum.

1. *Festa.*

PRIMVM peccatur, si quis violet dies *festos*, exercendo opus aliquod seruile prohibitum, aut iubendo fieri, aut non impediendo eos, qui ipsius curæ sunt commissi &, si ipsos dies præcipuè solemniores, loco piorum operum expendat in actionibus prauis, quæ Deum offendunt.

2. *Sacrum Missæ.*

DEINDE, si absque rationabili causa totum *Sacrum Missæ*, aut notabilẽ eius partem ipsis diebus festis audire prætermittat, aut si præsens est, volũtariè distrahatur, aut exiguam adhibeat externam reuerentiam, aut garriat, aut quid aliud, quod talem locum dedeceat in aliorum detrimẽtum faciat: & similiter si causa sit, cur alij sacro ipsi non interfint, aut eidem non attendant. Grauius tamen peccabit Sacerdos, qui in his fuerit negligens: &, si sacrum ipsum cum exigua attentione, reuerentia, ac decentia, festinanter faciat, aut non benè verba proferat, aut diu sacrum facere omittat, quò vitam ducat laxiorem.

Sacerdos.

3. *Decor Ecclesiæ.*

AD hoc ipsum mandatũ referri possunt omnes irreuerentię & indecentiæ, quæ fiunt in locũ sacrũ, & ipsa diuina officia, vt si violetur ipsa Ecclesia, si non seruetur eius immunitas: si, quæ in ea fieri prohibita sunt, fiant: vt si tempore interdicti fiant, quæ fieri prohibentur, si quis excommunicatus aut suspensus illis interfit, aut Ecclesiæ censuras contemnat; aut Sanctorum reliquias, imagines, & alia sacra ornamenta contemptim tractet.

4. *Oratio. Sacramenta.*

QVARTÒ peccat, qui diuinũ officiũ, aliasve orationes, ad quas tenetur, non orat; aut si sponte & volens in eis distrahatur; aut verba transiliat; aut similia faciat, quæ attentionem impediant. & similiter, si confessionis & cõmunionis *Sacramenta*, nõ suscipiantur, quando Ecclesiæ præceptũ ad id obligat. & vniuersim, etiam cùm ex præcepto ad hæc præstanda non tenetur peccat, qui ea præstet absq; attentione, integritate, & reuerentia ipsis debita.

5. *Ieiunia. Concio.*

DENIQVE peccat, qui præscripta *ieiunia*, & abstinentiam à cibis, præscriptis ab Ecclesia diebus non seruat, & qui ex ignauia, & pigritia, bonorũ operum exercitationem intermittit: vt qui *concionibus* non interest; aut alijs rebus, quas Christiani communiter faciunt, ipse se subtrahit.

Circa Quartum præceptum.

PRIMVM peccat, qui carnales *parentes* non honorat in tribus, quæ illis debentur: *primum*, si non exhibeat illis reuerentiam & obseruantiam aut de illis absentibus malè loquatur; *deindè*, si in rebus licitis non obediat mandantibus; aut violenter, & minus reuerenter resistat reprehendentibus aut punientibus; denique si eos non alat, & in necessitate constitutos nõ adiuuet, siue ex proprijs suis necessaria subministrando, siue per seipsum in infirmitatibus constitutis inseruiendo, & in suis calamitatibus eos cõsolãdo; aut si vltimam eorum voluntatem in testamento, siue aliter expressam non exequatur: aut si negligat Deum pro illis orare. *denique*, si eos oderit; aut mortem eorum desideret, hæreditatem adeundi causa; aut propter aliquem alium finem: & econtrà si ita nimium eos diligat, vt propterea negligat, quæ DEVS iubet; aut, vt faciat, inspirat.

1. *Parentibus reuerentia.*

Obedientia. Amor debetur ordinatus.

DEINDE peccat in Patres spirituales & Superiores Ecclesiasticos & sæculares, si in alijs tribus obligationi suæ desit. quia sc. minus reuerenter, & obseruanter cum eis agit, & de absentibus, aut etiam præsentibus malè loquitur; aut si eorũ præceptis, legibus, & pragmaticis Iustis nõ obtẽperet, nec monitis & correptionibus acquiescat: nec seruet regulas & statuta maiorũ iuxta suum statum; aut denique si eos non adiuuet rebus illis, ad quas tenetur: reddendo sc. Ecclesiasticis constitutas decimas Dominis verò sæcularibus tributa, & vectigalia; aut reliqua, quæ illis debẽtur; &, si fidelitatem suis dominis debitam non seruet in ijs rebus, quæ sunt ipsi cõmissæ: cúmque grauius peccatum quando defectus hic in ijs admittitur, quæ pertinent ad cõmune bonũ Ecclesiæ, reipublicæ, ciuitatis, religionis, aut familiæ, cuius ipse est membrũ. Et vniuersim peccat, qui se geritirreuerenter erga Seniores in aliqua dignitate cõstitutos, & qui in suos benefactores se ostẽdit ingratum.

2. *Magistratus.*

TERTIO peccat ipse parẽs & superior, qui officijs & obligationibus suis erga filios & subditos non satisfacit, si eos odit, aut nimium diligit, si nimis asperè tractet, aut nimis eis indulgeat, si nõ doceat illos, quę facere debent; aut nõ puniat, cũ delinquũt, aut in necessitatibus eis nõ subuenit, aut infirmos negligit; si eos nõ abstrahit à prauis socijs, & occasionibus, aut malo suo exẽplo illos ad malum prouocat, aut eorum opera ad res prauas vtitur.

3. *Parentum peccata.*

HIC etiam est locus peccata exprimendi contra *quatuordecim opera misericordiæ*, quæ in necessitate cõstitutis exhibere tenemur, hoc enim nomine, quòd illi in tali sint necessitate cõstituti, nos verò possimus illis subuenire, censemur quodammodo illis superiores: ac proinde, si quis hoc officium, cùm possit præstare, negligat, peccat. Verbi gratia, si non visitet ægrotos, non suscipiat peregrinos, & ab alijs desertos, si non corrigat errantes & similia, quæ commodè facere potest.

4. *Opera misericordiæ.*

Circa quintum præceptum.

PRIMVM contra hoc præceptum peccat, qui impatienter ac desperatè vitam *suam* odit, & mori cupit, aut seipsum interimere: ferens impatienter infirmitates, ac de ipso Deo conquerens, quòd eas ei mittat, aut non remoueat; aut si, ex huiusmodi commotione, violentas sibi manus injciat, aut sibi mala imprecetur; aut si nimio cibo, aut potu, aut escis sanitati noxijs, aut laboribus immoderatis & indiscretis vitam suam faciat breuiorē; ac denique si propriam animam mactet, cōscientiam propriam conculcando, & bona dictamina inspirationesque Dei opprimendo, & suffocando; ac proinde in peccandi periculo se constituendo: præcipuè si periculum sit moriendi in peccato mortali, quale est aggredi adulterium, furtum, aut vindictam cum magno periculo vitam in ea occasione amittendi.

1. *Vita proprij animæ aut corporis.*

DEINDE in *proximos* peccat, qui cogitatione ac desiderio, odio eos prosequitur, optans eis mortem, aut vindictam sumere, & nocere eis, aut in corpore, honore, aut facultatibus.

2. *Proximi.*

DEINDE peccat omnibus internis actibus *inuidiæ*: vt si de ijs, quæ prosperè eis eueniunt, tristetur, aut doleat; gaudeat verò de aduersis; dolore afficiatur, cùm laudes eorum audit; exultat, cùm intelligit eos contemni & parui fieri; & si internè oblectetur delectatione quadam morosa, cogitans vindictæ modos, & aduersos proximi euentus.

Inuidia interna.

TERTIO pecat, qui *verba* vindictæ iniuriosa in proximum, à quo aliqua iniuria est affectus, efflutit; siue in præsentem, siue in absentem, imprecando illi mala, irridendo, contemnendo, ignominiosa cognomina ei imponendo, contra eum murmurando, & occultos eius defectus aperiendo aut manifestos in faciem obijciendo: loquendo item in cholera, verba incomposita proferendo, aut pertinaciter in disputationibus contendendo, vt victor ipse euadat, alter verò succumbat, & conculcetur.

3. *Verborum.*

QVARTO peccat, qui ipso *operè* aliquem occidit, vulnerat, aut aliter indignè tractat contra iustitiam; aut aliquid, iniuriæ solius vlciscendæ causa facit; aut in iudicium vocat, & ex odio petit vt puniatur; & qui bellum iniustum gerit, illudve fouet; qui lites, contentiones, seditiones & tumultus excitat; aut temerè aliquid facit, quod periculum & occasionem afferat detrimenti aliorum: vt si mittat sagittam temerè, nō attendens quò illam iaciat: & qui non petit veniam ab eo, cui ipse intulit iniuriam: quando huiusmodi propriæ culpæ deprecatio necessaria est, ad ipsum offensum placandum; aut si ipse deprecandi proximo culpam, non ignoscat eo modo & tempore quo ita expedit; aut si ei loqui & alia amicitiæ signa exhibere dedignatur, cum aliorum scandalo.

4. *Operum.*

QVINTO

QVINTO peccat, qui mandato suo, consilio, aut industria causa est, cur proximo aliquod detrimẽtum eueniat; aut id nõ impedit, cùm possit commodè: & nominatim Iudex ille peccat, qui innocentẽ aut reum damnat absque sufficienti probatione, aut grauius mulctat; quàm delictum mereatur; aut ex animo malo, aut contra iuris dispositionem: & quicunque ei in hoc iudicio iniustè fauent, & assistunt. Medicus quoque & Infirmarius peccat, si eorum negligentia ægrotus periclitetur. 4. *Aliena peccata.* *Iudex.* *Medicus.*

DENIQVE contra hoc mandatum tendunt peccata omnia *scandali*, quibus animæ læduntur, & sauciantur: vt cum verbis, persuasionibus, consilijs, praua doctrina, malisq; exemplis ad peccandum inducuntur: aut cùm quis præuenire & impedire potuit, ac debuit peccata, & non fecit: aut quando suâ incuriâ & negligentia aliquis moritur sine Baptismo, aut Confessione, aut Communione, aut Vnctione extrema. Ac denique qui aliorum praua opera laudans & approbans, occasionem dat illis in eis persistendi, & progrediendi. 5. *Scandala.*

Circa sextum Præceptum.

PRIMVM *opere* ipso peccatur in varijs speciebus. nam *fornicatio* est cum libera; *adulterium* cum coniugata; *stuprum* cum virgine *incestus* cum cognata; *sacrilegium* verò cum religiosa, aut habente votum Castitatis; si complex sit eiusdem sexûs, est peccatum *Sodomiticum*; si cum bestia est *bestialitas*; si secum ipse, est *mollities* aut pollutio. Peccata verò, quæ iam subijciemus, ad has species reducuntur. 1. *Luxuriæ species.*

DEINDE peccatur malo vsu quinque sensuum. Nam *Visu* peccat, qui aspicit ea, quæ ad libidinem prouocant, præcipuè res ipsas turpes, aut huiusmodi publicas actiones; aut legit libros de hoc argumento: *Auditu* peccat, qui audiẽdis turpibus verbis, aut musicis inhonestis delectatur: & multò magis peccat, qui talia dicit: *Odoratu* & *Gustu* peccat, qui olfacit, comedit, aut bibit ea quæ prouocant ad luxuriam: *Tactu* peccat, qui seipsum vel alium tangit tactibus libidinosis, osculis & similibus; & qui sese exornat, vt elegans esse videatur; si in his omnibus sensuum delectationem tanquam finem respiciat. Grauiùs verò peccat, qui rationibus, promissis, aut muneribus per se alium sollicitat ad peccandum; aut tertium alium adhibet, vt internuntium: quia hic, præter propriam culpam, etiam scandalizat eos, qui ad peccatum non propendent. 2. *Abusus sensuum.*

TERTIÒ peccatur *cogitatione*, ac desiderio hoc peccatum opere perficiendi; aut oblectione de inhonestis rebus cogitandi: quæ appellatur delectatio *morosa*: aut si insurgentes turpes motus non reperimantur, aut incidentibus tentationibus non statim resistatur, aut non euitando occa- 3. *Morosa delectatio.*

siones periculosas, sociosq; pernitiosos; nec se præmuniendo remedio Sacramentorum.

4. *Coniugum peccata.*

CONIVGATI peccant, tum non reddendo mutuò debitum coniugale; tum dum reddunt, non seruando modum & circumstantias ad decentiam necessarias; aut si extra ipsum Matrimonij vsum tactibus, aut aliter pollutionis periculo se exponunt: aut si inordinatè sese mutuò diligant; aut contrà mutuò se odio prosequantur, nec debito amore inter se agant.

Circa septimum Præceptum.

1. *Iniustitiæ peccata.*

PRIMVM peccat, qui *reipsa*, quod alienum est, furatur; aut contra iustitiam retinet, aut vendendo, & emendo decipit alium, siue quoad rei substantiam, siue in quantitate, qualitate, aut pretio; in contractibus vsuratijs, cambijs iniustis; in simonia, cùm Sacræ res pretio aliquo venduntur, aut emuntur; in sacrilegio, cùm aliquid ex templo accipitur, aut decimæ debitæ non soluuntur; quando tributa iusta non penduntur; qui bona alijs communia sibi vsurpat; qui, cùm aliquid inueniunt, sibi illud seruant, nõ quærentes legitimum Dominum: qui non soluit stipendia; aut mercedẽ quibus hæc debentur & qui cùm legitimã accipiat mercedẽ, non tamen laborat vt par est; & qui cùm reuera nõ sit pauper, talẽ tamen se fingit, vt eleemosynã accipiat; & qui inter ludendum, colludentem decipit; aut cum eo ludit, qui non habet propria, quæ lusui exponat; & qui quodvis detrimentũ proximi rebus infert, aut iniustâ sententiâ eũ dãnando, aut votũ & suffragiũ suũ nõ ei dando, in rebus quas prętendit: cùm sit alias dignus & benè meritus. Et vniuersim peccat quicunq; per illicita media, periuria, fraudes, prensationes, lites aliquid habere conatur. & qui nimia tributa & vectigalia subditis imponit.

2. *Auaritia.*

DEINDE peccat *auaritia* seu inordinatâ rerum temporalium cupiditate, qua desiderat accipere & retinere aliena, sua verò non distribuere, etiam quando oportet, ob parcitatem & tenacitatem: nominatim verò non dare eleemosynas pauperibus, atiam grauiter indigentibus, cùm posset eas commodè largiri; & cùm nec mutuò quidem vult dare, etiam in graui necessitate constitutis.

3. *Prodigalitas.*

TERTIÒ contrà peccat, qui nimia *prodigalitate* facultates suas superfluè in pompis mundanis effundit, quæ suprà ipsius statum sunt: vt in conuiuijs, vestimentis, lusibus, & nimijs in domo & familia sua expensis: quas pompas vt conseruet, & mutuum accipit, & ad vsuram, non habens vnde satisfaciat.

4. *Religiosi.*

QVI voto paupertatis religiosæ tenentur, peccant, si absque sui Prælati licentia aliquid sibi vsurpent, aut alienent, abscondant, aut re ipsis pro-

hibita vtantur, aut modo quodam proprietario ex inordinato affectu interiori. Et vniuersim quicunque pretium munusve aliquod accipit ratione officij, aut muneris, quod gratis exercere tenetur ; aut si amplius accipiant, quàm à iusta lege sit constitutum: aut denique si lege illis sit prohibitum aliquod munus accipere, & tamen accipiant. *Munera.*

AD hoc præceptum alia peccata reduci possunt furti spiritualis, vt si quis Deo gloriam auferat, sibique illam præ superbia aut inani gloria tribuat; & qui prodigit gratiam, charitatem, & spiritûs diuitias ob alicuius mortalis peccati cupiditatem; & qui tempus, quod in Dei seruitio esset expendendum, leuiter & frustra consumit; negligitque debitum soluere, quod pro suis peccatis & gratitudine beneficiorum acceptorum debet. 5. *Spiritualis iniustitia.*

Circa octauum Præceptum.

PRIMVM peccat cogitatione, qui temerè de proximorum dictis & factis *iudicat*, aut malè de illis suspicatur, in peiorem partem, absque sufficienti causa, res eorum interpretando, aut interius aliquas fraudes contra eos machinando. 1. *Prauum iudicium.*

VERBO deindè peccat, qui falsum contra proximum dicit testimonium: & nominatim, si id faciat in iudicio accusando, denunciando, aut puniendo innocentem aut defendendo, & patrocinando reo; qui etiam tacet veritatem, ad quam manifestandam tenetur; aut respondet æquiuocè, vt Iudicem decipiat: Et quicunque dicit pernitiosum mendacium in detrimentum animæ, honoris, famæ proximi; & qui quod verum quidem, sed secretum erat, alijs manifestauit; aut si promisisset secretum se seruaturum: & qui delectatur audiendis detractionibus, & murmurationibus aliorum ; aut eas non impedit, cùm possit: & in ijs omnibus etiam peccatur, de quibus circa quintum præceptum diximus. 2. *Mendacium.* *Secretum.* *Detractio.*

TERTIÒ peccatur contra hoc præceptum omnibus dolis & fictionibus, quæ tendunt ad proximum decipiendum: quales sunt hypocrisis, qua quis quærit haberi Sanctus, adulationes, blanditiæ, & promissiones, quæ ficto animo fiunt inania & iocosa mendacia, facetiæ, sales, scurrilitates, & omne genus otiosorum verborum. 3. *Fraudes verborum.*

DENIQVE peccat, qui se ipsum mentiendo infamat, etiam præ timore cruciatuum; aut verum quidē dicendo, sed sine necessitate, & in detrimentum suæ familiæ, aut communitatis, in qua manet aut contrà, quærendo ambitiosè honores nimios, & dignitates, quibus aut est indignus, aut prauis medijs, aut in aliorum detrimentum eas quærit: vsurpando sibi loca potiora, nec reuerentiam debitam alijs exhibendo, nec receptos ciuilitatis mores seruando 4. *Se infamãs aut eleuans.*

Peccato-

Peccatorum circumstantias esse exprimendas.

CIRCA eadem præcepta sunt etiam inuestigandæ circumstantiæ peccatorum: eò quòd sit necesse, omnes illas in Confessione exprimere, quæ mutant speciem, aut eam notabiliter aggrauant. Hæ autem communiter reducuntur ad septem.

S.Tho.1.2 q.7.a.3.

1. Persona.

PRIMA est circumstantia PERSONÆ peccantis, propter quam expedit, initio confessionis explicare pœnitentem vitæ suæ statum, nisi Confessarius prius id sciret: dicendo verbi gratia, se esse Sacerdotem, aut Religiosum, aut Prælatum; aut si peccatum admisit post acceptum à Deo insigne aliquod beneficium, ob magnam, quam tunc prodit, ingratitudinem. Circumstantia quoque complicis est aperienda: nam in materia sensualitatis & iniuriæ multum hinc excrescit grauitas culpæ: non est tamen exprimendum eius nomen, si ex hoc eius culpa aperitur, & potest à Confessario cognosci.

Complex.

2. Quantitas.

SECVNDA circumstantia est QVANTITAS, siue damnum corporis, aut spiritûs proximo subsecutum: exprimendo scilicet quod furto sustulerit centum, aut mille, aut artifici instrumentum, quo vitam ille suam sustentabat; aut si aliorum scandalum inde est ortum.

3. Modus.

TERTIA circumstantia est MODI, quoad intensionem scil. vim, aut vehementiam, qua peccatum ipsum perpetratur: nam in materia odij & rancoris in proximum solet hic modus indicium esse & causa grauissimarum turbationum.

4. Tempus.

QVARTA circumstantia est TEMPORIS, diei scil. in quo patratur peccatum: quia est præcipuæ solennitatis, & DVRATIONIS ipsius culpæ: nam si ea est longa, malitiæ augmentum, & multiplicationem peccatorum afferre solet: &, si proueniat ex antiqua & inueterata iam consuetudine, defectum indicat propositi emendationis.

5. Locus.

QVINTA circumstantia est LOCI SACRI, cùm est specialis in eum irreuerentia, aut si fiat coram Sacratissimo Sacramento; aut cùm fit Sacrum.

6. Finis.

SEXTA est circumstantia FINIS, siue causæ, cur fiat peccatum quæ ex intentione adiungitur operi: grauior enim est culpa, si murmures de proximo, vt vindictam sumas; quàm, si familiaris colloquij causa.

7. Auxilia.

SEPTIMA denique circumstantia est AVXILIORVM, quæ ad peccati executionem adhibentur: maximè si alij ad peccandum incitentur; aut ij vocentur in auxilium, qui ratione officij, aut muneris sui impedire illud deberent.

DENIQVE quemadmodum Christus D. N. vult legem suam ita integrè

seruari,

seruari, vt nec iota vnum, aut vnus apex prætereatur; hoc est ita omnia præcepta seruari, vt neque eorum minimum per *iota* significatũ, nec exigua circumstantia significata per *apicem*, negligatur: ita maximè est operæ pretium confiteri quicquid delictum est: nec iota, nec apice prætermissis, sed expressis, omnibus *speciebus* peccatorum, quas in ipsis præceptis indicauimus, & integro eorum *numero* in singulis speciebus & *circumstantijs* omnibus, quæ illa comitantur: ita vt quisque faciat quod Moraliter poterit, ad omnia in memoriam reuocanda. Devs enim nunquam obligat ad impossibile, nec vult homines anxijs scrupulis irretire, neque enim confessionem instituit ad animas intricandas, sed ad extricandas, & expediendas.

Accurate sed mortaliter confitendum.

NOTA.

CAPVT VII.

DVPLEX CONFESSIO, PARTICVLARIS, ET totius vitæ Generalis: quibus temporibus vtraque facienda: & monita quædam, vt rectè illæ fiant.

VIm diuinum de vita nostra iudicium esse nobis debeat exemplar eius, quod nos facere debemus: operę pretium erit considerare: quemadmodum duplex est extremum Dei iudicium, alterum *particulare* in fine vitæ vniuscuiusque, in quo vltima definitiua, & irreuocabilis sententia fertur, alterum vniuersale in fine mundi: vt, quæ prius prolata erat sententia: ratificetur & confirmetur. Ita esse duplicem Confessionem in iudicio sacramentali, alteram, omnium peccatorum, quæ prius non erant confessa: in qua prima sententia profertur irreuocabilis, quemadmodum suprà est dictum: alteram generalem omnium etiam peccatorum totius anteactæ vitæ, licèt iam antea essent confessa: vt prima sententia, quæ de ijs fuit prolata, ratificetur magis & confirmetur. Sed hæc Confessio nunquam est sub præcepto. nam Christus ipse Dominus eiusque Ecclesia nunquã obligat ad Confessionem peccatorum nisi semel, exceptis tamen tribus casibus. *Primus* est, quando in particulari Confessione aliquod mortale peccatum non fuit manifestatum præ pudore aut ignorantia affectata, aut ob neglectũ Conscientiæ examen, cum certo periculo quod propterea Confessio non esset futura integra. *Secundus* est, quando particularis Confessio facta fuit absque vero dolore, & firmo proposito ea deserendi; aut si iussisset Confessarius restitui bona, aut honorẽ, quæ abstulit; aut deserere occasionẽ peccandi, ad quod tenebatur: & quamuis dixerit se id facturũ: non tamen habuit verũ propositum exe-

Duplex Iudicium.

I. *Generalis Confessio quando sit sub præcepto.*

2.

3. quendi. *Tertius* casus est quando Confessarius nõ habuit sufficientem iurisdictionem absoluẽdi à peccatis. In his enim tribus casibus necessariò est repetenda Confessio de peccatis aliàs confessis: quòd prior illa non fuerit recta; ac proindè sententia in ea prolata fuerit inanis. Et duobus primis casibus repetendæ sunt omnes Confessiones factæ post vltimam rectè factam; & exprimenda culpa in eis admissa, ob talem defectum.

Generalis confessio in Morte.

EXTRA hos casus, etsi nulla sit obligatio Generalem Confessionem instituendi: solet tamen DEVS noster speciali vocatione & inspiratione nos permouere ad eam faciẽdam duobus potissimum temporibus: *alterum* est, cùm nos videmus in periculo mortis constitutos. cùm enim immineat diuinum iudicium, in quo vniuersim reddenda est ratio omnium, quæ gessimus in toto vitæ decursu: prudentiæ omninò erit, illud præuenire facto alio generali iudicio Sacramentali, in quo fiat generalis Confessio de omnibus peccatis totius anteactæ vitæ: vt maiori cum securitate coram diuino tribunali comparere possimus, iuxtà illud cuiusdam amici Iob dictum; a *Iudicare coram illo, & expecta eum*: nã, S. Gregorio teste, eò securiùs licebit supremi Iudicis aduentum expectare: quò fueris solicitior in iudicando te ipsum in eius conspectu.

a *Iob.35.14. Lib.25. Moral.c.5.*

In conuersione vitæ.

Alterum tempus est, cùm aliquot elapsi sunt anni vitæ valdè inordinatæ & laxioris, in qua multæ fuerunt recidiuæ, aut tepiditates prolixiores: si enim tunc efficaciori vocatione impellat cor DEVS, ad perfectam valdè *conuersionem*, & vitæ illius mutationem, præclarum ad eam principium, & solidum erit fundamentum generalem confessionem valdeq; exactam de omnibus peccatis, vsq; ad id temporis commissis, instituere. Valdè enim delectatur DEVS (vt alibi est dictũ) si dum ad ipsum b *conuertaris, decies tantum* facias, atque ab eo *errans* discessisti. vt non solum facias, quod necessarium omninò est ad veram tuam conuersionem; sed sponte etiam addas, quicquid opus est ad hoc, vt illa sit valdè perfecta. neque enim magnum quid est, si in hoc excedas limites tuæ obligationis: qui toties aliàs defeciſti in ijs, ad quæ tenebaris. Et cùm lex antiqua iusserit, eum, qui c *ouem furatus esset, quatuor pro vna reddere*; & CHRISTVS ipse Dominus Noster, Zachæi zelum laudauerit, quod d *redderet quadruplum, si quem defraudasset*, rationi consentaneum erit: vt, qui honorem, quem Deo debebas, Deo furatus fueris: eum in quadruplum restituas. vt ideò non satis tibi sit, confessionem præceptam facere; sed eam etiam addas, quæ est consilij.

Vtilitates eiusdem. Tract.1.c. 19.§.1.

b *Baruch.4 28.*

1.

c *Exod.22.1. 1 Reg. 1.6*

d *Luc. 19.8.*

Qui vetita commisit, addat consilia.

2. ET cùm Saluator tuus non satis sibi esse voluerit, id tantùm facere, quod ad culparum tuarum remissionem erat necessarium; sed redemptionem suam fecerit valdè copiosam: imitare etiam illum, copiosam hanc addendo confessionem, qua gloriosæ eius redemptionis fructus copiosior tibi

commu-

communicetur. Quod valdè est conforme eiusdem Redemptoris nostri spiritui, quem ostendit in huius Sacramenti institutione: potestatem faciens, vt suprà est dictum, eadem peccata sæpiùs confitendi, & ab eisdem absoluendi: vt copiosior gratia applicaretur, qua anima purificatur & perficitur.

Christus supererogauit.

3. *Vince sapiùs teipsum.*

Præterea: si cupis feruenter incipere: expedit rem aggredi à gloriosa aliqua tui ipsius victoria, quæ per huiusmodi confessionem obtinetur: qua (vt suprà perpendimus) pudor ille superatur, qui oritur ex omnium peccatorum manifestatione. non tunc solùm, quando ad eorum veniam impetrandam, id est necessarium, sed etiam ad maiorem tui ipsius humiliationem; triumphumque ex tua superbia ducendum, & profundiores humilitatis radices iaciendas.

4. *Collecta peccata plus compungūt.*

Nam, si totius vitæ anteactæ peccata simul ante oculos proponas: permoueberis ad maiorem cognitionem, tuique ipsius detestationem; & ad maiorem cognitionem misericordiæ Dei, qui tam diu te sustinuerit: ipseq; dolor peccatorum vehementior erit: cùm tot videas miserias, quæ illum excitent. Hac eadem via certiorem tibi facis & securiorem peccatorum veniam, & salutem tuam: id enim significare voluit Sapiens, cùm dixit: e *de propitiato peccato noli esse sine metu*; &, f *ne ferearis vsque ad mortem iustificari*. Denique si vitam nouam, eamque valdè perfectam inchoare intendas: par est exuere omninò vitam veterem, & semel rationes cum Deo tuo concludens, nouum imposterum librum rationum incipere, iuxta illud Michææ: g *decaluare, & tondere super filios deliciarum: dilata caluitium tuum sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ab hostibus tuis*, quasi dixerit: quemadmodum aquila omnes antiquas plumas, nulla prorsus retenta, exuit, vt nouas recuperans, volare meliùs possit, ita debes te omnibus superioris vitæ maleactæ operibus exspoliare, faciendo Confessionem quandam ita dilatatam, vt omnia complectatur, quæ in veteri vita tibi acciderunt, vt sic reddat tibi Deus *filios deliciarum tuarum*, sanctas scilicet cogitationes, & affectus pristinos; & h *repleat in bonis desideria tua, renouando, vt aquila iuuentutem tuam*, ad sic nouam hanc vitam inchoandam.

e *Eccl.* 5. f *eap.* 18. 22.

5. *Renouare vt aquila.*

g *Mich.* 1. 16.

h *Psal.* 102. 5.

Ob has *quinque* rationes & causas constanti consuetudine receptum est in Religionibus: (vt S. Bonauentura aduertit) vt in ipso primo Religionis ingressu confessionem generalem totius vitæ præteritæ instituat, qui statum Religiosum vult amplecti: vt sic, omnibus i *veteris hominis* operibus le exuat, & *nouum induat*, *qui secundum* Deum *creatus*, iam incipiat Deo inseruire. Idem portò meritò facerent, qui in sæculo manentes feruens suæ conuersionis initium habere desiderant: imitantes Sanctum illū Regem, qui dicebat Deo: k *recogitabo tibi omnes annos meos in*

In Spec. disc ip p. 1. *c.* 1. i *Ephes.* 4. 22.

k *Isai.* 38. 15

amaritudine animæ meæ. Tibi, inquit, ad tuam scilicet gloriam; & quia tu hæc mea recogitatione delectaris; vt qui in tuo conspectu omnia videntis verser; vt tibi satisfaciam, quem meis peccatis offendi; tibique viuere incipiam, non verò amplius mihi, quemadmodum hactenùs vixi. Hoc itaque spiritu cogitare, & iterum recogitare debes omnes annos vitæ tuæ: non simul, & quasi in cumulo omnes, sed singulos: examinando primùm quæ in vno anno tibi euenerũt; & posteà, quæ in altero: & sic deinceps. discurrendo quoque mente per *loca, officia, occupationes, occasiones,* & *socios* quos habuisti: nõ tamen aliorum vitam & facta inuestigando. non enim ait Scriptura, vt aliorum annos recogites, sed tuos. cui cogitationi adiungendus est dolor tantaque amaritudo animæ: quæ prauam quamcunque cogitationem, aut voluptatem ex carne tunc ortam omninò demergat.

Examen.

Contritio.

OB easdem causas recepta etiam est laudabilis consuetudo in aliquibus Religionibus: (& in nostra Societate talis est lex) vt singulis annis, aut etiam singulis semestribus generalis Confessio instituatur ab vltima generali quæ facta erat: ad supplendos siqui fortè fuissent defectus in particularibus: vt quasi de nouo, & maiori feruore spiritûs via perfectionis inchoetur.

Annua confessio.

EXTRA prædictos casus cautè omninò agendum est circa generalium Confessionum repetionẽ: vt nec facilè fiant, nec consulatur. solent enim huiusmodi repetitiones potiùs nocere scrupulosis; præcipuè personis melancholicis, & fœminis, & ijs, qui magnum lutum irarum, & carnis voluptatum euoluere deberent. ex quibus noxij valdè vapores exsurgerent, & emanarent. Ideoque securiùs est, postquam semel ritè facta est huiusmodi peccatorum Confessio, ea deflere: quoad particularia verò quæ in eis fuerunt, penitus obliuioni mandare.

Non semper repetenda Confessio.

§. 1. *Confessiones particulares.*

DE particularibus Confessionibus res est satis nota, quibus temporibus eam faciẽdi, peccatori incumbat obligatio. Si enim diuinum ius attendamus, solùm obligat præceptũ confessionis, quando adest peccatum mortale, idque in duobus temporibus. PRIMVM est articulus mortis, aut probabile eius periculum. si enim eo tempore huic præcepto non satisfiat: non supereſt aliud, quo impleri possit: ideoque periculo se exponit peccator moriendi, priusquam ei satisfaciat, a *qui* autem *amat periculum* (vt ait Sapiens) *in eo peribit.* ALTERVM tempus est Sacræ communionis. ad quam, (si Confessarius adsit) nõ sufficit etiã Contritio: sed Confessio etiam fieri debet, vt suo loco dicemus. Quod si Sacerdos ex legitima aliqua causa Sacrum faceret, antequã confiteri posset mortale peccatum, cuius erat reus:

Confessio necessaria in morte.

Eccl. 3. 27

Ante Sacramenta

declara-

declarauit Sacrum concilium Tridentinum eum debere *quam primum confiteri*. Quod aliqui Doctores etiam ad sæculares omnes extendunt. In alio etiam casu obligabit præceptum confessionis: quando scilicet ea medium esset necessarium ad grauissimam aliquam *tentationem* superandam, aut imminentem lapsum præueniendum, ei videlicet, qui experientia didicisset, se hoc medio, huiusmodi lapsum euitare. Verum huiusmodi casus rarus est, nec obligatio huiusmodi est propria Confessionis: eadem enim obligatio erit, incumbendi orationi, aut ieiunium seruandi: quando id esset ad similem finem necessarium.

ess.13.c.7 Nauar in Manu.c.2. n.8 in tentatione.

Præter hæc tempora statuit Ecclesia Sancta, omnes debere ad minimum semel in anno confiteri: quemadmodum ordinariè faciunt, etiam qui valdè sunt tepidi, in hebdomada Sancta. cùm enim circa idem tempus obliget præceptum Sacræ communionis: eodem tempore vtrique præcepto volunt satisfacere. Quod si ex necessaria aliqua causa annus totus trãsiret absque confessione, manet tamen semper obligatio huic præcepto satisfaciendi. non. n. est simile de audiendo *sacro*, aut seruando *ieiunio*, quod si seruari non potest die præscripto, non supereſt obligatio præstãdi, eo elapso, quod præscriptum erat, sed est simile præcepto de soluendis *debitis*: cui, si ad præscriptum diem & terminum non satisfiat, necesse est primo quoq; tempore, quo solui poterit, reddi. Vult enim Ecclesia Sancta non differri vltra annum, redditionem huius debiti peccatorum nostrorum Deo, eidemque per hoc Sacramentum reconciliationem.

Semel in anno obligat etiam post Paschã.

Sed Christiani, qui profectus sui spiritualis aliquam curam gerunt, non satis habent, quòd huic præcepto satis faciant: sed student etiam singulis mensibus confiteri, imbecillitatem suam & inconstantiam agnoscentes: Nam (vt ait Ecclesiasticus) b *sicut luna mutantur*: quę dũ incipit decrescere, & aliquid de sua luce amittere, c *minuitur in consumatione*, quasi diceret, nõ desistit, donec omninò lumen amittat; ita homines, cùm incipiunt in peccata venialia labi, non sistunt donec in aliquod ruant mortale. quod (vt S. Gregorius ait) pondere suo ad aliud & aliud trahit: nisi pœnitentia præueniatur. Qui tamen, quemadmodum in huiusmodi defectione lunam imitantur; ita volunt etiam in bono eandẽm imitari. vt sicut ipsa, postquam lumen omninò amisit, sensim illud recuperare incipit, ita vt singulis mensibus noua luna oriatur: ita ipsi reparare studeant & renouare singuis mensibus lumen gratiæ per sacram Confessionem. Ad eum morem, quo Deus olim iubebat, in principio mensis, prima scilicet die celebrari festa d *Neomenia*; hoc est nouæ lunæ, *quæ dies erat clangoris & tubarum*. ad quod etiam Dauid hortabatur dicens: e *buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ: quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob*. Quem in modum

b *Eccl.27.12 c c.43.7. Lib.25. Moral c.6. Confessio menstrua.*

d *Num.29.1* e *Psal 80.4*

meritò deberes festum diem singulis mensibus celebrare: vt præteritum decrementum noua luce reparares, exercendo in te ipsum iudicium per sacram confessionem; & petendo à Deo peccatorum remissionem. quia is est insignis dies solēnitatis, qua noster Saluator multùm delectatur. Et nihilominus etiam est valdè expediens, dies Ecclesiæ *solenniores* hac solennitate celebrare: vt magis Deo placere studeas,

In festis.

Octiduana confessio. In spec. disc. p. 3. in Regulis Nouit. c. 3. De reformat. Nouit. c. 12.

QVOD si maiores progressus in spiritu facere cupias: ad rem erit, sacram confessionem decimo quinto, aut *octauo* quoque die frequentare, ad maiorem puritatem obtinendam, & gratiæ lumen cum maiori firmitate conseruandam: acquiescendo prudentis Confessarij directioni. Sanctus Bonauentura ait: magnam esse felicitatem, *quotidiè* aut tertio quoque die confiteri. Quamuis hoc Sacerdotibus potiùs, Missam quotidiè celebrantibus, aut religiosis de magna cordis puritate sollicitis, conuenit: qui cœlesti lumine illustrati intra se ipsos etiam minimas culpas notant, quemadmodum solis radius efficit, vt minimi atomi in aëre videantur; & dolor sensusque, quo ex eis afficiuntur, inuitat & impellit ad hoc remedium frequentandum. Si tamen sis timoratus, & contingat impingere in aliquod mortale peccatum, aut de eo dubites: non prius dormitum te conferre deberes, quàm illud, si possibile esset, omninò confitereris. Si enim incumbere non auderes, habens in sinu aut ipso lecto serpentem: quomodo audebis cum mortali peccato in anima somno te dedere? Nam esto; vera contritio sit sufficiens ad peccati remissionem, quemadmodum supra est dictum: sed quis nouit an talis dolor ad veram contritionem pertingat? Cum igitur adeò sit facilè, & in promptu medium, quo damnum hoc reparetur: prudentiæ est, statim illud adhibere, vt sis securior

Mortalia statim confitenda.

Contritio incerta.

§. 2. *Monita pro Confessione.*

In spec. disc. p. 2. c. 3. & de refor. Nouit. c. 12.

VT Confessiones, siue generales sint, siue particulares; siue ex præcepto, siue ex consilio, vtiliter fiant: conditiones illæ sunt adhibendæ, quas Doctores communiter indicant: quarum aliquas hic enumerabimus. quas S. Bonauentura diuersis in locis plurimum commendat.

I. *Reuerentia.*

PRIMA est magna interior & exterior erga confessarium REVERENTIA, atque si pœnitens coram ipso Christo Domino, quem Confessarius refert, compareret; & cùm ipse, dum absoluit, non dicat: DEVS te absoluat, sed: ego absoluo te, nomine scilicet Christi: par est, te cum eo loqui, tanquam cum ipso Christo. Cum etiam tanta reuerentia iudicibus & senatoribus in suis subsellijs sedentibus exhibeatur, eò quòd Regiam ipsam personam ibi gerant: quantò ergo maiorem exhibere oportet ijs, qui DEI

per-

personam in hoc iudicio gerunt? oportet itaq; te reum agnoscentem, detecto capite, vultuq; inclinato, & oculis, sicut publicanus ille, demissis, vtrũq; genu flectere; verbisq; vti quæ magnã ostendant reuerentiã. Nec tamen satis tibi esse existimare debes, eam reuerentiam, quæ ex hac cogitatione oritur: sed excitanda quoq; est viua fides, qua supremum ipsum Iudicem, Deũ trinum & vnum præsentem ibi esse cernas; audientem, quæ dicis; &, quæ facis, aspicientem: non solùm exteriùs, sed interiùs etiam in corde; & ita eõfiteri corã Cõfessario debes: vt idipsum multò magis corã ipsomet Deo præsente facias viuida enim hæc consideratio non solùm te ad reuerentiã exhibendam impellet; sed etiam ad omnia, quæ nosti, plenè & clarè manifestanda; atque si ipsimet Deo, qui meliùs omnia nouit, quàm tu ea aperires. Licebit etiam præsentes illos duos testes intueri: qui in animæ tuæ iudicio posteà comparebunt: custodẽ scilicet *Angelum*, & hostem tuum *Dæmonem*: vt alterius præsentia spiritum tibi addat, ad dicendum, quod oportet; alterius verò, timorem incutiat, ne ijs desis, quæ facere teneris; tacendo scilicet, aut faciendo aliquid, quod possit idem hostis postea tibi obijcere.

Dei præsentia.

Angelus. Dæmon.

Hinc secunda oritur conditio, Pvritas scilicet intentionis in omnibus, quæ ibi sis facturus, aut dicturus: non solùm cum ipsam Confessionem auspicaris, sed in toto quoque eius decursu. Non loquor hic de crassa illa intentione eorum, qui ad confessionem accedunt spiritu quodam seruili, timore scilicet infamiæ, aut excommunicationis: qui nihil aliud in hoc quærunt, quàm vt Ecclesiæ præcepto exteriori illa actione satisfaciant; aut vt faciant, quod vident omnes facere: ne minoris ipsi, quam alij fiant; Tales enim manifestum dant indicium, quàm parui faciant animæ suæ salutem: cui in eo opere primum locum non attribuunt. Sed quamuis bona intentione fineque sancto, quem illa requirit eam auspiceris: attendendum est tamen, (vt Sanctus Bonauentura monet) ne gloria inanis sese ingerat, vt bonam cupias apud confessarium tuum opinionem obtinere, eò quod aptè de tuis peccatis confitearis, aut ex bono opere, quod occasione aperiendi superbiam, siue inanem gloriam, quam ex eo habuisti, refers; aut dum beneficium à Deo acceptum narras, vt tuam ingratitudinem fatearis; aut si aliquis hypocrisis gradus inferatur, cum tuum peccatum nimium exaggeras, vt humilis iudiceris. Nam Sanctus Bernardvs dixit; esse fictam quandam confessionem, cum quis multa mala de se dicit; vt non tam veritati, quàm humilitati id tribuatur.

2.
Pura intentio.

De grad. humil.

Ex pura hac intentione tertia oritur conditio, vt confessio Verbis fiat quàm Brevissimis, absque detrimento tamen veritatis, & claritatis, ita vt tria, quæ superflua sunt in verbis reijciantur. *Primum* ne multa generalia dicantur, quæ non alium fructum afferunt, quàm defatigare Confessarios,

Breuitas.

1. *Euitentur generalia.*

& vt plurimum aliqua falsa inuoluunt, vt si quis confiteretur: peccaui quinque sensibus, & in septem peccatis capitalibus, & in quatuordecim misericordiæ operibus. *Secundum*, confiteri quędam sub conditione, quę omninò essent omittenda. vt si quis diceret: si iuraui, si hoc dixi, si illud feci: hæc enim non sunt materia absolutionis: Nam licèt esses certus, te ea non fecisse: posses verè ea dicere. quare solùm sunt talia dicenda, quando verè de eis dubitatur. *Tertium* est, narrare historias, aut narratiunculas, quæ ad culpam declarandam parùm, aut nihil conferunt: & vt plurimùm talibus multæ nouæ culpæ inseruntur: quæ cedunt in detrimentum tertij, aut ipsius Confessarij audientis, aut pœnitentis ea narrantis.

2. *Sub Conditione.*

3. *Historia.*

4. *Ordo.*

HANC verborum breuitatem iuuat quarta conditio ORDO scilicet & CONNEXIO in aperiendis peccatis: seruando scilicet decem Decalogi mandatorum ordinem, aut septem capitalium peccatorum, aut distributionem in cogitationes, verba, & opera. quamuis bonum sit consilium, si qua res sit grauis, & quæ præ alijs pœnitentem premat, aut maiorem afferat pudorem, ab huiusmodi re Confessionem inchoare: vincendo scilicet statim in ipso initio maximum, quem habeat hostem: ex cuius victoria expeditior posteà sit cum reliquis hostibus congressus. Nam si culpa huiusmodi grauior humano aliquo respectu ad finem Confessionis reijciatur: quia timor, qui statim non vincitur; augetur; fortè crescet adeò vt obstruat os, ne manifestetur, aut explicetur, vt oportet: quēadmodum euenisse fertur misero cuidam homini, quem confitentem aspiciebat vir quidam Sanctus, qui in spiritu vidit, ex ore pœnitentis, prout ille peccata sua confitebatur, prodire plures bufones: & cum magnus quidam iam iam ad os peruenisset, vt exiret, tantam ille difficultatem sensit, vt iterùm deglutiret. in quo momēto reliqui omnes, qui exiuerāt, iterùm sunt per os ingressi. Ex qua visione intellexit vir Sanctus: peccatorem illum timore aut pudore victum, graue aliquod peccatum reticuisse: quamobrem reliqua iam confessa in anima remansisse, ob defectum integræ confessionis.

Grauiora prius explica.

Refert Discipulus.

5. *Contritio.*

DENIQVE plurimùm refert, si sacrificium cordis contriti & humiliati verba externa ita comitetur, vt peccata ipsa cum magno pudore, dolore, ac sentu exprimantur; Confessioque ipsa sit instar beneficij illius, quod Oseas Propheta a *vitulos labiorum nostrorum* appellat. Nam quemadmodum in antiqua lege, b *vitulus, qui in holocaustum offerebatur*; primum *immolabatur*, deindè *detracta pelle, artus eius in frusta concidebantur: quæ lota super altare ordinabantur, & Sacerdotes subiiciebant in altari ignem, donec omnia adolerent in suauē odorem Domino*: Ita etiam cùm hoc Sacramentum suscipere vis, DEO offers quoddam holocaustum: *immolas* vitulum, quando contritionis cultro peccatum detestaris, & occidis opera veteris hominis; *excorias* autem, aut pel-

a *Ose* 14. 3.
b *Leuit.* 1. 5

lem de-

lem detrahis, cum tuæc onſcientiæ occulta aperis; eius omnes partes *concidis*, quando tua peccata ſingulatim ac diſtinctè declaras; eas verò *lauas*, quando confeſsioni lacrymas,& cordis gemitus adiungis; ſuper *altare* collocas, quando magna fiducia ea omnia in Chriſti Seruatoris noſtri miſericordiam proijcis. Sacerdos ſtruem *lignorum* componit, quando rebus tuis ordinem adhibet, ſuiſq; exhortationibus ac reprehenſionibus te ad gratiã, quam ſperas, recipiendam diſponit: *ignem* ſubijcit, quando te abſoluit: nam abſolutione ſua ignem tibi communicat Spiritus S. qui vrit & cõſumit iniquitates tuas; afflat verò *odor* Deo ſuauiſsimus, quando cõtriti tui & humilitati cordis ſacrificium in confeſsione acceptat; & cùm poſt eam laudas illũ & glorificas, milleq; agis gratias ob collatum tibi beneficium. O Deus infinite, cui adeò benè olet hoc ſacrificium in virtute eius, quod vnigena filius tuus pro noſtra tibi obtulit reparatione: concede mihi, vt eo ſpiritu illud tibi offeram, vt tua placetur ira; meque repleas tua miſericordia, Amen.

CAPVT VIII.

QVA RATIONE DEVS PER CONFESSARIOS adiuuet, ad magnas Confeſsionis difficultates ſuperandas: quales ipſi Confeſſarij eſſe debeant; & quam eiſdem pœnitentes ipſi ſubiectionem debeant.

QVONIAM POENITENTIA plena eſt difficultatib⁹, quę partim proueniunt à *Dæmone*; partim ab ipſa noſtra *natura* ad malum propenſa, vel praua conſuetudine corrupta; partim denique ab ipſomet *opere*, q⁹ arduũ ex ſe eſt, ac difficile: voluit Chriſtus D. N. prouidentiæ ſuę ſuauitatẽ & efficacitatẽ oſtendere, proſpiciendo de auxilijs ad has omnes difficultates ſuperandas. idq; interdũ pręſtat per ſe ipſum ſolùm, interdũ verò per ipſos Confeſſarios, quos tanquam inſtrumenta adhibet, nõ ſolùm ad remittenda peccata, cùm abſoluunt; ſed etiam vt pœnitentibus auxilio ſint, ad omne genus tentationũ, & difficultatum quas ſentiũt, ſuperãdas. nam aliquas ſentiunt, quæ illos retrahũt, ne ad confeſsionẽ accedant; alias, quæ ineptos illos faciunt, ne in ipſa confeſsione ſe gerant, vt oportet: & ita inutilis illis reddatur confeſsio. Primæ illæ difficultates à Sathana ſunt adinuentæ, ob graue eius odium in ipſam confeſsionem: in qua experitur, ſuas machinationes diſſolui. Cùm itaque aduertit, aliquem ipſius tyrannidem fugientem agere de facienda confeſsione: excitat in eum internorum hoſtium manum, qui ipſum deterreant, & auertant: qualis eſt *pudor* aperiendi ſua peccata, vt diximus: *timor* reprehenſionum,

Confeſsio ardua.

aut correptionum,& pœnitentiaru;*affectus* inordinatus ad ea,quæ propriarum culparum occasionem præbent; *repugnantia* in ijsdem deserendis & mutandis moribus. Ex his inquam alijsque timoribus agmen congregat instar illius Pharaonis,eiusque militum,per quos statuit persequi eos,quos diuina vocatio intendit ex tenebrosa peccati Aegypto liberare: iamq; prope sunt,vt rubrum pœnitentiæ mare ingrediantur.Quid verò magnus DEVS noster ad eos protegendos,& ijs difficultatibus expediendos facit aliud, quàm quod a *Angelus* ille faciebat,*qui deducebat Israelitas*? qui cum sua *columna nubis*,tanquam murum se *inter castra Aegyptiorum & castra Israel* collocauit;ita vt Aegyptij *toto noctis tempore*,ad eos *accedere non valerent*,*donec Moyses* virga sua mare diuideret,&*ingressi essent filii Israel per medium ficci maris*: & tunc Angelus se subtraxit.vt *Aegyptii*,*ingrederentur*,*ibique omnes summergerentur*.Quid enim aliud hoc est,quàm pulcherrima quædam effigies eius curæ,quam magni consilij Angelus Christus Seruator noster gerit circa eorum protectionẽ,quos vocat,&,vt peccatum deserant,inspirat: quos supernæ suæ protectionis nube tanquam muro quodam circumdat,prohibetque furiam & impetum hostium,conantium bona eorum desideria impedire;ac remouet obstacula omnia,quæ eum egressum prohibent.

a Exo:14.14

Anxietas pœnitentis.

QVOTIES enim euenit,vt,quem DEVS vocat, peccator in angustijs & anxietate magna,qualis fuit populi Hebræi, constitutum se videat,hinc à Pharaone eiusque militibus,inde verò ab horrendo mari eiusque fluctibus obsessum?si tentationibus consentiat,quæ à pœnitentia illũ retrahunt, videt suam perniciem:redit enim ad Aegyptiacam seruitutem: Quod si eas fugiat,& pœnitentiæ mare ingrediatur: vehementer timet, & ab eius amaritudine,fluctuumque terribilitate terretur & cogitatione apprehendit, se in eis submergendũ. Sed in ijs angustijs cõstituto adest diuina misericordia, nube suæ protectionis, & virga suę omnipotentię,quam tradit ducibus à se cõstitutis *Moysi & Aaron*, qui Sacerdotes significant.quibus iurisdictionẽ, & iudiciariam virgam in hoc pœnitentiæ Sacramento tradidit,cum magna potentia ad mare diuidendum, transitumq; facilem reddendũ pœnitentibus,desiderantibus saluare animas suas:vt ita securè per hoc mare(vt supra est dictum) pertranseant: vt ipsi victores, hostes verò, qui ipsos persequebantur, victi permaneãt.Et quemadmodum Moyses primùm populi illius animos verbo erigebat,postmodũ verò mare virga aperuit:ita prudens cõfessarius afflictum peccatorem erigit, ne in ea anxietate animo deijciatur, dicens illi:ne hostium furorem pertimescas:Deus est illis potentior, ille te vocauit,& ex Aegypto eduxit: ille defendet te ab ijs,qui contenduntad suã te seruitutẽ retrahere:nunc eos vides viuentes,& erectos:post paululũ submersos videbis,& extinctos.Ne horreas maris amaritudinem: est.n. mare

Exod.14.16.

rubrum

rubrum, Christi sanguine tinctum pro tuis peccatis; & vt te ab eis mundaret, effuso. Cum igitur cœlestis hic tuus medicus horrendam adeò amaritudinẽ, vt tuis infirmitatibus mederetur, gustauit: quid multum erit, si & tu particulam aliquam delibes, vt sanitati restituaris? non hoc mare ingrederis, vt in eo moriaris; sed vt viuas: nam peccato mori, est Deo viuere. nec semper tibi in mari est permanendum: sed per illud ad terram promissionis transeundum. Breui tempore labor hic finietur; eiusque fructu citò delectaberis. His & similibus alijs rationibus, quas Deus suggerit confessario, dans vim & virtutem eius verbis, animum ille pœnitentis erigit; manumque operi admouens ad aggrediendum impellit: vt timorem deponat. Et tantus nonnunquam est lacrymarum, & singultuum feruor, quem Dominus noster pœnitenti tunc communicat, vt Sacramenti efficacitatem illi manifestet: vt omnes repugnantiæ ac timores, quibus antea concutiebatur, quasi submersi esse videantur. & ipsimet hostes clamare videntur, sicut tũc Aegyptij: b *fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* & ita reuera est. pugna enim, quæ in Sacramento agitur, verè est pugna Dei: siquidẽ ipsius causa suscipitur. & ipse ad pugnandum exit pro nobis, datque fortitudinem necessariam, vt glorioſam reportemus victoriam, & euanescant tentationes, quæ nos ab huius Sacramenti vsu prohibebant. & vt magis nũc eius frequentatione delectemur, quam ante illud fugere studebamus.

b *Exod.* 14. 15.

§. 1. *Qua ratione cor emolliatur & extricetur.*

I. *Duritia cordis.*

Aliæ tentationes ac difficultates non minus importunæ affligere solent pœnitentes, etiam qui libenter ad confessionem accedunt; *duritia* scilicet *cordis*, quam secum afferunt: vt potè sine dolore & sensu peccatorum suorum: aut quia nõ satis proprium, viuumque sibi formant conceptum aut æstimationem peccati lethalis; nec satis assequuntur supplicia, quę illud promeretur; nec bona, quæ destruit; nec iniuriã, quam infert Deo: aut quia cor hominis veheméti aliqua passione vinctũ tenetur; aut inordinatæ alicui sensuali affectioni, cupiditati, aut vindictæ sese tradidit. & quamuis hinc deserere eam vellent; vt cum fructu confiterentur: inde tamen non se satis expediunt, aut statuunt id efficaciter velle. Sed in his etiam difficultatibus solet Dominus noster Sacramenti virtutẽ ostendere; & corda etiam saxis duriora emollire, ac reddere teneriora. iaciendo illis inspirationes aliquas, cùm sua peccata manifestant; aut verbis ipsorum Confessariorum, quæ diuinæ omnipotentiæ sunt instrumenta, ad huiusmodi mutationes faciendas. quemadmodum Moyses eadem a *virga*, qua *mare rumbrum diuisit*, *percussit*, mandante Deo, *petram* durissimam, & b *egressæ sunt ex ea aqua largissima*: per quam aquam (ait S. Gregorius Nyssenus) significari pœnitentiam, ex qua viua gratiæ aqua fluit, in virtute c *petræ* viuæ *Christi* Domini,

a *Exod.* 17. 5. b *Num.* 20. 11. c *Lib. de vita Moysis, seu de vita perfecta c.* 1. *Cor.* 10. 4.

qui noſtri remedij cauſa percuſſus eſt in cruce. Eſt enim adeò potens eius virtus, vt ex cordibus petra durioribus d *profluere* faciat, *aquas viuas*, e *fontemq*; illius *aquæ*, quæ *ſalut in vitam æternam*. dicet enim confeſſarijs, quod olim Moyſi, & Aaron dixit: e *loquimini ad petram & illa dabit aquam*. Ad duas petras loqui debent Confeſſarij, vt voti compotes fiant. *Primum* ad petram viuam Chriſtum D. N. humiliter ſupplicantes, vt cor illud durum emollire, gratiæque ſuæ aquam ei largiri dignetur: quemadmodum Moyſes & Aaron primùm preces ad Deum fuderunt, dicentes: f *Domine Deus aperi populo huic theſaurum, fontē aquæ viuæ*. Collocata verò fiducia ſua in Saluatoris ipſius miſericordia, debent mox ad duram peccatoris petram loqui: *his* eam *virga percutientes*: proponentes ſcil. duplex genus rationum, timoris, & amoris. TIMORIS erunt reuocando illis in memoriam mortem, iudicium, infernum, & reliqua temporalia & æterna ſupplicia, quæ Deus rebellibus, duriſque cordibus minatur; & periculum, in quo verſantur in ea incidendi: propterea enim Eccleſiaſticus dixit: g *cor durum male habebit in nouiſsimo: & qui amat periculum, in eo peribit*, abſque vllo remedio. AMORIS rationes erunt: proponendo illis æterna præmia, beneficia diuina, ſpiritualia & temporalia bona, quæ Deus ſuis amicis communicat; & ſuper omnia percutient corda virga *Crucis* Chriſti: proponentes eis: quanta paſſus ipſe fuerit pro noſtris peccatis: paſſionis enim Chriſti memoria vſque hodie (vt S. Bernardus ait) h *terrā mouet, petras ſcindit, aperit monumenta*: quia facit tremere & emolleſcere terrena, & dura corda: *tremant* ſcilicet iudicia Dei, *ſcindantur* cōtritione; confeſſione verò *aperiantur*: vt ad nouam reſurgant vitam.

CVM igitur i *non ſit abbreuiata manus Domini* nec paſſionis Chriſti D. virtus hebetata: non eſt cur abiiciatur fiducia, quòd hos effectus per confeſſarium ſit in hoc Sacramento effectura. Quemadmodum tamen Moyſes, etiamſi primo ictu non eduxit aquam ex petra, non propterea animum & confidentiam abiecit, ſed ſecundum adhibuit ictum: & tunc erupit aqua valdè copioſè: ita etiam nō abijciet animum Confeſſarius, ſi prima ratio, quam attulerit, cor pœnitentis non emolliuerit: ſed addenda eſt ſecunda, & tertia: quia cùm ipſe minùs cogitauerit, aderit DEVS, qui interno ictu erumpere faciat fontem lacrymarum. Nam neque Petrus ad primum galli cantum conuerſus eſt; ſed ad ſecundum k *recordatus verbi quod dixerat ei Ieſus*: à quo tūc interiùs tactus, l *flenit amare*. Quid igitur aliud ſunt verba, & monita Confeſſarij, niſi (quod ſupra inſinuauimus) galli cantus, qui ſopore oppreſſum peccatorem excitat; & cor eius durum emollit, non propria virtute, ſed illius Domini, qui dixit: m *quis dedit gallo intelligentiam*? DEVS eſt (ait S. Gregorius) qui Concionatori & Confeſſario inſpirat verba dicenda, & modum ſiue actionem in dicendo: vt vtilitatem pœnitentibus affe-

rant.

d *Ioan.* 7. 38.
e *Cap.* 4 14
e *Num.* 20. 8 *Sacerdetes orent.*
f *Num.* 20. 6, 11.
Timor.
g *Eccl.* 3, 27.
Amor.
Crux Chriſti.
Serm in feria 4 maioris hebdom
h *Matt.* 27. 52.
2.
i *Iſa.* 59. 1.
Perſeueran tia.
k *Marc.* 14. 72.
l *Luc.* 22 *Tract. 1. c. 12*
m *Iob.* 28. *c. 1. b. 3. Mo ral. c. 3. & 4*

rant. Neque enim eædem rationes & verba sunt omnibus dicenda, nec eadem ratione & modo: sed iuxtà pœnitentis dispositionem, & necessitatem. Et quemadmodum gallus media ipsa nocte fortiorem & longiorem edit vocẽ; manè breuiorem & molliorem: ita peccatoribus, maioribus miserijs immersis rationes sunt proponendæ, quæ timorem & terrorem incutiant: vt ita excitentur; alijs verò maiorem rerum Dei lucem habentibus, satis erit insinuare molliores aliquas suauioresque rationes. Vniuersim tamen eum ordinem meritò seruabunt, dum cor durũ pulsant: vt etiamsi primi pulsus, & ictus sint ex rationibus, quæ timorem incutiant: addantur tamen etiam aliæ, quæ excitent amorem: aqua enim contritionis non facilè erumpit ad primos illos ictus, nisi accedant secundi: & vtrique conferunt ad infirmorum vulnera curanda: applicando scilicet, exemplo pij n *Samaritani, vinum*, quod mordet; *& oleum*, quod lenit.

Discretio

Vinum & oleum.

n *Luc.10.34.*

Alias difficultates habet ipsa Confessio: quia interdum, quamuis cor sit iam tenerum: est tamen ita intricatum, vt non sciat se expedire, & aperire quæ habet: siue id proueniat ex ignorantia rerum aliquarum, quas nõ intelligit; aut quia illæ sunt multæ, & ex seipsis obuolutæ, & intricatæ: aut denique, quia passio & affectus facilè in rebus proprijs iudiciũ rationis obfuscat. ideoq; cœlesti auxilio & fauore ad eas extricandas, & explicandas est opus. Propterea enim ipse Dominus dixit: o *prauum esse cor omnium, & inscrutabile: quis agnoscet illud? ego Dominus scrutans cor, & probans renes*: hoc est examinãs occultissima quæque. Id quod solet Deus in hoc Sacramento per ipsos Confessarios efficere: quibus cœleste lumen largitur, vt conscientias extricare & explicare possint, ad sanandum. Ad eos enim pertinet aperire etiam *duos* illos *libros*, ex quibus iudicium hoc peragitur: librum scilicet *legis*: cuius partem, quæ pœnitentem concernit, iuxtà illius statum & officiũ, declarant; simul adiuuantes eum, ad librum suæ *conscientiæ* aperiendum: interrogando, quæ ad rem esse iudicabunt; eiusque dubijs respondendo, & rationibus cõuincendo: vt à suis erroribus ille discedat. Nam quemadmodum tempore Iosue p *Sacerdotes cum tubis Iubilei, & populus cum armis suis*, ex mandato Dei, *circumierunt ciuitatem Iericho sex diebus: septimo vero die, cum Sacerdotes clangerent buccinis, & totus Israel vociferaretur, muri ciuitatis illico corruerunt; & statim ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat: & ceperunt ciuitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea: & vrbem ipsam, & omnia quæ erant in ea succẽderunt*: Ita ad expugnandum cor aliquod irretitum, cuius muri sunt *peccata*, habitatores verò *passiones* & cupiditates: necesse est, conuenire *Sacerdotes* & *pœnitentes*; & septies ac sæpiùs conscientiam illam circumire, inuestigantes, quicquid in ea latet *septem* peccatorum capitalium, & circumstantiarum eorum: ita vt nihil supersit occultum. quando autem post hoc examen illa om-

3.

Iere 17.9.

Confessarij illuminant pœnitentẽ.

p *Iosue 6. 6. &c.*

Peccata muri.

Passiones ciues.

Pœnitentis clamor.

nia innotuerint: debent pœnitentes *os* aperire, & magno sensu ea conteri: ipsi verò Confessarij *buccinis* clangent iubilæi, proferentes scilicet sententiam absolutionis: cuius virtute muri corruunt, & peccata euanescunt. Hoc verò impedimento adeò difficili sublato, liber patet ingressus ad cor illud; & iugulandos omnes eius habitatores, qui viui supererant: abscindẽdos scilicet habitus & consuetudines vitiorum, passiones ipsas, & effrenes cupiditates, ad succendenda quæcunque earum erant occasiones, & fomẽta. Cùm gratia enim Sacramenti, quæ peccatorum murum euertit, ingreditur *virtutum moralium & infusarum* agmen, sequentium ducem suam *charitatem*: quibus omnibus prælium ineundum est contra omnia vitia, & passiones; vnaquæque earum rectà tendente ad vincendum, & mortificandum vitium sibi contrarium.

Sacerdotis buccina.

Castrorum acies ordinata.

AD hoc etiam, auxilium præstant Confessarij, non solùm absolutionis sententiâ, sed *exhortationibus* etiam, monitis, & consilijs, quæ suggerunt aduersus tentationes; alijsq; medijs, quæ ad passiones vincendas adhibent, & applicant: Nam hæc verba buccinæ sunt, quæ hostes terrent: milites verò, contra illos tendentes, animant. Ac propterea (vt S. Bonauentura monet) in confessione, dum aperiuntur culpæ; licet etiam referre Confessario internas & externas tentationes nobis importunas: valdè enim horrent dœmones, ac tremunt, si eas Confessario pœnitens aperiat, & DEVS D.N. Confessarium adiuuat, ac dirigit: vt apta & ad rem accommodata remedia, ad eas vincendas, adhibeat. Et quemadmodum humilis peccatorum Confessio pœnitentem disponit, vt DEVS illa remittat: ita humilis tentationum manifestatio multum confert ad hoc, vt DEVS illas remoueat, aut copiosiorem det gratiam ad eas vincendas; humilitatem & fidelitatem eas manifestantis earundem victoria remunerando: quemadmodum Sanctus quidam senex Serapion affirmauit, qui, (vt refert Cassianus) cùm esset iunior, graui gulæ tentatione pulsabatur: quam dum Abbati suo aperuisset, respondit Abbas: confide fili: absoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente, Confessio tua. Id quod prodigioso quodam signo DEVS ipse comprobauit: cùm enim Abbas loqueretur, ecce lampas accensa de sinu Serapionis procedens, ita locum repleuit odore sulphureo, vt vehementia fœtoris ipsius vix in eo residere eos permitteret: quæ lampas testimonio fuit ardentis prius in eius corde passionis: quæ ita fuit extincta, atque in perpetuum consopita: vt non solum postea non senserit, se ea passione pulsari: sed neque amplius venerit in memoriam. Hanc admonitionem aliasq; admirandas dabat S. Apostolus Petrus fidelibus (quemadmodum S. Clemens eius discipulus refert) his verbis: Instruebat B. Petrus, actus suæ vitæ omni hora custo dire; & omni loco Deum respicere: cogitationes malas cordi suo

In Spec. disc. p. 2. c. 3.

Conscientia manifestatio.

Collat. 2. cap. 11.

S. Petri consilia.

Epist. 1. ad Iacob. frat. Domini. Vide Canis. c. de Confess. §. 5.

adue-

aduenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare. In his tribus consilijs summa consistit totius perfectionis vitæ spiritualis. ideoque meritò ea hic coniunxi.

§. 2. *Qualis esse debeat Confessarius.*

EX dictis facilè conijci potest, quanti referat bonum eligere Confessarium, *scientiæ, & conscientiæ*, vt dicitur, sapientem & sanctum. Nam licèt in alijs Sacramentis non multum noceat suscipienti, quòd eorum minister ignarus sit, aut improbus; modò veram formã & materiam nouerit, in quibus eorũ essentia cõsistit: In Sacramento tamen pœnitentiæ, quod fit in forma iudicij, plurimum refert, iudicem esse sapientem & rectum: *sapientem*, vt causas noueritiudicandas, & peccatorum grauitatem cum omnibus circumstantijs: *rectũ*, ne humanis respectibus, aut temporalibus lucris flectatur: & ne passione aliqua aut inordinato affectu excæcatus, licere iudicet, quod non licet; aut contrà: aut absolutionem tribuat indigno, ex quo facilè proueniet vtriusque damnatio: nam a *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* Nam Confessarius peribit ob malè præstitum officium; & pœnitens remanet in suo peccato, ob defectum dispositionis ad Absolutionem recipiendam. Et qui existimat se absolutum, in maiori versatur periculo: quia non aget de nouo remedio quærendo.

Confessarius sapiens sit & rectus.

a *Mat.* 15. 14 *Luc.* 6. 39.

PLVRIMVM prætereà refert, eum esse sapientem, sanctum, strenuum & expertum. non enim eius officium finitur absolutione peccatorum: sed debet etiam esse Magister & Dux animæ; & Medicus infirmitatum internarũ, quæ ex peccatis oriuntur: debet nosse remedia cõuenientia applicare: cautus esse in reprehendendo, in pœnitentijs iniungendis, in bonorum operum exercitijs consulendis; & rebus alijs, de quibus mox dicemus. Ad quæ omnia multũ iuuant, scientia, virtus, & experientia. Et quamuis DEVS prouidentiâ suâ, Cõfessarij & Magistri spiritualis defectus suppleat, quando prudenter, & bona intentione eligitur: quia sufficiens & aptus existimatur: si tamen negligenter, nullaque ratione habita, an sit aptus nec ne? aut certè studio is eligatur: qui blandiri nouerit, & auribus seruire; seque tuo palato accommodare. non erit mirum, si DEVS permittat, eum decipi, teq; decipere: quẽadmodum per Ezechielem Prophetam minatus est: b *Homo de domo Israel, qui posuerit immundicias suas in corde suo, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me*, cupiens per eum voluntatem meam cognoscere: *ego Dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum*, permittens *Prophetam errare*, & illum decipere. *& iuxta iniquitatem interrogantis* sic iniquitas Prophetæ erit: c & si *populus parietem* ex crudis lateribus *ædificat, Propheta vero linit eũ luto absque paleis, ego imbrẽ inundantem & prægrandes lapides dabo desuper irruentes, vt cadat: & complebo indignationem meam in pariete, & in eo quo linit eum*

Confessarij delectus.

b *Ezech.* 14 4. 9.

c *Ezech.* 13 10. S. *Greg.* 18. *Moral.* c. 14.

absque

absque temperamento. Quamobrem, si parietem ex crudis lateribus exstruxisti, dans locum peccatis ob lucra terrena: ne quærito Confessarium, qui lutum obducat, occultet, aut approbet; nec Prophetam, qui voluntatem diuinam flectere nitatur, & incuruare: vt voluntati tuæ illam accommodet. Nam permittet DEVS te inuenire talem Prophetam, qualem quæris: sed id fiet cum manifesto tuo detrimento. quia mittet DEVS super te imbres graues, & lapides prægrandes tentationum & calamitatum, quibus omnia tua consilia dissipet; & bona, quæ sperabas destruat: & finis fortè erit tua damnatio. Quære itaque Confessarium, & Prophetam facultatibus illis ornatũ, quas suprà retulimus, qui possit ac nouerit cum dexteritate vti clauibus, quas à Deo habet; fortique sit animo ac imperterrito ad percutiendum cor tuum semel & iterum virga sua. vt quemadmodum Moyses aquam viuam ex duro lapide eliciat; magnaque constantia ac vigilantia sæpiùs circumeat muros tuæ conscientiæ, tantaque fortitudine buccina clangat, vt eos deijciat; & hostes in eo latentes prodire faciat, & animum tibi ad pugnam contra eos addat. proba (inquit Origenes) prius medicum, cui debeas causam languoris & peccata tua exponere; qui sciat infirmari cum infirmante, & flere, cum flente; qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam: sitque adeò eruditus, & misericors; vt, si quid consilij dederit, facias, & sequaris: vt sanus euadas. Elige (ait Sanctus Basilius) virum virtutis exemplaris, magnæ scientiæ, virum integrum, relaxationis hostem, ab omni auaritia alienum, negotijs sæcularibus non se immiscentem, ad animæ tuæ bonum procurãdum propensum: quem lucrum non flectat, qui inani gloria non euanescat, qui ambitione nõ trahatur, cui nihil sit præstantius honore Dei: cuius causâ vultum potentis non metuat, nec in vno puncto suo desit officio. Et cùm Confessarius debeat simul esse cõsiliarius, elige (ait Sanctus Ambrosius) virum, qui virtute & scientia te eminenter excedat; noueritque præsentibus periculis occurrere, futura præuenere, de imminentibus admonere, dubia & argumenta tua soluere, & in tempore remedia adhibere: nec solum consilio sed etiam industriâ te iuuare: ac denique talem, de quo possis dicere: si mala mihi euenerint, per illum sustineo: sequor enim benè consulentem: & confido in Deo, me non erraturum, si eius consilium sequar. & si quando, vt potè homo, ex inaduertentia contingat errare: DEVS eius errorem conuertet mihi in salutem. quia Iudex est misericors, qui, cùm instituerit Confessionis tribunal, non id fecit, vt nos illaquearet: sed vt solueret: ac propteteà ad ipsum spectat reparare errores, in quos fideles eius ministri sana intentione inciderint.

Tract. 2. c. 9.

Homil 2. in Psal. 37.

Serm. de Abdica seculi Colum. 3.

Lib. 1. Offic. cap. 8.

Ex his intelligitur plurimùm referre, vt semper sit idẽ Confessarius: nec ad singulas Confessiones nouus quæratur. Nam si cupidi salutis corporis

volunt

volunt semper eundem corporis Medicum in suis morbis adhibere: quia ille optimè nouit ipsorum complexionem: quanto magis erit consonum rationi, si de animæ tuæ salute sis solicitus, semper habere eundem spiritualem Medicum, qui propensiones tuas, & vulnerum radices perspectas habeat: ac proinde rectiùs aptiusque remedium adhibeat. Et si Confessarius debet simul esse consiliarius, etiam expedit, semper esse eundem, minori enim tuo & suo labore tibi consulere poterit: eò enim respexit Ecclesiasticus, cùm dixit d *Et si multi pacifici sint tibi & amici: consiliarius tamen tibi vnus sit de mille*: vt scilicet vnum habeas stabilem, cum quo omnia tua conferas, & cuius sequaris ductū, qui & sit electus ex mille. nam semper quod pretiosum, est rarum: ac propterea debes illum non mutare, si tuo desiderio votisque conformem inueneris. fortè enim tam aptum alium non inuenies. Præterea: si confessarius idem sit semper, cum maiori prudētia præscibere tibi poterit: quàm frequenter, tuis rebus ita exigentibus, accedendum tibi sit ad hoc Sacramentum: & tempore monere, si fortè exignauia id facere omittas; & reprehendere tarditatem tuam, recidiuam & similes alios defectus: & animare, vt in bonis exercitijs progressuu facias. aliaque officia præstare Ducis & Magistri spiritus propria, quæ superius indicata fuerunt.

Confessarius retinendus quia Medicus & consiliarius.

d *Eccl. 6. 6.*

Et Exactor operis.

Tract. c. 29.

Est tamen & illud meritò obseruandum: (quod etiam in eodem loco insinuauimus) vt cùm huiusmodi cōfessarium fueris nactus, postquam tua peccata ei aperueris: offeras te generosa quadam ac resignata voluntate, ad præstandum quicquid ille iniunxerit, & in bonum animæ tuæ constituerit, etiamsi arduum ac, difficile videatur: persuadens tibi, talem Confessarium nihil iniuncturum, nisi prudenter, & quod iustum sit. Quare feruentianimo dices ei, quod Saulus Deo in sua conuersione: e *Domine quid me vis facere?* statue, quod volueris: paratus enim sum, quicquid cōstitueris, exequi. Non debes (ait S. Bernardus) esse sicut aliqui, volūtatis suæ nimis tenaces: qui desiderant audire à Confessario, quod Christus D. N. dixit cuidam cæco: f *quid vis vt faciam tibi?* vt scilicet ipse Confessarius accommodet se in ijs, quæ officij sui sunt, voluntari & palato pœnitentis. Quemadmodum superbus Naaman, profectus ad Prophetam Eliseum, vt curaretur à lepra, existimabat, Prophetam ad ipsum exiturum, ac dicturum: quomodo vis, vt te curem: se verò responsurum: hoc volo, vt g *manu tua tangas locum lepræ, & sic curer.* Propheta autem ex Dei reuelatione cognoscens exiguam Naaman resignationem; nec expedire, ea ratione ipsum sanari: non eam adhibuit, sed præscripsit alteram, iussitque, *lauari septies in Iordane.* Vt ex hoc intelligas: cùm ad confessarium accedis, vt à culpis & inordinatis affectionibus cureris: non debere te desiderare, vt ille tibi dicat: *quid vis, vt faciam tibi.*

Pœnitens sit resignatus.

e *Actu. 9. 6. Serm. de conuers. S. Pauli. Luca 18. 41*

g *4. Reg. 5. 11*

tibi. si enim verus ille est Dei Propheta, quemadmodum fuit Eliseus, animæ tuæ bonum desiderans, dicet quod magis tibi expedit: etiamsi arduum sit, ac doleat. alioquin periculo te exponis, quemadmodum Naaman, remanendi in tua lepra, contemnendo Confessoris tui iudicium & præscriptum, vtpote iudicio tuo contrarium. Quod si quando prudens Confessarius imbecillitatis tuæ rationem habendam iudicet, ideoque iudicio tuo se accommodet, ac dicat: *quid vis vt faciam tibi?* quam vis pœnitentiam tibi præscribi? qua via vis deduci? debes potiùs te humiliare, & de tua imbecillitate erubescere: & in feruore spiritus respondere ei: non veni huc, vt fiat quod ego volo; sed quod mihi præscribetur, & Deus de me voluerit, illud sequar & amplectar.

CAPVT IX.

HVMILITER ET SINE EXCVSATIONIBVS AVdiendam esse Confessarij correptionem; & cuiusuis amici, qui ex charitate de nostris defectibus nos admonet.

PRIMVM, in quo pœnitens reuerentiam erga suum Confessariũ & subiectionem ostendere debet, illud est: vt postquam sua peccata aperuerit, humiliter & in silentio reprehensiones & monita Confessarij audiat, iuxta consilium Ecclesiastici dicentis: a *audi tacens: & pro reuerentia* & humilitate, quam in hoc ostendis, *accedet tibi bona gratia*. Quæ enim gratia melior ea, quę in hoc Sacramento communicatur; valdeq excellenter obtinetur, cùm Confessarij admonitio & correptio humiliter auditur? Sed quoniam hæc reuerentia, animique demissio erga Confessarium non est soli confessioni adstricta; est verò maximi momenti ad Christianam perfectionem consequendam, de ea nunc in tota sua latitudine & extensione agemus.

a *Eccl.* 32. 9.

Fraterna correptio.

PRÆMITTIMVS tamen hoc fundamentum: quoniam sacramentalis Confessio propriè non nisi eas culpas complectitur, quas pœnitens agnoscit, & emendare desiderat: præter quas tamen alias habet sibi ignotas, aut quas emendare non curat: necessariam fuisse *correptionem fraternam*: cuius finis est, proximũ cum prudentia & charitate de his defectibus admonere, vt se emendet: iuxta admirandum illud Ecclesiastici consilium: b *corripe amicum, ne fortè non intellexerit*, se peccasse, *& dicat: non feci; aut, si intellexerit, & fecerit: ne iterum addat facere. Corripe amicum: sapè enim fit cõmissio*, & delinquitur. Vera autem amicitia ostenditur: dum is corripitur ob malè acta,

b *Eccl.* 19. 13.

vtrea cuitet. Correptio enim (teste S. Thoma) est proprius actus charitatis; & vnum ex operibus misericordię spiritualis, quo subuenitur pauperibus, & in primis animabus eleemosyna tanto præstantiori omnibus corporalibus, quanto ipsa anima corpus, & bonum æternum excedit corporale, præcipuè, quia pauperes & corpore infirmi miseriã suam agnoscunt, & de medio quærendo sunt soliciti; spiritu verò pauperes & infirmi, sæpè existimant se diuites esse ac sanos; aut, si paupertatem & infirmitatem suam perspectam habent, adeò illa delectantur, vt non sint de medicina quærenda soliciti. Ideoque nisi aliquis alius ex charitate eam illis offerat, perirent illi irreparabiliter. 2.2.q.33.a.1.

Hoc apparebit in triplici hominum genere, qui peccant, nec de reparandis suis defectibus cogitant: quos tamen, per correptionem admonitos emendant. Nam quidam sunt, qui ex nimio feruore & zelo, ex inaduertentia & indiscretè aliqua faciunt, existimantes esse bona: quæ tamen valdè à rectitudine aberrant. Et sic solent Tyrones, & parum in via perfectionis versari impingere, vt apparuit in Apostolis, cum nouitij essent in schola nostri Redemptoris. Sanctus enim Petrus indiscreto quodam feruore opposuit se & impedire voluit Christi Domini Passionem, dicens: c *absit à te Domine: non erit tibi hoc*; & lotionem suorum pedum, dicens: d *non lauabis mihi pedes in æternum*; & filij Zebedęi voluerunt e *ignem de cœlo descendere, & consumere illos, qui ipsos non receperant.* Et alij ad Christum accesserunt multum sibi placentes, quòd f *Dæmonia sibi subiicerentur.* Et aliàs g *contendebant inter se, quis eorum videretur esse maior*: semper autem diuinus ipse Magister eos corripuit, & erroris admonuit. Ne autem existimes Tyrones tantùm hoc nomine impingere, accipe exempla valdè antiquorum & perfectorum. Nam S. Petrus cùm iam gerere: se tanquam Ecclesiæ caput, bono zelo h *segregabat se à gentibus*, ne Iudęos turbaret: cuius tamen socius & amicus Paulus eum corripuit; *quia reprehensibilis erat.* Moyses quoque in se solùm totius populi gubernationem susciebat, donec Iethro socer eius illum corripuit, dicens: i *non bonam rem facis: vltra vires tuas est negotium, & solus illud non poteris sustinere.* Quod si duo luminaria nouæ & antiquæ legis, admonitione opus habuerunt: quis tantum sibi attribuere audeat, vt ea se non indigere existimet, etiamsi antiquissimus sit, sapiens, & sanctus?

Triplices errores.

I. *Zelus indiscretus.*

c *Mat.16.22.*
d *Ioan.13.8.*
e *Luc.9.54.*

f *c.10.17.*
g *c.22.24.*

Etiam in senioribus.

h *Gal.2.11.*

i *Exod.18.18*

Alii sunt imperfectiores, qui à proprio amore & vehementi aliqua passione raptati, in aliquos defectus incidunt; quos vel non aduertunt, vel parui faciunt. Nam (vt ait S. Gregor.) proprius amor excæcat oculos rationis; ne malum, quod faciunt, videant. Nam vt communi prouerbio dicitur: qui amat, etiam quod turpe est, pulchrum iudicat. Ex quo fit, vt facilius videamus aliorum defectus, quàm nostros: quia ad eos videndos non sunt

Homil.4.in Ezech.

2. *Amor proprius.*

oculi nostri amore proprio excæcati;nec trabem passionis habent, quæ illorum aspectum prohibeat. Necesse igitur est, vt superiores atque amici, qui candidè,& sinceris oculis tuos defectus aspiciunt,te moneant & corripiant:vt & tu,eosdem aduertens,emendare studeas. Quem enim non terreat Regis Dauidis lapsus in adulterium & homicidium: quem amor proprius,passioque vehemens ita excæcauit,vt aut culpæ rationem non duxerit;aut eius fuerit oblitus per tempus decem mensium, cum scandalo interim totius populi? & fortè in malo illo statu etiam per decem annos permansisset, aut etiam nunquam se emendasset: nisi Nathan Propheta eum admonuisset. At qua ratione vir sanctus eum admonuit? culpam ipsius in alio quodam proposuit:vt eam Rex absque nube passionis, quæ aspectum culpæ propriæ impediebat, aspicere posset. Quæ culpa in alio posita adeò turpis illi visa est; vt cùm postea in seipso illam esse deprehendit, vehementer erubuerit. Si igitur virum secundùm cor Dei ita occupauit passio, vt excæcauerit, & necesse fuerit tali arte rem illi proponere, vt moneri posset: quis securum se existimabit; & non confitebitur, se indigere correptione.

2 Reg. 11. 12.

3. *Tepiditas.*

SED alij non minùs sunt imperfecti: qui etiamsi culpas agnoscant,in quas inciderunt:ex animi tamen relaxatione ac tepore; imò nonnunquam etiam ex malitia,eas non emendant;sed potiùs Medicum fugiunt: quia nolunt peccatum deserere. nec deserent, nisi superiores & amici veri ex charitate faciant officium Medicorum, & illos corripiant. Viri enim honorati & ingenui bono aliquo verbo, & amica ac benenola admonitione errores suos emendant,potiùs quàm si aliæ pœnæ infligantur, iuxta illud Salomonis:k *plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.*& Seneca dixit:*nobilis equus vmbrâ virgæ regitur,ignauus nec calcaribus incitari potest.*Ex quo fit, vt correptio non solum præteritos lapsus reparet; sed eius etiam timor ab eisdem præseruet. nam quando timor deest eius, qui corripere potest,multò facilius est labi. & propterea S. Bernardus dicebat:se magis timere peccatum occultũ,quàm publicum. correptio enim adiuuat ad publicum deserendum:deest verò ad reparandum occultum. & vbi non est timor corripientis;tentator accedit quasi securus de victoria:ac proinde facilior est lapsus in culpam. Et S. Anselmus dicere solebat: vbi non est *correptio*,ibi est *corruptio*.Facilè enim culpa serpit, & animam totam corrumpit:imò solet totam communitatem inficere.quemadmodum modicum fermenti(vt ait Apostolus)*totam massam corrumpit.*

k *Prou.17. 10.*

Lib. de Morib.

in Medita. c.14.

Correptio, aut Corruptio.

1 *Cor. 5. 6.*

MVLTÆ rationes hinc deduci possent, quibus tenemur, quando, & prout expedit,proximorum defectus corrigere. id quod valdè proprium est confessariorum munus,& Patrum spiritualium: quibus spirituale pœniten-

nitentium bonum incumbit. Sed id tamen in alterum huius operis volumen reijcio: vbi de Prælatorum ac Patrum familias officijs & muneribus agetur. Nam mens mea in hoc capite est, solùm agere de ijs, quæ ad ipsum correptum, siue in confessione, siue extra illam spectant: vt ex correptione vtilitatem sentiat.

§. 1. *Quàm sit noxium, correptionem non admittere: & inanes ad id excusationes adferre.*

CVm virtutis fructus & commoda faciliùs cognoscantur ex incommodis vitij contrarij, explicemus priùs ea, quæ adfert non accepta correptio: quorum maximum est, quòd hominem faciat Dæmoni similem; cuius peccatum est incorrigibile, ac proinde incurabile, propterea enim Ecclesiasticus dixit, a *qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* eius peccatoris, inquit Lyranus, qui simpliciter *peccator* dicitur, hoc est *Dæmonis.* quare prope est, vt ad eius societatem infernum descendat, quasi ægrotus desperatus. Huius rei luculenti fuerunt testes duo filij Heli sacerdotis, qui quòd blandam & paternam eius correptionem audire noluerunt, & b *vterque eodem die mortuus fuit.* quare addit Scriptura permisisse Deum, vt illi *non audirent vocem patris sui, quia* eorum peccatis irritatus *voluit Dominus occidere eos*: imò eorum causa alij etiã multi ab eodem Domino fuerũt puniti. Quemadmodũ etiam, quòd Dauid non acceptasset verecundam, & reuerentiã plenã admonitionem Ducis sui Ioab, cùm iuberet numerari populum à Dan vsq; Bersabee. dicebat enim Ioab: c *adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, & centuplicet in conspectu Domini mei Regis: sed quid sibi Dominus meus Rex vult in re huiusmodi?* Cui modestissimæ admonitioni cùm Rex nõ acquiesceret, in causa fuit, cur *septuaginta millia virorũ peste morerentur*, in pœnã illius peccati.

Damon incorrigibilis.
a Eccl. 21.7.
Damon peccator.
Eccl. 19.5.
Prou. 15.10. 12.
b 1. Reg. 2.26 34. & c. 4. 11.
c. 2. Reg. 24. 2.15.
Pœna non auditæ correptionis.

Ad irreparabile hoc detrimentum ascenditur per tres gradus, quos S. Bernardus *contemptum, impatientiam*, & *impudentiam* appellat. *Contemptus* consistit in eo, vt nihili faciat quod dicitur; neque ipsum dicentem: (quemadmodum ægrotus, qui & medicamenta, & ipsum Medicum ea præscribentem contemnit) quia mori potiùs, quàm moneri aut corrigi eligit: de quo Salomon ait: *qui odit increpationes, insipiens est.* Satis enim apparet: secundùm rectam prudentiam potiùs sumendum pharmacum, etiam amarissimum, quàm vitam amittere.

1. *Serm. 42. in Cantica. Contemptus.*
d *Pro. 12.*

Hinc ascenditur ad secundum gradum Impatientiæ & indignationis in rectè monentem: quemadmodũ Phreneticus, qui mordet manũ chirurgi, lethali eius vulneri medentis. *Mira*, ait S. Bernardus, *peruersitas, medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* rationi fuisset consenta-

2. *Impatientia.*

Irascere vulneranti, nō medico.

neum magis, si tuam iram in *Dæmonem* conuerteres: qui tentationis iaculum in te iecit; & contra *carnem* tuam, quæ te ad culpam prouocauit; & ipsammet *culpam*, quæ te ad mortem & pœnam æternam deducit: talis enim ira est verè medicinalis ac salutaris, iuxta illud Psalmi: e *irascimini, & nolite peccare.* & S. Basilius ægroti prudentiā laudat, qui non conqueritur, aut murmurat de chirurgo, etiamsi secet ipsum & vrat: siquidem ea via recuperat sanitatem. Quod ipsum confirmat Ecclesiasticus dicens: f *vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.* stultus autem est, sicut *canis*: ad quem cùm iacitur lapis, si iacientem mordere non possit, eo relicto, *lapidem* mordet; iram suam in lapide vlciscendo, etiamsi dentes ex eo cruentet. Ita impatiens ipsam correptionem mordet, notam falsitatis, indiscretionis, & irreuerētiæ illi impingens; & hoc modo sese vlciscens, multùm sanguinis peccatorum ex impatientia effundit. Quæ impatientia crescens ad tertium deducit gradum, scil. IMPVDENTIAM: qua reuerentiam omnem & respectum Deo & hominibus debitum amittit: dum excusat, defendit, aut denique culpam ipsā dicit bonam. vt meritò de eo dicatur, quod populo Israel Ieremias obijcit: g *frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere.* nec reprehensionis rationem vllam ducis, quia potiùs de mala tua vita gloriaris, & h *peccatum tuum quasi Sodoma prædicas.* Tunc autem is magis accedit ad execrandam cum Dæmone similitudinem, minorque est curationis & sanitatis spes.

e *Psal.* 4. 5. *Regula.* 52. *fus.*

f *Eccl.* 10. 28

3. *Impudētia.*

g *Ierem.* 33.

h *Isa.* 3. 9.

Superbia correptionē odit.

HORVM omnium incommodorum radix vniuersim solet esse *superbia*, & inordinata excellentiæ & honoris apud homines appetitio. quæ è diametro correptioni & reprehensioni repugnat: eò quòd sibi persuadeat, ignominiam aliquam ex eo contrahere. quamobrem ambitiosi, inanis gloriæ cupidi, & hypocritæ vehementer horrent reprehensiones: sunt enim (quemadmodum quidam Iob amicus dixit) sicut *scirpus siue carectum*, quod etsi multos flores proferat, cuspides tamen & spinas multas habet, quæ asperitate sua manum carpentis incidunt: quamobrem nemo eas corripere audet. & nihilominus *cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu; ante omnes herbas aresc it.* & tales, ait S. Gregorius, esse superbos & hypocritas: quorum vita in exterioribus sancta & iucunda apparet: sed quoniam vehementer cupiunt honorari, acutissimis spinis sunt pleni: quibus quemcunque in honore eos tangentem, etiam blanda manu & reprehensione iusta, pungunt & cruentant. Nam *hypocrita* paratior est mori, quàm corripi. ideoque citiùs moritur quàm reliqui peccatores. quia remedium, quod alij habent, ipse admittere recusat. nec est, qui audeat, eum reprehendere: non solùm, vt proprium damnum euitet; sed quia ille redargutione deterior redditur, noua pristinis addens peccata. Vnde S. Chrysostomus ait: maximum Ecclesiæ & Religionum nocumentum prouenire ex eo, quòd

S. Greg. 8. Moral. c. 24.

Hypocrita incorrigibilis.

Homil. de ferendis reprehens. to. 2

ægrè

ægrè feramus reprehendi: & propterea non sit qui audeat id facere. Deumque permittere, vt molesti simus cùm *arguimus* : quia exasperamur , cùm *arguimur*.

Arguens ferat se argui.

Ex hoc maximum humani generis damnum, initium habuit, postquam primi parentes nostri deliquerunt. Nam cùm ipsemet Deus ad eos veniret, vt corriperet, non libenter correptionem exceperunt: cùm enim humiliari debuissent, culpamque suam deprecari, ne ex paradisi loco eijcerentur: inanibus excusationibus adhibitis , culpam suam auxerunt. A quibus eius posteri prauam hanc ad excusationes propensionem hæreditarunt, tam in ipsa confessione, quàm cùm extra illam corripiuntur, vtentes excusationibus in peccatis, modis illis , quos Sanctus Bernardus his verbis exprimit: ait enim , qui se excusat , dicit : aut non feci : aut feci quidem , sed bene feci ; aut si malè, non multùm malè ; aut si multum malè , non mala intentione : si autem & de illa, sicut Adam & Eua conuincatur : aliena suasione excusare se nititur. Quinque excusandi modos & vias insinuat hic S. Bernardus. *Primus* est negatio ipsius culpæ : quemadmodum Ananias & Saphira eam negarunt, k *mentientes* apertè *Spiritui sancto* : aut quemadmodum *Cain* indirectè, cùm à Deo interrogatus : *vbi esset Abel*, quem ille interfecerat, *respondit*: *nescio. num custos fratris mei sum ego?* *Secundus* modus est, cùm factum quidem agnoscit; sed illud tamen defendit, & apparenti aliqua ratione iustificare nititur : quemadmodum Saul à Samuele reprehensus, quòd non obediuisset Deo, iubenti vt m *interficeret peccatores Amalec*, respondit: *imo audiui vocem Domini, fecique quod iussit fieri.* Nam infelix satis sibi esse existimauit, quòd mediam partem eorum, quæ facere iussus erat, esset excutus: quasi integrè paruisset. Hos, ait S. Gregorius, similes esse *Erynaceis*, qui antequam pulsentur , caput pedesque detectos habent: sed statim atque tanguntur, se totos includunt , & fiunt instar globi in manibus tangentis: Ita antequam hi reprehendantur, clarè appareat principiũ & finis & prauarum eorum viarum, & gressuum; sed statim atque de illis monentur, reprehenduntur, excusationum multitudine omnia obducunt: vt appareant omninò iustificati. quemadmodum Salomon dixit de n *muliere adultera, quæ comedit & tergens os suum dixit, non sum operata malum.* Auertat à te Deus, vt ô *Erycius* (sicut dixit Isaias) cordis tui *terram possideat*, & *in ea habitet* : nam tunc prope eris, vt *redigaris in nihilum* ; certaque erit damnatio tua. Sed quando Herynacius se totum claudere non potest, conatur tamen aliquam partem tegere: vt, si peccatum confiteatur , illud tamen, quantum potest, excuset, dicens : non attendi, oblitus fui, fuit incuria , vrsit me necessitas, fuit vehemens occasio, vix aliud potui facere. Quemadmodũ Saul, cùm à Samuele reprehenderetur, quòd holocaustũ ante tempus obtulisset,

S. Greg. l. 22. Mora. c. 13.

Quinque excusationes.

S. Bern. de præcepto & dispensat. c. 14.

« I. *Negatio.*

« *De gradibus humil. gradu. 8.*

k *Act. 5. 3.*

l *Gen. 4. 9.*

2.

m *1. Reg. 15. 20.*

Defensio.

In pastorali. p 5. admonit. 12. & 35. Moral. c. 24.

n *Prou. 30. 20.*

o *Isai 34. 11.*

3.

Excusatio.

statim

p1. Reg. 1. 11.

4. *Intentio.*

q 1. Reg. 15. 1.5.21.

5. *Alterius accusatio.*

statim se excusauit dicens: p *senecessitate compulsum id fecisse*, eò quòd *populus ab ipso diliberetur*. Et quando huiusmodi excusationis prætextus adferri non potest, alius accipitur: quod factum est, excusando, ob rectam in eo intentionem, placendi scilicet Deo: quemadmodum idem Saul: quòd q *tulisset oues & boues Amalec*, cùm iussus fuisset omnia interficere, illud excusauit dicens: factum esse, *vt immolarentur Domino Deo*. Denique cùm nihil horum pro excusatione adferri meritò potest, culpa facti in alios conijcitur: quod induxerint, persuaserint, aut facere coegerint: quæ excusandi ratio est omnium pessima: vt quæ non solùm sit contra humilitatem, sed sæpè etiam contra charitatem fraternam, & ipsam iustitiam, quemadmodum impius hic Rex culpam seruati gregis, quem Deus mactare iusserat, coniecit in populum, dicens, *pepercit populus melioribus ouibus & armentis*. Quæ etiam fuit Adami excusatio, culpam violati Dei mandati in vxorem, quæ vetitum pomum ipsi porrexisset, conijcientis; imò & in ipsum Deum: adiecit enim: r *mulier, quam dedisti mihi sociam*. quemadmodum & alij culpam suam conijciunt in carnem & naturam debilem, quàm à Deo acceperunt:

Gen. 3. 12. Tu Domine reus es, qui talem mihi sociam, talemque naturam dedisti. Alij verò, sicut Eua, excusant se, culpam conijcientes in Dæmonem, à quo dicunt, se deceptos: quasi non fuisset sibi liberum, aut vires non habuissent, ad dæmonis aut carnis, aut iniqui alicuius amici, qui peccatum persuaserit, tentationibus resistendum.

Hæ omnes excusationes sunt effectus superbiæ, & obstinationis in sequendo proprio iudicio. adeoq; astutè agit, vt ipsam excusationem ita occultare studeat: ne, si talis esse deprehendatur, superbia notetur. quemadmodum peruersus ipse Saul, (vt ait S. Gregorius) priusquam excusaret se apud Samuelem, plurimùm est illi adulatus, eumque laudauit, dicens: s *benedictus tu Domine*: vt sic iustam in eam iram deponeret; &, quòd ipse malè fecerat, approbatet. Sunt adhuc alij callidiores, magisque vafri, qui antequam se excusare incipiant, præfantur, se id non facturos, nisi vt facti sui rationem reddant; & ita faciant, quod ratio ipsa suadet. O superbiæ calliditatem: quæ tot modis quæris latere: cùm hac ipsa via & ratione ipsas culpas magis augeas: & excusationes ipsas tunc magis manifestes, cùm eas studes magis occultare! produnt enim tunc se multò maiores esse ac pernicioſiores, vt iure propterea optimo petierit Dauid à Deo: t *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. nō declines cor meū in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Nam ex meipso adeò sum ego peruersus, vt non solùm peccata mea excusem; sed ipsas quoque excusationes, augendo hac ratione ipsa peccata.

s 1. Reg. 15. 13.

Excusatio excusationum.

t Psal. 140. 3.

S. Greg. li. 4 Moral c. 16. & li. 22 c. 9.

§. II. Ra-

§. II. *Ratio & modus correptionem accipiendi.*

SItot incommoda ex non libenter susceptа correptione consequuntur: quanta erunt commoda, si, vt par est, suscipiatur? Noluit Ecclesiasticus propriis verbis ea exprimere, sed affectibus vsus est loco verborum: a *O quàm bonum est* (inquit) *correptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.* Magnum procul dubio bonum est, quod à tot malis liberat, quod secum adfert peccatum, quod hic appellat, *voluntarium.* Nam licèt omne peccatum debeat esse à voluntate admissum, sine cuius consensu nulla censetur culpa: prius tamen quàm accedat correptio, aliquid admisceri potest eius, quod appellatur inuoluntarium: ita vt non sit omnino & absolutè volitum, ob ignorantiam, inaduertentiam, aut passionem acceleratam: quæ eius fuit causa. at si post correptionem, in peccato persistis: iam tunc est omninò voluntarium, malitiam continens similem peccato *Dæmonis*, & ei, quod S. Augustinus *impatientiæ & obstinationis in Spiritum sanctum* appellat: quod difficillimè dimittitur. Quòd si correptionem modestè acceptes: voluntarium hoc peccatum effugisti; & reliqua, ob pœnitentiam, quam hic te habere ostendis. Sed multò adhuc maius bonum obtinebis, ob heroicas virtutes humilitatem, patientiam, & charitatem, quas in ea amplectenda exerces; & ob easdem etiam maiorem honorē consequeris, quàm ob culpam amiseris: vt ex præclaris actibus, quibus hæc *pœnitentia* (quam Ecclesiasticus hic commendat) manifestatur, facilè erit cognoscere. quos actus licet cum S. Bernardo ad quatuor præcipuos reuocare.

a *Eccl.* 20.4

Voluntarium peccatum post correptionem.

S. Th 2.2 q. 14. ar. 2.

Actus pœnitentiæ. Serm. 4. in Cant.

PRIMVS actus est, internum culpæ dolorem exterius ostendere, ita *verecunde acquiescendo* correptioni, vt nullum ostendas indicium dedignationis aut tædij, nec meretricis frontem induas, sed sponsę verecundę. sicut sancta illa anima, quæ cùm à suo dilecto reprehenderetur, dicente: b *si ignoras te, egredere, & abi* ex domo mea, statim sancto quodam rubore operta, tantoperè Deo placuit, vt è vestigio ille eam laudauerit, dicens: *pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*: audita enim eius reprehensione, valdè erubuit: ideoq; pulchrior apparuit, vt intelligatur, pudorem & confusionem ob culpam admissam, facere animam pulchriorem, Deique oculis gratiorem. Ex hoc ad secundum Actum fit transitus, vt scilicet culpam admissam *humiliter cōfiteatur*: quod indicium est magis adhuc heroicæ humilitatis, quàm si spōte eam, & non correptus confitereris. Nam, teste S. Gregorio, facilè mihi culpam confitentur, quando de ea non notātur: qui tamen ab alijs correpti, se statim excusant ac defendunt. Nam in primo existimant, se honorem aliquem acquirere cogitantes, eos, qui seipsos accusant, iustos haberi: ijdem tamen existimant, se aliquid honoris amittere, si ab alijs moniti, aut cor-

I. *Verecundia.*

b *Cant.* 1. 8.

2. *S. Bern ser 41 & 42. in Cant. Lib 22. Moral. c. 13. Confessio.*

repti, taceāt. sicut Monachus ille, de quo refert Cassian. qui multis se asserebat flagitijs inuolutū: qui tamen cùm ab Abbate benignè ac leniter corriperetur, ingenti tristitia & dolore affectus amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare potuit: quo ostendebat se suorum criminum spontanea Confessione honorem, quem diximus, quæsiuisse: at qui verè humilis est, in vtroque conspicuum se & singularem præbet. nam & spontè suas culpas confitetur, & earum correptione delectatur: confessione sua testimonium præbens veritati iustæ correptionis. Quemadmodum Dauid statim atque Nathan Propheta eum admonuit; culpam suam agnouit, & confessus est, & in momento eius veniam est cōsecutus, plusque honoris obtinuit, quòd Rex adeò potens correptioni illius Prophetæ se subiecerit; quàm quod Goliath gigantem superauerit: Hoc enim facto superbiæ & inanis gloriæ gigantem deuicit: qui solet alias de Regibus triumphare; nobilesque ac mundi potētes prosternere & calcare. Humiliare itaque correptione accepta: & obtinebis coram Deo, eiusque Angelis, & iustis ac prudentibus hominibus honorem: qui mirifico odore ex his pœnitentiæ indicijs exhalante, plurimùm recreantur. Nam ideò sponsa post reprehensionem dixit: c *nardus mea dedit odorem suum.* Nardus, ait S. Bernardus (est herba quædam humilis, & calida, virtutem habens euacuandi pectoris frigiditates, estque symbolum *humilitatis* heroicæ: quæ, dum audit correptionem, consuetum suum emittit odorem: quia correptus, ea audita, se se humilians tum ipse à culpa per confessionem purgatur, tum Ecclesia tota odore ab ea proueniente, ædificatur.

Collat. 18. c. 11.

Victoria inanis gloriæ.

Odor pœnitentiæ.

c *Cant. 1. 12. Vbi supra. & ser. 4 Assumptionis.*

3. *Responsio.*

CVM hac humili confessione coniungi debet actus tertius, *mansueta* scilicet *responsio* ad ea in quibus est necessaria: quamuis nonnunquam expediat perfecto silentio reticere: præcipuè cùm corripiens iram potius quàm zelum in corripiendo ostendit: quemadmodum tacuit d *Magdalena*, cùm à sorore sua *Martha*, & à e Iuda postea reprehenderetur; & alij murmurarent ob ea, quæ ipsa faciebat. Sed quando responsione opus est, non excusationes adhibendæ, aut irata verba proferenda: sed cum humilitate & mansuetudine; magnisque amoris & gratitudinis indicijs, ob acceptum correptionis beneficium est respondendum. Hoc fuit argumentū celebris illius Homiliæ, quam S. Chrysost. de hac materia habuit: nā cùm ab amicis quibusdam monitus esset de *prolixitate cōcionum*, in eadem Homilia respondit, se valde illis obstrictum esse, ob eam admonitionē. Nā si (ait) vestē habeas dissutā, aut sordidā, & faciē maculatam: magnum tibi præstat beneficiū, qui eius rei te monet; gratiasq; propterea illi agis. Quantò igitur magis rationi erit cōsentaneum, gratias ei agere, qui de animæ maculis monet, vt eas abstergas: & S. Basilius, si chirurgos (inquit) diligis corporis vulnera curātes,

d *Luc. 10. 46.*

Hom. de ferend reprob. 10. 2.

etiamsi

etiamsi crucient, doloremque inferant, eis que mercedem pro labore & animi gratitudinem reddis: quanto magis diligendus is est; gratiæque illi agendæ, qui animæ vulneribus medetur: licet curationis tempore tristitiam aliquam afferat? Non enim coniicere debes oculos tam in tristitiã præsentem, quàm in futurã salutis animæ tuæ vtilitatẽ. Propterea siquidem dixit Salomon: *f argue sapientem, & diliget te. & g qui corripit hominem, gratiã postea inueniet apud eum magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Accipe (ait S. Bernard.) correptionem tanquam donum è cœlo delapsum: & ita gratum te exhibebis ei, per cuius manum eam accipis.

f *Prou.* 9. 8.
g *Pro.* 28. 23.

4.

Sed non satis est, mansuetè respondere & verbis mollibus: nisi opere ipso sequatur emendatio, & modestè obtemperes corripienti. h Nam Heli mansuetissimè respondit reprehensioni, à Deo sibi per Samuelem obiectæ: sed parum profecit ea responsio: quia se non emendauit. Quare præcipuus correptionis fructus est, mox parere eis, quæ proponuntur, manus applicando ad opus ipsum, vt lapsus statim reparetur, & tunc virtutum Nardvs maiorem ex se dimittit odorem, qui omnes ædificat & consolatur. Vsque hodie (ait S. Chrysost.) totam Ecclesiam ædificat exemplum i *Moysis*, quãdo monitus à *Ietro* socero suo (vt supra dicebamus) eò quòd totius populi Israel gubernationem solus portaret, & suadẽte, vt onus illud in alios viros graues & prudentes distribueret: id Moyses statim executus est, nec timuit, se propterea à populo contemnendum: nec laborauit, vt rationem aliquam quæreret, ob quam alij existimarent, consilium illud à se, & non ab alio prouenisse: sed, vtpotè humilis, alterius se iudicio subiecit: maiorem verò affert admirationem, quòd ipsemet, ad perpetuam rei memoriam scriptum id reliquerit: vt omnes intelligerent, sibi nunquam illud consilium incidisse; & libenter vidisse, ab alio se esse correptum; ac desiderasse, vt omnes exemplum huiusmodi ab ipso acciperent. Et eodem Spiritu S. Paulus scriptam reliquit admonitionem, quam fecit sancto Petro; & idem S. Petrus, vtpotè humilis, etiamsi nouerat eam admonitionem in Epistolis sancti Pauli esse notatam, easdem tamen ipse approbauit, desiderans, omnes eas legere. vt omnes intelligant, eum qui corripitur ob aliquam culpam, nihil honoris amittere, si se emendet: maximum potiùs acquirere, dum tot heroicas virtutes exercet quæ, præteritarum culparum damnum abundè reparant.

h 1. *Reg.* 3. 18.
Emendatio.

i *Exod.* 18. 24.

Sanctorum humilitas.

CAPVT X.

DE SACRAMENTALI SATISFACTIONE PER Ieiunia, Eleemosynas, & Orationem & perfectare formatione, quæ eisdem operibus obtinetur.

CONFESSIONIS itinere expedito, reliqua duo inchoamus, Satisfactionis, & Reformationis: quæ ordinariè simul peraguntur. SATISFACTIO pars est Sacramenti Pœnitentiæ. DEVS enim D. N. ita cum culpa *æternam* pœnam, quæ in inferno luenda erat, remittit: vt eius loco *temporalem* aliquam exigat, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam. Spectat autem ad munus Confessarij, pœnitenti præscribere aliqua opera, ac porrò ad ea, obligare: quibus temporali huic pœnæ satisfaciat; & simul à nouis culpis præseruetur. Quæ opera ex hoc quòd sint pars sacramenti, duplicem præ alijs excellentiam habent: *Alteram*, quòd non solùm remissionē pœnæ obtinent, quæ labori proprio ea præstantis respōdet, sed etiam ex *opere operato*, in virtute ipsius Sacramenti aliquid amplius remittunt. ita vt si pro spontaneo vnius diei ieiunio remittatur tibi pœna vnius diei in purgatorio. idem ieiunio à Cōfessario in pœnitentiā iniuncto plus aliquid remissionis purgatorij pœnæ debeatur; licèt non lateat quantus ille sit excessus. Necesse tamen est, hāc satisfactionem in statu gratiæ expleri: nullum enim opus quod extra eum statum peragitur, ex vsu esse potest ad meritum, aut satisfactionem pro aliqua pœna. *Alteram* excellentiam hac præstantiorem attribuit S. Thomas eisdem operibus, dicens. ea non solùm pœnas remittere, sed aliquem etiam gratiæ gradum obtinere, præter eum, quem spontaneè tantùm factæ mererentur. Quoniam enim sunt pars Sacramenti, virtutem habent, ad gratiam benè alias disposito, communicandam.

Satisfactionis efficacia.

Remittit & meretur.

3. p. q. 90. a. 2. ad secundum

Vide Suarez tom. 4. disp. 3. sect. 2.

§. 1. *Tria opera satisfactoria.*

SED hoc prætermisso, quod est singulare in his operibus, quà sunt pars quædam huius Sacramenti: loquamur in genere de omnibus, quæ ad tria præcipua communiter reducuntur: IEIVNIVM scilicet, ELEEMOSYNAM, & ORATIONEM: sub quibus reliqua continentur, quę ad eundem finem & scopum adiuuāt. Illis enim pretiosissimum quoddam nostrarum omnium rerum sacrificium Deo offerimus. Nam IEIVNIO & alijs operibus carni nostræ molestis, quales sunt flagellationes, cilicia & alia similia,

Ieiunium.

offe-

offerimus (vt ait Apostolus) a *corpora nostra hostiam viuentem*: cum eis, quæ delectabilia sunt huius mundi, subtrahimus: Eleemosyna, & misericordiæ operibus corporalibus offerimus ei facultatum nostrarum b *hostias* dū nos earum commodis spoliamus, vt ipsius iram placemus: Oratione & operibus diuini cultus, sacrificium ei laudis offerimus; nostrumque spiritum sacrificamus, tradentes illi cor nostrum, rem scilicet præ alijs illi gratissimam. Et quemadmodum Magi c *obtulerunt* puero Iesv *aurum, thus, & myrrham*: ita nos myrrham offerimus *ieiunii*, quod est carni amarum, aurum *eleemosynæ*, quæ pauperi datur; & thus *orationis*, quæ in cœlum ascendit.

a *Rom.* 12. 1
Eleemosyna
b *Heb.* 13. 16
Oratio.
c *Mat.* 2. 10.

Præterea: quoniam peccata & nobis & proximis detrimentum, Deo verò iniuriam afferūt: par est satisfactionem nostram nobis pœnam, proximis commodum, Deo verò ipsi honorem afferre. Et quoniam eorum radices, vt S. Ioannes dixit, sunt d *concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum*, *& superbia vitæ*: decet satisfactionem oēs has radices euellere, vt sic etiā à recidiua præseruet. Ieivnio carnis concupiscentia mortificatur; Eleemosyna cupiditas oculorum; humili verò Oratione, veraque Deo subiectione, vitæ superbia damnatur. Quodcunque verò horum operum prudens Confessarius iniunxerit, tam ad satisfaciendum pro culpis præteritis, quàm ad præseruandum à futuris, meritò pœnitens acceptabit; humilique obedientia, & prompta ac integra exequetur, non ostendendo repugnantiam, nec impertinentes excusationes afferendo, aut moras non necessarias trahendo: sed propriam voluntatem simul cum his operibus sacrificando: vt perfectè diuinam adimpleat: sic enim ex omnibus simul perfectum fiet holocaustum, simile illi, quo Devs iubebat e *vitulum offerri*, cuius supra fecimus mentionem. Cultro enim castigationis & pœnitentiæ externæ *vitulum* iugulas cordis tui; f *crucifigendo carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis* eius; *pellem detrahis*; cùm aliquod bonorum tuorum tibi subtrahis, vt nudos vestias, & subueniasindigētibus. *Artus infrusta cōcidis*, qui prius coniuncti erant, cùm te retrahis à personis & rebus: quæ quòd inordinato affectu eis adhæreres, occasioni tibi erant peccandi; *aqua* verò *super altari eos lauas*: cùm piè & cum lachrymis ipsam orationem, cultumque diuinum exerces; meditationibus verò, quibus illa vitam quodammodo accipiunt, *struem lignorum* subijcis, qua ignem charitatis in anima foues: quo igne sensim illa ab omni culparum odore purificatur, Deoque tota in perfectissimum holocaustum cum odore suauitatis offertur. Refert verò plurimum, te accelerare in hac vita, vt hoc holocaustum plenè offeras: nam quod hic non combusseris igne charitatis, comburetur in futura vita, igne purgatorio: quo iusti culparum suarum pœnas luant, pro quibus hic satisfacere neglexerunt. Cuius rei figuram lex holocausti adumbrauit, quæ sta-

Tres debitores.
d 1. *Io.* 2. 10.
Tres radices peccati.
e *Leuit.* 1. 6. c 7. § 2.
f *Gal.* 5. 24.
Holocaustū pœnitentiæ.

g Leuit. 6. 9. *Pœnitentia acceleranda & continuanda.*

tuit, vt g *cremaretur in altari tota nocte vsq; mane*, sufficientibus lignis suppositis, vt totum consumeretur. Quod si aliquid superesset, & ipsos *cineres, quos vorans ignis exussit*, statuit eadem lex, vt *Sacerdos spoliatus vestimentis* sacerdotalibus, *& aliis indutus efferret eos extra castra, & in loco mundissimo* alio igne, à sanctuarij igne diuerso, *vsque ad fauillam consumi faceret.* Quid enim aliud hoc totum fuit, nisi documentum quoddam & admonitio solicitudinis adhibendæ in offerendo Deo, tui ipsius holocausto cum pœnitentiæ operibus? vt scilicet illud ardeat, duretque tota huius vitæ nocte, tanta lignorum copia ad ignem diuini amoris fouendum subiecta, vt sufficiat ad te ab omnibus culpis & pœnis purificandum; vt hinc purus ab omnibus expeditus exiens, rectà ingrediaris in æternam gloriam: vbi tuorum laborum præmio fruaris. Quòd si ob incuriam & exiguam tuam pœnitentiam, tota hæc nox elabetur, antequam totum cõsumatur, ac proinde aliquæ superstint venialium culparum pœnæ, aut etiam mortalium, intellige, teipsum, qui huius holocausti sacerdos es spiritualis, mane exutum veste carnis tuæ, ire debere extra castra Ecclesiæ militantis, ad locum separatum, licèt mundissimum, ipsum scil. purgatorium, in quo horrendissimo igne sicut aurum in conflatorio purificeris: donec præteriti peccati vestigium nullum supersit. Quare ita in eo loco cruciabere, donec (vt Christus Dominus dixit) h *reddas nouissimum quadrãtem.* nihil interim propterea apud Dominũ promerendo. Si igitur in mortali hac vita multò minori labore, maiori verò tuo commodo potes holocaustum tuum comburere, culpas tuas consumere, omnia tua debita suauissimo Spiritus S. igne, & operib. ex eo promanantibus exoluere: quænam quæso est prudentia, in tanta tepiditate & incuria vitam ducere: reijciendo solutionem debitorum in alteram vitam, in qua horrẽdis purgatorij ignibus sis comburendus? Incipe itaq; feruenter satisfactionis opera, i *facies* (vt S. Ioan. Baptista exhortabatur) *fructus dignos pœnitentiæ*: qui debita tua exæquẽt, aut etiã superent; arbor enim pœnitẽtiæ interioris, vt S. Greg. ait, nõ solum *folia* producit verborum, quibus culpas suas exprimit; & lachrymarum ac singultuum *ramos* ob earum dolorem: sed *fructus* quoque profert ieiunij, eleemosynæ, & orationis; aliaque sancta opera, quæ tum pro debitis pœnis dignè satisfaciant; tum digna censeantur homine, qui se ostendit verè pœnitentem ac dolentem de pristinis suis culpis. Ad cuius confirmationem stupendum quoddam exemplum referam nobilissimi cuiusdam, sed moribus similiter deprauatissimi, & ab audiendis concionibus alienissimi, cui vir quidam Religiosus, morum & ingenij eius conscius, hæc tantum verba magno tamen spiritus feruore dixit: *Bonum quod tibi vis fieri, fac quoq; tuo proximo.* quam sententiam si memoria retinueris, & opere ipso exequeris, saluaberis. Audiuit nobilis ille vir breuem hanc exhortationem: quam ipse Dominus DEVS cum tanto peccato-

Vide Riberã de sacrificio lib. 4. c. 3.

Purgatorij satisfactio.

h *Mat. 5. 26.*

i *Luc. 3. 8.*

Homil. 2. in Euang.

Refert Philip. Diez. to. 2. Quadrag. p. 2. feria 4. post Dominic. 1.

rum suorum sensu in eius corde reperijt: vt pœnitentiæ arbor copiosos statim fructus produxerit, sicut in Zachæo: quosdam quidem *iustitiæ*, debita sua exoluendo: alios *misericordiæ* in pauperes. sic enim exaudita sententia Religiosi ratiocinabatur. Si quis tibi aliquid deberet, velles statim tibi solui? & si tu pauper esses, an non libenter videres, si diues tibi eleemosynam largiretur? Iustum itaque est, vt tu reddas, quod debes tuis creditoribus; & pauperibus ac egenis subuenias. Quibus operibus dū vacaret, quadā nocte excepit in domo sua ægrotum quendam pauperem: cui postquam cœnam bonam dedisset, iussit prope suū cubile lectū ei sterni, dicens: si ego pauper essem & ægrotus, libenter viderem me ita humaniter excipi. Media verò nocte cœpit ægrotus pauper clamare, & aquę haustū petere, dicēs: se graui siti vexari. surrexit nobilis ille, vt haustum illi daret, dicēs intra seipsum: si tanta ego siti premerer, libenter viderem, si aquæ haustus mihi porrigeretur. Delcēdit itaq; ad cisternā, vt aquam afferret: &, cùm esset obscurū, & in feruore illo acceleraret, impegit & cecidit intus: & ipso Domino permittēte suffocatus est. Fuit casus extraordinarius quidē, sed & sensus & lachrymæ totius domus fuerunt extraordinarię. Sed breui tēpore lachrymas illas Deus fecit exsiccari. cùm enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimū torquē aureū ad collū suum incisis & elaboratis characteribus splendidissimis, qui hanc sententiā continebant: *antequam corpus hoc in aqua refrigesceret, anima eius iam fruebatur Deo.* O diuinæ misericordiæ sublimitatem! O veræ pœnitentiæ efficacitatē! cuius operibus adeò deprauatus homo tā citò volauit in cœlū, absq; vllo igne purgatorio, honorante eū etiā Deo in hac vita: vt eius mors felix iudicaretur! siquidē ita fuit rapt⁹, antequā dæmon & mundus, bona eius proposita imminuerēt, aut mutarēt.

Quod tibi fieri vellis, fac alteri.

Mors felix peccatoris.

§. *II. De reformatione, ad quam hæc opera diriguntur.*

EX dictis satis apparet, hæc tria pœnitētiæ opera, non solum eo nomine fructus censeri, quod debita nostra persoluant: sed etiā quòd per eadē obtineamus morū nostrorum reformationē in omnibus quæ ad perfectū Christiani hominis statū spectant. Ieiunia enim & aliæ corporis pœnitētiæ reformant nos in *nobismetipsis*; eleemosynæ, & opera misericordiæ, in ordine ad *proximos*; oratio deniq; & cultus diuini opera in ordine ad ipsum *Deum*. *Primum* consequuntur, quia & corpori & spiritui aliquam pœnam inferunt. Nam, vt ait S. Thom. bonorum operum satisfactio, pœnæ præcipuè innititur illis annexæ: culpa enim non nisi pœna exoluitur; licèt vna pœna possit altera redimi, purgatorij verbi gratia, huius vitæ pœna. Reformationem verò consequuntur propter obiecti præstantiam, & fines excellentes, in quos diriguntur; & ob alia ingentia cōmoda, quæ secum afferunt, ad excellentem illam perfectionē consequendā, de qua dixit Apost. a *Nolite*

I. 4. *dist.* 15. *q.* 1. *ar.* 5. *q* 1. *Suarez. to.* 4 *in* 3. *p. disp.* 37 *sect.* 7.

a *Rom.* 12. 2.

con-

conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei bona beneplacens, & perfecta. Quasi dixerit: quandoquidem per pœnitẽtiam reiecistis prauam illam conformitatem, qua huic mundo vos accommodabatis: studete, nunquam ampliùs eidem vos conformare in vlla re: sed reformationem quandam in spiritu, & omnibus sensibus, & affectionibus vestris ita instituite: vt in rebus omnibus conformes sitis voluntati Dei *bona, beneplacenti*, ac *perfecta*. BONÆ reddemini conformes, ieiunijs, & alijs pœnitentiæ operibus; BENEPLACENTI, eleemosyna, & alijs misericordiæ operibus; PERFECTÆ, oratione, & cultus diuini operibus: dedicantes vos omnino exequendis omnibus, quæ Deo placent.

Opera bona oluunt, & reformant.

2.

Eisdem tribus operibus producit sementis pœnitentiæ tres illos excellentes b *fructus*, quos Christus Dominus noster, *trigesimum, sexagesimum & centesimum* appellauit. Nã, si corporis asperitates seminaueris, fructum colliges *trigesimum*: quia carnem reformabis in omnibus, in quibus debet esse spiritui subiecta; si eleemosynas corporales, & spirituales, duplum fructum, *sexagesimum* scilicet tibi colliges: reformabis enim te non solùm in operibus *iustitiæ* erga tuos proximos, sed etiam in operibus *gratiæ*; at si opera orationis, cultusq; Dei semines, *centesimum* fructum colliges: reformabis enim tuum spiritum in ijs, quæ sunt necessaria, vt diuino sis subiectus atque vnitus. Refert verò multum liberalem te esse, & copiosum in his operibus; qualis enim sementis fuerit, talis sequetur & messis, iuxta illud Oseæ: c *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ*. quasi dicat, si in iustitia seminaueritis: tantùm metetis misericordiæ, quantum ore petere volueritis! Nam simul licebit officium præstare seminantis, & metentis. Si enim cum spiritus feruore multa opera seminaueritis, quæ vos iuuent, vt vera iustitia sitis iusti: statim & absque vlla mora copiosissimas meritorum messes metetis, cum magno virtutum donorumque cœlestium augmento. quæ diuina misericordia, ob diligentiam in seminando adhibitam, vobis largietur.

Triplex fructus.

b *Mat.* 13. 8.

c *Osea.* 10. 12.

Largum si semen.

3.

DENIQVE tribus hisce operibus excellens illa sanctitas obtinetur, quam Propheta Micheas commendauit, dicens: d *indicabo tibi ô homo quid sit bonum: & quid Dominus requirat à te. vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Si vis igitur, ô Christiane, summam quandam nosse eorum, quæ Deus tibi præcipit, & consulit, vt in omni genere spiritualis boni, *honesti* scilicet, *vtilis* ac *delectabilis* bonus euadas: hæc tria custodias, dando operam, vt ieiunium & pœnitentiam recti *iudicis* spiritu exerceas: cuius munus est, delicta punire, & efficere, vt legis præscripta seruentur. Viscera quoque indues misericordiæ erga tuos proximos, eleemosynas eis cum spiritu *matris* largiendo, quæ filijs suis compatitur. Præ omnibus verò solicitus ambulabis cum Deo tuo, accurrens ad

d *Mich.* 6. 8.

Iudex.

Mater.

omnia

omnia, quæ ipsius obsequium exigit, tanquam *filius* valdè cupiens Patri suo placere. Et hoc spiritu orationem facies, & reliqua præstabis opera, quibus ille honoratur, & eidem obeditur. *Filius.*

Hæc sunt in genere tria opera, quæ ad satisfactionem & reformationem perfectam, quam quærimus, pertinent: sed quoniam singula includũt in se multa, & valdè vtilia, singulorum particularia in proximis capitibus indicabimus.

CAPVT XI.

MORTIFICATIONES, ET POENITENTIAE corporales: earum vtilitates, & ratio eas cum spiritu faciendi.

PRIMI pœnitentia digni fructus, qui sub ieiunio continentur, mortificationes sunt, & asperitates corporales, quibus duo illa, quæ Philosophi duobus illis verbis: ABSTINE & SVSTINE, exprimunt, adiungantur. Negando scilicet tuis facultatibus & sensibus delectabilia, quæ concupiscunt: nec solum illicita, sed etiam (vt S. Gregorius ait) nonnunquam licita, vt remotior sis à lapsu in illicita. & præterea te ipsum vrgendo ad res amaras, quas horres, accipiendas: vt carnem tuam pro meritis tractes. Quod teste S. Thoma, significat cõfectio illa, siue a *mixtura myrrhæ & aloes* in pondere centum librarum, qua Nicodemus mortuum & vulneratum Seruatoris nostri corpus vnxit: qua totum illud à capite vsque ad pedes ita condijt, vt totam mixturam imbibens à corruptione præseruaretur. ad significandũ: si iustus sit per pœnitentiã peccato mortuus, habeatq; intra se Christum Dominũ, velitq; absque vlla culparũ corruptione seipsum conseruare, & à suis vulneribus plenè curari: debere eum *myrrha & aloe*, duplici scil. genere mortificationũ, & asperitatũ prædictarũ sese inungere; & ita condire, vt totus eas imbibat: procurando vt plurimæ illæ sint, valdeq; exactæ. Illis itaq; vngendi tibi sunt *oculi & aures*, vt à peccatis & tentationibus, quæ per eos ingredi solent, præseruetis; vngendũ *os*, ne quid prohibitum per illud ingrediatur, aut exeat per linguam; vngendũ *pectus & manus*, ne praua desideria sedẽ in illo collocent, nec in praua aliqua opera labaris: sed sponsam imiteris, cuius b *manus, stillabant myrrham; & digiti pleni erant myrrha probatissima.* Hanc enim mortificationem omnibus suis operibus adhibebat, prosperis & aduersis; magnis & paruis ex: quo decem insignes vtilitates percipiebat, sicut iam declarabitur.

Homil. 20. in Euang. & lib. 5 Moral. cap. 8. 3. p. q. 51. 2. ad. 2. a Ioan 19. 39.

b *Cant. 5. 5.*

§. 1. *Decem vtilitates siue fructus mortificationum, & pœnitentiarum corporalium.*

I. PRIMVM hoc genere operum pergis porrò soluere tua debita, non solùm ex confessis peccatis orta, sed ex venialibus etiam, in quæ a *septies in die cadit iustus* sic enim carnem maceras, quæ huiusmodi lapsibus dedit occasionem. & sic in eam animaduertis, iuxtà legem illam diuinæ iustitiæ, quæ dicit: b *quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: rectum est enim, vt caro lugeat, induatq; cilicium & ieiunijs alijsq; pœnis afficiatur quæ in in culpis admittendis liberior fuit & effrenis. Et quemadmodum naturalis ipse Pœnitentiæ instinctus (vt ait S. Irenæus, effecit, vt Adamus & Eua, statim atque peccatum admiserunt, nuditatem suã foliis ficus, quæ aspera sunt, operuerint, alijs mollioribus prætermissis: Ita supernaturalis virtus Pœnitentiæ, quam qui iustificatus est, habet, eum inclinat, ad carnem suam asperitatibus castigandam, vt continuatos eius excessus puniat.

a *Prou.* 24. 16. *Solui debita.*
b *Apoc.* 18. 7.
Lib. 3 *contra hæres. c.* 37.

2. DEINDE, qui per pœnitentiam resurgunt, vt plurimùm non exuunt, aut deserunt, quemadmodum Christus Dominus noster c *linteamina*, & feralem amictum in sepulchro: sed prodeunt, quemadmodum Lazarus d *pedibus & manibus ligati institis*. Nam, etiam dimissa culpa, manent habitus, & cõsuetudines vitiosæ à prauis pristinis actionibus genitæ; & ab ipsis passionibus, prauisque carnis propensionibus ortæ, quæ veluti vestes & amictus sunt hominis veteris; & linteamina, quibus is mortuus, & in peccato sepultus, erat inuolutus. Quòd si sis feruens pœnitẽs: meritò erubescès, indui vestibus mortui, cùm iam viuas: Et quem Deus noua gratiæ suæ veste iam induit; meritò studere debes, statim exuere antiquas & laceras prauorũ habituũ vestes: vt ambulare, & viuere possis sicut homo resuscitatus: id quod facies, si corporalium pœnitentiarum exercitatione ita carnem mortificaueris: vt antiquas exuat consuetudines. Imitari (ait S. Augustinus) oportet prudentiam serpentũ: qui pellem inueteratam aduertentes ex eo quòd per terram serpant, quando nouam illis natura dat; per angustum foramen ingrediuntur: vt veterem exuant, ita vt nouæ pulchritudo appareat, illisque sit vsui: Ita tu videns te prauis moribus indutum, eò quòd prauis tuis affectibus per res terrenas serpseris. e *Ingredere* (vt ait Saluator) *per angustam portam*, mortificationis scilicet & pœnitentiæ, vt te feralem illum amictum, vestesque f *veteris Adami exuente*, splendere incipiant pretiosæ virtutũ vestes, quas nouus Adamus tibi infudit. Et qui summè peccatũ es detestatus, vt reconciliareris Christo: meritò debes id totum odisse, quod ex radice adeò noxia est ortum. propterea enim dixit Apostolus: g *qui sunt Christi;*

c *Ioan.* 20. 6
d *Cap.* 11. 44 *Reliqui ab aufert.*
Lib quæst. in Matth tõ. 4
e *Matt.* 7. 13
f *Coloss.* 3. 9. *Ephes.* 4. 22.
g *Gal.* 5. 24.

carnem

carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Non enim solum carnalis ipsa vita culparum est iugulanda; sed habitus quoque vitiosi, & concupiscentiæ iam quasi naturales effectæ, sunt omninò mactandę: vt nihil ex eius familia & genere cum vita supersit. Quemadmodum Gabaonitæ ob ingens odium, quod habebant contra Saul, dixerunt Dauidi: h *virum qui attriuit nos, & oppressit iniquè; ita delere debemus: vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius. dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa*; quam petitionem, etsi asperrima videretur, voluit Dominus executioni mandari, vt intelligas, quanto odio prosequi debeas peccatum, à quo adeò tyrannicè fuisti oppressus. Quare non solùm ipsum iugulare debes; sed etiam quotquot ex eius stirpe prodierunt, crucifigere: qui sunt septem vitia capitalia, nullum permittens supersse. nec vllam prauam consuetudinem, aut passionem inordinatam: huiusmodi enim adeò generale sacrificium Deo summoperè placet, tuæque animæ est tutissimum.

h 2. *Reg.* 21. 5.

3. *Carnem refrænat.*

Namsi rem benè perpendas, caro ipsa, rebellis valdè est spiritui; suarumque passionum rebellione & pertinacia, ad nouas eum culpas inducit; & in bonorum operum exercitatione segniorem reddit ac pigriorem & quoniam ex vili genere est, & progenie bestiarum: necesse est metum ei incutere flagellis, & alijs pœnis inflictis: vt saltem præ metu abstineat à tentando & irritando ad peccatum; seque spiritui subijciat in omnibus, quæ ille præceperit. siquidem tanquam ancilla & mancipium obedire tenetur. Quæ omnia mirificè complexus est Ecclesiasticus dicens: i *cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.* Quisnam hic est asinus, & hic seruus, nisi corpus nostrum? iumentum est enim: quia eius habet propensiones; seruus autem: quia ad id fuit conditum, vt spiritui seruiret, & imposita onera portaret. Sed quoniam iumentum est tardum, & seruus piger, rebellis ac fugitiuus: pane simul & baculo opus est: nutrimentum ei negari non debet, ne deficiat; sed virga & disciplina in manu est tenenda, ad puniendas eius rebelliones, pigritiam excutiendam, eumque in suis actionibus vrgendum. Præscribe illi operum pensum, in quo occupetur; vocales orationes, quas recitet; iustitiæ & misericordiæ opera, quæ facere; & occupationes, in quas incumbere debeat. in quibus, si defecerit, virga percute; moneasque disciplina, donec eas expleat. audi quod idem Ecclesiasticus addidit: k *seruo maleuolo tortura & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet.* quasi diceret: carnem hanc & sensualitatem adeò rebellem tum ob admissa delicta torqueas, & flagellis premas; tum compedes adhibe grauiū mortificationum; ne laborem fugiat: sed suo Domino, qui est ipse spiritus, se subijciat, ac prosternat. Coge illam igitur bonis aliquibus actionibus occupari:

i *Eccl.* 33. 25.

k *Ibid. v.* 28.

multam enim *malitiam docuit otiositas*, quæ eam faciet magis obstinatã. Quod si etiam sanguinis aliquid illi extraxeris: noli propterea tristari: nam per huiusmodi sanguinem, discit illa virtutem: & spiritûs bona comparantur.

l 1.Cor.9. 27. *In eum locum.* Sanctus enim Apostolus de seipso loquens dicit: l *castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: cogens scilicet illud ad obtemperandum. Et quomodo illud cogebat? Theodoretus, vocem græcam, qua Apostolus vsus est, pro latina voce, castigo, ait significare: *vsque ad liuorem contundere*. Contundebat itaque Apostolus corpus suum, liuidumque reddebat, & cruentabat. sic enim excellentes in se virtutes inserebat.

4. *Collat.* 1. *c.* 7 *Cello.* 20. *c.* 8 *S. Thom* 2. 2. *q.* 184. 6. 3. *Apolog. ad Guilhelm. colum.* 6. m 1. *Cor.* 15. 46. n *Prou.* 24. 27. *Virtutes plantat.* Hic est igitur admirandus alius harum pœnitentiarum, & operum exteriorum fructus, quæ (vt ait Cassianus) instrumenta sunt puritatis & sanctitatis; & quasi penicillus aut cœlum, quibus virtutes in tabulis cordium nostrorum pinguntur, aut cælantur, & sublimiora spiritualia dona obtinentur. sine quibus externis, ait Sanctus Bernardus, *vix aut nullatenus spiritualia comparari* de lege ordinaria: ita enim Apostolus: m *non prius quod spirituale est, sed quod animale* & corporale: *deindè quod spirituale*: ideoq; qui ex ignauia, aut negligentia corporalem exercitationem neglexerit: spiritualia bona non assequetur. propterea enim dixit Salomon: n *præpara foris opus tuum & diligenter exerce agrum*, siue corpus tuum: *vt postea ædifices domum tuam*. quasi diceret: pœnitentijs externis te præpara, ad agrum corporis & animæ tuæ colendum diligenter: euellens noxias vitiorum herbas, bonorum verò operum sementem iaciens: quæ copiosos virtutum fructus proferat, quibus nutriaris: & postea domum ædifica recollectæ contemplationis, vbi tuus spiritus habitet, requiescat, & bonorum, quæ desiderat, plenitudinem consequatur.

5. *Christo similem facit.* o *Gal.* 5. 24 p *Luc.* 5. 35 *Vide S. Thõ.* 22. *q.* 147. *a.* 4. *ad* 5. q 2. *Cor.* 4. 10. Ne verò veterani existiment, sermonem hunc asperitatum corporis, ad se nõ dirigi, nec pertinere: intelligant earum efficacitatẽ non terminari in prædictis affectibus: nam plurimùm etiam conferunt ad res alias sublimiores. Quem verò excellentiorem alium finem desideras, quàm imitationem ipsius Iesv Christi D. N. qui se in eis non ob sua, sed ob tua peccata, exercuit; non, vt carnem suam domaret; sed, vt te doceret, quomodo tuam domares: non vt proprias virtutes sibi compararet, sed vt viam modumque eas comparandi, tibi ostenderet. Cum igitur o *qui sunt Christi* debeant *carnem suam crucifigere*, quemadmodum suam ipse crucifixit: tuam ipse crucifige, vt illi similis efficiatur. Nam etsi Apostoli, vtpotè p *filii sponsi: dum cum illis esset sponsus, non ieiunarent: cum tamen ablatus ab illis fuit*, & in cœlum ascendit; valdè solliciti ac diligentes fuerunt in ieiunijs, & alijs corporis afflictionibus, q *vt vita Iesu manifestaretur in corporibus eorum.*

Hvc accedit, quòd & tu, etsi perfectissimus sis, possis eodem spiritu hanc exercitationem assumere, quo Christus ad eandem inducebatur: vt eam scilicet æterno Patri offeras ad eius iram placandam; quam etiamnum in peccatores habet: & simul eam applices in satisfactionem pro iustis, adhuc viuentibus aeu vita functis, vt sic liberalitatem hanc in omnes cum aliquibus proprijs tuis expensis exhibeas.

6. *Deum placat.*

Et cùm bonum exemplum alijs præbere tenearis: quòd potest esse efficacius exemplum, quàm iustus aliquis ieiunans, vigilans, sese mortificans, corpusq; suum castigans: quamuis non fuerit alias magnus peccator? Hæc vitæ sceueritas fuit magno illi Baptistæ pro miraculis & prodigijs, ad innumeros peccatores ad Deum conuertendos. Quod si fortè huiusmodi asperitates alios docere debeas: quomodo id facere poteris, si eas ipse fugias? Nam, vt S. Hieronymus ait, delicatus Magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunijs. nam & latro auaritiam damnabit, sed lingua Sacerdotis concordare debet cordi & manui, faciendo quod dicit: & reipsa exercendo, quod docet.

7. *Exemplum præbet.*

Epist. ad Nepot.

Adhæc in quocunque sis perfectionis gradu constitutus, opus tibi est orare, & gratias à Deo tibi & alijs petere: quas si velis impetrare: ieiunia, cilicia, aliasq; asperitates adhibere oportet. quemadmodum fecit Daniel & alij Sancti. Nam (vt S. Bernardus ait) *carnis afflictio, & mundi contemptus* duæ sunt orationis alæ: quæ illam in cœlum eleuant: & impetrant, quod ipse orans à Deo petit. Quid igitur erit, si ad contemplationis fastigium ascendere contendas? necesse certè erit; carnem tuam ieiunijs & alijs afflictionibus ita subtilizare: vt spiritus possit ad gradum adeò excelsum, vnitionis cum Deo, conscendere. Quemadmodũ r *Moyses & s Elias quadragima dierum ieiunijs* præmissis ad montem ascenderunt: in quo fuerunt familiarissimè cum Deo conuersati. Et ijdem digni postea fuerunt, qui in alio monte, vbi t *Christus fuit transfiguratus*, ei adessent; fierentque pulchritudinis & claritatis eius participes. Quamobrem S. Augustinus duplicem ieiunij rationem distrinxit: alterum *incipientium*, qui ieiunant spiritu affligendi seipsos, ob sua peccata; alterum verò *perfectorum*, qui lætiori spiritu ieiunant, vt Christum Dominum imitentur, & spiritum suum eleuent in cœlum. Et hoc ieiunium omni tempore fieri potest.

8. *Orationem iuuat.*

Daniel. 10. 12.

Serm. 3. de Epiphan. circa medium S. Bonau. lib 3. Pharet. c. 45. & contemplationem.

9. r *Exod.* 24. 18. s *Reg.* 14. 8. t *Mat.* 17. 3. *Lib. de Consensu Euang. c. 27.*

Ad quem tamen lætitiæ spiritum, & perfectam cum sapientia diuina desponsationem, à qua læ: itia illa procedit, obtinendam, hanc afflictionem adhibere oportet: exeunti enim ac rejcienti carnis delicias, dabit Deus spiritus delicias & voluptates: teque sibi coniunget, vt ascendere possis, quemadmodũ u *sponsa de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum.* Ne verò timidior sis, tuosq; humeros contrahas, quemadmodum Dauid, cùm desideraret Michol filiam Saul ducere: audi, quid eius parens ei dici iusse-

10. *Sapientia desponsat.* u *Cant.* 8. 5.

x 1. Reg. 18. 25.

rit: x *non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis*: sponsalia & monilia, quæ Rex cœlestis à te petit, vt eius filiam cœlestem sapientiam ducas, non alia sunt, quàm carnis asperitates, & mortificationes vt scilicet superflua sensuum, & appetitionum perfectè circũcidas, ad vindictã sumendã de tuis hostibus: qui sunt ipsa vitia. Et eadem via simul obtinebis mortem, & spiritualẽ improborũ circumcisionem: faciens ex inimicis DEI, amicos eiusdem: vt ipse ineis glorificetur.

§. 2. *Quo spiritu externa pœnitentiæ sint peragendæ.*

a Rom. 12. 1. Tres oblationes. D. Thom. lect. 1. in Rom. 12.

SVPEREST, modum indicare, quo pœnitentiæ corporales sint subeundæ, ad quod facit Apostoli admonitio, dicentis: a *obsecro vos fratres per misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Ad cuius intelligentiam prẽmittit Angelicus Doctor; tribus modis posse nos offerre Deo corporum nostrorum sacrificium, eosque omnes sanctum Apostolum hac sententia fuisse complexum. *Primus* modus est per martyrium, quo ad horrenda tormenta, ipsamq; mortem, si opus est, corpus exponimus pro fidei, & Christianæ Religionis defensione: imitantes in hoc amore (vt idem Apostolus ait) ipsum b *Christum, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiã Deo, in odorem suauitatis.* Quamuis autẽ in potestate nostra nõ sit, sacrificiũ hoc nostrorum corporum offerre: possumus tamen offerre cor nostrum ad id præparatum, vt desiderio existentes martyres, essentialem Martyrij gloriam promereamur. quemadmodum Ecclesia de S. Martino canit: *O sanctissima anima, quã, etsi gladius persecutoris non abstulit: palmam tamen Martyrii nõ amisit.* non enim hoc præmium amittitur, si animus martyrio nõ desit: quãvis animo desit martyrium, quo eodẽ animo & charitas augetur, & martyrum Regem imitamur. nosque ipsos magis aptamus ad *alteram* corporum nostrorum oblationem, quæ fit spontaneis cruciatibus & externis pœnitẽtijs. quæ oblatio genus quoddam est prolixioris martyrij, de quo S. Gregorius: etiamsi persecutores desint, pax tamen ipsa suo martyrio non caret: in quo etsi colla ferro nõ subijcimus, gladio tamẽ spiritus desideria carnis iugulamus. Et quemadmodum S. Bernardus dixit: quamnis eiusmodi martyrium sit mollius, quam sit illud ferreum: molestius tamen est ob suam diuturnitatem. Accedit *tertium* corporum nostrorum sacrificium: cum ea cogimus, bona externa opera exercere, etiam cùm difficultatem & repugnantiam in eis sentiunt. Offerimus enim Deo (vt ait Dauid) c *sacrificium iustitiæ*: quo iugulamus propriã nostrã voluntatẽ, vt expleamus diuinam. Quod nominatim præstamus, cùm reliquis duobus operibus satisfactorijs operã damus. dum sc. corporalia misericordiæ opera exercemus, ministrantes infirmis, & per nos ipsos ad pauperum & egenorũ miserias reparandas accedentes:

1. Martyrium.

b Eph. 5. 2. Eius desiderium.

2. Mortificatio. Homil. 3. in Euang. fine.

Serm. 30. in Cantica.

c Psal. 4. 6.

3. Opera bona corporalia.

tes:& similiter cùm vocales orationes fundimus & reliqua diuini cultus opera,in quibus etiã corpus defatigatur,præstamus.Omnia verò hæc externa opera ijs circũstantijs & cõditionibus sunt exercenda, quas S. Apostolus præscribit:dando sc.operam, vt illa sint Hostiæ Vivæ, non solum vita charitatis habitualis,quæ est in iusto;sed etiã vita actuali,quę amoris spiritũ eis cõiungat:vt gratiæ vita conseruetur,& augeatur; & ipsã quoq; æterna cõparetur.Quãobrẽ idem dixit Apost.d *si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Quis.n.hic est spiritꝰ:nisi actus interior,qui viuificat exteriorem,quẽadmodũ anima corpus ipsũ viuificat.Etquẽadmodũ vnũquodq; corpus propriam habet animã,ita singuli externi virtutũ actꝰ adiunctũ habere debẽt internũ, qui sit eis instar animæ & spiritus. Si te ipsũ humilias : id fac ex interno humilitatis spiritu: si facis eleemosynã, id fac cũ spiritu cõmiserationis; si ieiunas, aut te ipsũ flagellas,id fiat cũ spiritu cõtritionis, aut aliquo alio affectu eorũ,quos iam subijciemus:Nam externi operis corpus viuificari & adiuuari potest varijs internorum actuum spiritibus; à quibus ad fines diuersos dirigatur.Quod si omnes illi interni actus desint,oblatio illa externa instar esset corporis sine anima,hostiæ mortuæ,& nullius valoris.

1. *Hostia viua. Rom.8.13.*

Ex quo oritur,vt eadem oblatio sit hostia Sancta, cauendo diligenter ne quid culpæ illi admisceatur,quæ illã maculet, aut aliqua circũstantia desit, ex qua illa obfuscetur. Nam alioqui obijciet tibi Dominus illud Malachiæ:quod tuis oblationibus ipsũ non e *honores*, sed potius *despicias. offers enim panem pollutũ*,& q̃ pessimũ est,ex grege tuo *cæcum,claudum, & languidũ*: dum externo operi,ex se alioqui bono,culpas admisces,imprudentias,intẽtiones non rectas,aliosq; plures defectus. Studẽ itaque iuxta Ioël Prophetã,f *sanctificare ieiunium tuum*,& quodcunq; aliud opus externũ:coniungendo illi sanctitatem internam,cuius illud fit fructus.Neq; enim g *fatuis virginibus* satis fuit,pulchras *lampades habere*:quia erant vacuæ oleo: lux enim & ignis ita oleo fouetur,vt sine illo nõ ardeat: & exterior pœnitentia,si misericordia & charitas absit:breui finietur.frustra,(ait S.Hieronymus)abstinentia corpus debilitatur,si animus tumet superbia.& quomodo virtus esse potest,quòd abstineas à vino,si odio iraq; inebrieris ? tunc glorioſa est & fructuosa carnis castigatio,cùm anima ieiunat à culpa.Alioqui obijciet tibi Ecclesiast.h *vnus adificans & vnus destruens:quid prodest illis,nisi labor?* si enimieiunas & oras , vt pro tuis culpis satisfacias:sed ipso ieiunio & oratione nouas cõtrahas culpas,quæ alia indigent satisfactione & solutione,frustra laboras.

2. *Sancta.*

c *Mal.1.6.*

f *Ioel. 2.13.*

g *Mat.25.3.*

Vide Turrecrem. Tract. 1.in Reg. S.Benedicti.

h *Eccl.34. 28.*

Eam ob causam hortatur idem Apostolus, vt hæc hostia sit etiam Deo Placens, intendendo sc. eius honorem & gloriam, ipsiq; placere;& q̃ præcipit, aut consulit,exequi:non admiscendo inanem aliquã intentionem placendi hominibus aut honorem aliquẽm, aut commodum temporale ab

3. *Deo placẽs.*

eis

i *Matth. c. 6. &c.*

4. *Rationalis.*

k *Leuit.* l *Gen. 4. 7. iux. LXX.*

m 1. *Timot. 4. 7.*

eis sperando aut quærendo. Propterea enim Christus Dominus in illo sermones, quem ad suos discipulos habuit in monte, adeò commendauit *i* INTENTIONIS puritatem, præcipuè in *ieiunio*, *eleemosyna*, *& oratione* publica, ne horum operum fructus euaneſceret. Sed quoniam huiusmodi opera perire etiam possunt, si in eis fiat excessus: adiecit Apostolus RATIONALE OBSEQVIVM VESTRVM; quasi diceret: tota vestra oblatio, & obsequium sit moderatum ac discretum: vt omnia corporis vestri k *sacrificia* discretionis *sale* condiantur. Quemadmodum enim Deus dixit ad Cain: l *si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti*: Ita, ait Cassianus, non sufficit nobis, offerre Deo externa opera, etiam ex se bona: si, quòd ea nimia sint, ab alijs melioribus nos retardent. quemadmodum qui ieiunant, & corpus indiscretè, & nimium castigantes, adeò illud debilitãt, vt nõ possit spiritui seruire, & sicut illi, qui huiusmodi corporalibus exercitationibus adeò se tradunt, vt minùs curent spiritualia; immemores consilij eiusdem Apostoli, quo discipulo suo Timotheo, in seipsum seueriſſimo, dixit: m *exerce teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio* in se *ad modicum vtilis est; pietas autem ad omnia* vtilis est, quemadmodum in proximo capite dicetur.

CAPVT XII.

DE ELEEMOSYNIS, ET MISERICORDIAE operibus, & ratione qua tam diuites quàm pauperes possint eas excellenter exercere.

S. Thom. 1. 2. q. 32. a. 2.

I.

SECVNDI perfectæ pœnitentiæ fructus sunt ELEEMOSYNÆ, & quatuordecim MISERICORDIÆ opera, septem spiritualia, & septem corporalia: quæ etiam possunt duplici prædicto nomine exerceri: ad satisfaciendum scilicet pro nostris peccatis, præcipuè cùm à Confessario in pœnitentiam iniunguntur. Tunc enim, quamuis opera sint *misericordiæ*, quà proximum respiciunt, cuius miseriam subleuant: sunt tamen quasi *Iustitiæ* opera, quà respiciunt Deum; & obligationem, quà ei teneris satisfacere, & quę illi debes reddere. Quibus operibus non minus vtiliter debita tua exoluis, quam alijs pœnitentijs, & corporis asperitatibus. Hæ enim quamuis ex ea parte, qua maiorem carni pœnam inferunt, magis sunt satisfactoriæ; eleemosynæ tamen, & misericordię opera ex ea parte sunt excellentiora, quòd ex nobiliori radice promanent, & nobilius respiciant obiectam: extendentes quoque ipsam charitatem, à qua oriuntur, vt non proprium tantum, sed proximi etiam indigentis bo-

num

num intendant. & propterea Christus D.N. dixit. a *misericordiam volo, & non sacrificium*. & sibi magis placere, si ex charitate sibi in suis pauperibus subueniatur, quàm si externis sacrificijs honoraretur. Ex hac igitur parte plurimùm satisfaciunt pro nostris debitis: eleemosynis enim (vt Sanctus Basilius ait) etiam ipsius Dei debita modo quodam exoluimus; eumque à promissione suis pauperibus facta liberamus, qua recepit se eorum necessitatibus subuenturum. nudus vestem ab eo petit; famelicus cibum; sitiens potum; infirmus petit visitari: in carcere, & captiuitate detentus, redimi; mortuus sepeliri. Quia igitur Deus in huiusmodi necessitatibus constitutis subuenturum se recipit: si tu ex misericordia eis subuenias, Deum à promissionis debito liberas: ipseque opus tuum acceptat, atque si eius nomine & loco illud fecisses. Ideoque liberalissimè, quod tu illi debes, ignoscit: quia tu soluisti, quod ille debebat. propterea enim dixit: b *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Cùm igitur misericordia, quam peccator exhibet, veniam illi peccatorum obtineat: vt Tractatu primo est dictum, quid mirum, si tantam habeat efficacitatem: vt Iusti per eandem obtineant pœnarum remissionem exporrige itaque manum, quantum potes, iuxta facultates tuas: c *qua* enim *mensura mensus fueris, remetietur tibi*: Deus enim spiritualibus tuis necessitatibus subueniet; eò quòd tu subueneris indigentibus.

a *Mat.12 7. Osea.6.6.*

b *Matt.5.7*

17.§.3.

c *Matt.7.2.*

Hinc alterum oritur nomen, siue titulus hæc opera exercendi, ad vitam scilicet reformandam, & Christianam perfectionem obtinendam. in quẽ sensum Micheas dixit: secundũ, quod Deus à nobis requirit, esse: *d* Diligere Misericordiam. latet verò mysterium in eo, quod non dixerit, Deum requirere, vt faceres misericordiã: sed, vt eam *diligeres*: vt significaret, præcipuè nobis commendari verum amorem, & spiritum maternum & fraternum erga proximos nostros. vbi enim hic amor adest, ad opus statim exit: vt re ipsa necessitatibus subueniat, si eas possit reparare. Si autem amor desit, etiamsi adsint opera, non sunt illa digna nomine misericordiæ: cùm non habeant coniunctam compassionem, quæ propria est eius misericordiæ. Cùm tamen econtrà, etiam deficientibus operibus, quia facultas ad ea præstanda deest; si tamen hic adsit amor, vera adest misericordia: & exequimur, quod à nobis requirit Deus. Et quoniam tam pauperes quàm diuites possunt ordinariè aliquas eleemosynas facere; subijciemus hic excellentem quendam modum, pro diuitibus; & alium quendam pro pauperibus: vtrumque excerptum ex ipsa Ruth historia: in qua duplex emicat præclarum perfectionis in his operibus exemplar.

2.

d *Mich.6.8*

(∴)

§. 1. *Ratio perfecte faciendi eleemosynas pro Diuitibus.*

Hom 32. & 33. ad popul.

SI vis artem perdiscere faciendi Eleemosynã, quæ ars, teste Sancto Chrysostomo, est omnium, quæ sunt in terra, quæstuosissima: vt quæ a DEO centum pro vno recipiat: exemplum accipe in Booz diuite ac potente: qui modo quodam excellẽte, pauperculæ RVTH misertus est: quam videbat in agro suo spicas colligentem, nec bolum a *panis*, aut *aquæ* haustum habentem, quo sese in tanto labore & æstu refrigeraret.

a Ruth. 2. 9. 14.

1. *Præueni pauperem verecundũ.*

NAM primum: non expectauit ipse, vt RVTH panem aut aquam peteret: sed proprio motu, videns eius necessitatem, ei illi obtulit. Si itaque misericors es, ac diues: nec expectes donec pauper eleemosynam petat: cuius etsi lingua taceat, ipsa eius necessitas petit. præcipuè cũ pauper ex illis est, quos occultos, & præ pudore nõ audentes mendicare, appellamus; huiusmodi enim pauperibus ipsa verecundia os obstruit, ne mẽdicent: sed vera misericordia aures habet apertas, & miseriæ eorum clamores exaudit. Quamobrem dixit Dauid: b *beatus, qui intelligit super egenum & pauperem*: & qui eius curam gerit. In quæ verba S. Augustinus ait: non esse perfectam charitatem, quæ vi precum extorquetur: *quia nihil*, ait, *carius emitur, quàm quod precibus emitur*. Quare qui magna est charitate præditus, & gratis aliquid vult donare: priùs donet, quàm rogetur; & potiùs inuitet ad accipiendum. Eum in modum, quo Abraham & Loth non expectarunt, vt peregrini eos rogarent: sed ipsi præuenientes rogabant eos, imò magna amoris significatione cogebant, oblata munera accipere: ad quorum imitationem & tu ipse meritò aliquando exibis, vt pauperes huiusmodi vereundos quæras. qui aut ægroti iacent; aut domi suæ, præ pudore latent: aut visitabis hospitalia, promptaque voluntate tuas illis offeres eleemosynas. Et si quis valdè egenus ad fores domus tuæ accesserit, meritò exibis, apertisque vlnis excipiens, præuenies illum; dans illi id, quo eum indigere intelligis: imitatus piumillum Samaritanum, qui c *hominem* videns *spoliatum & semiuiuum* in via iacentem, etiamsi nihil peteret, *appropians* tamen *alligauit vulnera eius* & reliqua fecit, quibus ille opus habuit. Quod si d *cadauer* cuiuspiam *mortui* desertum videris, curabis exemplo Tobiæ, sepulturæ illud mandare: ex animo optans, offerri tibi tales occasiones, in quibus possis tuas diuitias libenter collocare: siquidem (vt S. Ambrosius fusè ostendit) multò plura diues, qui has eleemosynas facit, acquirit: quam pauper, qui eas recipit.

b Psa. 40. 1.

In eum locũ

Gen. 18. 3 & 9.

Exi, & compelle intrare.

c Luc. 10. 33.

d Tob. 2. 3.

Lib. 1. Offic. c 11. & lib 2. c. 1.

2.

ELEEMOSYNA deinde, quam Booz obtulit RVTH, liberalis fuit, & copiosa: non enim illa die tantum eam cibauit; sed iussit

etiam

etiam, vt e *tam diu messoribus* suis *iungeretur, donec omnes segetes meterentur*, & cum eisdem cibum sumeret. Diuites enim liberales esse decet, iuxta facultates, quas à Deo acceperunt: regulam illam sequentes, quam senior Tobias filio suo dedit, dicens; f *ex substantia tua fac eleemosynam: & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. quomodo potueris, ita esto misericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* sed quis hic dies est alius, quàm vltimus vitæ tuæ? cùm te magna necessitate premi senties, ob imminentem Deo reddendam rationem: magnum tunc bonorum thesaurum ex tuis eleemosynis congregatum inuenies: siue illæ magnæ fuerint, quia tu dives eras; siue paucæ, quia pauper: ita tamen, si cum hilaritate illas dederis; ac desiderio feceris plurimas. Nam g *qui parce seminat*, (ait Apostolus) *parce metet*; *qui autem seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Et Sanctus Leo Papa: in hac, inquit, distributione, omnium fidelium pares animi esse possunt, etiam inter impares facultates: & qui largitati sunt viribus inæquales: mentis tamen affectione sunt similes: Nam fidelium liberalitas, non doni, sed amoris quantitate pensatur. sit itaque dives largus in dando quod habet: nec sit pauper inferior in desiderando, quod non potest.

c *Rut.* 2. 21.

f *Tob.* 4. 7. *Liberalis sit Eleemosynæ.*

g 2. *Cor* 9. 6. *Serm.* 1. *de collectis & serm.* 6. *de quadragesc*

Sed non sufficit, quod eleemosyna sit larga, nisi & modum illum coniunctum habeat, quem ipsius Booz eleemosyna habuit: indicijs scilicet magnæ charitatis ostensis, quibus Ruth necessitati compatiebatur: cum qua loquebatur humanissimè, eis circumstantijs diuites monens; ne faciant eleemosynam cum aliquo mundanæ liberalitatis spiritu; sed charitatis & misericordiæ christianæ, quæ (vt Sanctus Gregorius ait) cor prius offert, quàm donum, iuxta illud Iob: h *flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*, cuius miseriam meam reputabam: ex quo internæ misericordiæ externa signa procedunt verbis & operibus: consolando scilicet pauperem; eiusque miseriam, quomodo potest, subleuando. Contra Christianam enim misericordiam esset, mala verba pauperi dare; & exigua misericordia, tantùm verba dare, etiamsi sint bona: quæ, vt Sanctus Iacobus Apostolus dixit, parum illi i *prosunt*. Et Sanctus Ioannes: k *non diligamus*, inquit, *verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* perfecta enim misericordia ex bonis verbis, bonisque operibus completur, iuxta illud Ecclesiastici consilium: l *Fili in bonis*, quæ tribuis, *non des querelam: & in omni dato* tuo *non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum* bonum refrigerat *melius quam datum. Nonne* sæpè *verbum* cum

3. *Compassione plena.*

Lib. 19. *moral.* c. 4.

h *Iob.* 30. 25.

i *Iacob.* 2. 15.

k 1. *Ioa.* 3. 18.

l *Eccl.* 18. 15.

humanitate prolatum pluris sit quàm *datum bonum*? *sed vtraque in homine iustificato* simul inueniuntur. Ex qua sententia colligit S. Gregorius: humilitatem in verbis debere pietatem in operibus comitari: ne horum fructus pereat.

Lib. 21. Moral. c. 14

4. SED vlteriùs multò progressa est excellens Booz misericordia: qui non satis habuit, quòd ipse RVTH ipsius misereretur, & liberalem se in eam ostenderet: sed m *mandauit*, inquit, *pueris meis, vt nemo molestus sit tibi.* sæpè enim euenit, vt diues sit pius, & misericors; famulus verò, per quem eleemosynam largitur, sit morosus & male affectus. non decet autem, si Dominus est liberalis, & humanus: domus præfectum parcum esse & morosum. expeditque huiusmodi incommodum à misericordi diuite præueniri, & auerti.

m *Ruth. 2. 9*

5. HVC accedit, quòd Booz eam misericordiam & eleemosynam fecerit modo quodam ingenuo & honorato, dicens RVTH: etiam n *cum sitieris vade ad sarcinulas, & bibe aquas de quibus & pueri bibunt: & quando hora vescendi fuerit, veni huc & comede panem*, quemadmodum cæteri ad eorum mensam. Imò ipso die ex propria manu dedit illi quod comederet, vt colligitur ex alia translatione dicente: *porrexit ei granatum*, cibum scilicet quo messores vescebantur, ex frumenti granis tostis confectum. Ex quo apparet, pium diuitem debere eleemosynam facere modo qualitati pauperis accommodato: illum scilicet iuxta sui status qualitatem honorando: nec semper mittere debet eleemosynam ad ipsam portam domus; sed nonnunquam inducendus est pauper in ipsam domum; & sternenda ei mensa, in qua comedat. imò aliquando conijciendo oculos in eum, quem pauper ipse refert, & cuius amore diues eum recepit; decet ad propriam mensam illum adhibere: quemadmodum Sanctus Ludouicus Rex Galliarum faciebat, seruata interim decentia & decoro conuenienti. nec semper danda est eleemosyna per alterius manum; sed etiam interdum propria. Solet enim Dominus noster huiusmodi factum particulari aliqua consolatione remunerare; quæ pars quædam sit illius centupli, quod in hac vita largitur facienti eleemosynam. Quod experiuntur quotidie, qui hospitalia visitantes, pauperibus ministrant, manus eorum lauant, vngues abscindunt, & cibum porrigunt, etiam in ipsum os illum immittentes; & omnes blanditias illis ostendentes, quas pia & sollicita mater ægrotanti filio ostenderet, In huiusmodi enim occasionibus locum habet, quod ipse Saluator dixit: o *qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & mater est.* & licebit certè matrem CHRISTI appellare eum, qui, vt illi obediat, seruit, ministrat, & matris spiritu indulget

n *Ita Tho. & Lyran.*

o *Mat. 12. 5*

pauperi:

pauperi: in quo est ipsemet Christus. Cùm igitur filij valdè gratos soleant se in matres suas ostendere: quos fauores, & quas delicias non exhibebit hic Dominus ijs, quos matris suæ nomine dignatur: eò quòd tale officium in ipsum exercent. De eisdem S. Gregorius declarat illud, quod habetur apud Iob: p *visitans speciem tuam, non peccabis.* Certum est omnes homines eiusdem esse speciei: & quoad hoc vnumquemque esse alterius imaginem, & similitudinem: sed pauper homo est multò maior similitudo nostra quàm diues. Nam diuitiæ homini adueniunt extrinsecè, & ipsi naturæ sunt tanquam addimenta: paupertatem autem & miseriam ex ipsa sua natura post peccatum habet. Est autem aptum medium ad vitanda peccata, huiusmodi pauperes visitare: intuendo in eis imaginem tuam; & ex eo agnoscendo, eisdem te miserijs esse subiectum, quibus illi. ex quo altiores in humilitate iacies radices. Quòd si eorum necessitatibus ita subuenias: sicut velles alios tuis subuenire: solidaberis in charitate: & ex tali visitatione proficies, nouaque consolatione & spiritu refectus abscedes.

Lib 6. Moral. c. 6. p Iob. 5. 24.

6.

Sed prædictis omnibus vltimam Booz manum imposuit, cùm suis pueris præcepit: q *de vestris quoque manipulis proiicite de industria, & remanere permittite, vt* Absque Rvbore *colligat*, cogitans: se iure legis posse eas colligere: O charitatem omni admiratione suspiciendam! ô perfectæ misericordiæ inuentiones; quæ modum & viam adinuenit, qua pauper tanquam sibi debitum accipiat, quod ex mera gratia offertur! de magno illo Eleemosynario S. Ioanne Patriarcha Alexandrino refertur: quòd cùm intelligeret, iuuenem quendam, nobilium & diuitum parentum aliàs filium, in magnam paupertatem incidisse: ne is eleemosynam accipere erubesceret, iussit quendam eius famulum, in antiqua aliqua charta recognitionē quandam scribere, qua constaret, ipsum Patriarcham à multis annis debere ipsius iuuenis parenti magnam auri summam: eamque chartam eidem iuueni offerret, suaderetque, vt creditum illud parentis à Patriarcha exigeret. Quod cum iuuenis fecisset, sine vlla difficultate aut mora recepit, specie crediti, honoratissimam eleemosynam, prodeuntem ex pectore illo, magis anxio ad dandum, quàm sint omnes huius mundi auari ad accipiendum. O virum admirabilem, qui r *fecit mirabilia in vita sua*! siquidem sanctas huiusmodi fraudes adinuenit, non vt aliena sibi vsurparet, sed vt propria largiretur; nō vt furtum occultaret, sed vt eleemosynam dissimularet; non vt iram, detrimentum patientis impediret; sed vt pudorem, recipientis commodum, remoueret.

q *Ruth. 2. 16*

In eius vita

r *Eccl. 31. 9.*

7.

Omnia hæc præcipuam suam originem habent ab humilitate, quæ misericordiam comitatur: in qua non hominum laudes, sed gloria ipsius Dei quæritur; non eleemosynarius haberi, sed reuera talis esse apud

Deum: faciendo eleemosynam ita occulte, vt homines id non videant. quemadmodum S. Nicolaus eleemosynam fecit, qua tres virgines nubere possent: quæ aliàs erant in periculo: secutus Christi D. N. consilium, dicentis: s *cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, , & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* O infelicem fucatæ laudis mercedem, propter opus, quod æternam potuisset gloriam promereri! est tamen eadem laus merces falsæ illi misericordiæ proportionata. Nam, vt Sanctus Gregorius de Eleemosynariis in peccatis suis obstinatis ait, pecuniam quidem suã dant Deo, sed animam Diabolo: ita de his dicere licet: quod pecuniam suam Christo dent; sed cor, mundo & peccato. Quamobrem ait Christus D. *te faciente eleemosynam: nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua*, hoc est: studе quantum in te erit, intentionem tuam ita occultare, vt non solum alios homines lateat; sed si erit possibile, etiam te ipsum: Ita vt operi bono nihil intentionis vanæ commisceas: alioqui eleemosyna, quæ ex se volaret in cœlum; ob sinistram huiusmodi intentionem hærebit in terra, & peribit. Quare si fuerit aliquando necesse eleemosynã publicè fieri, intentio tamen semper maneat occulta: vt scilicet dextera manus eam porrigat intentione adeò recta, vt manus sinistra nihil habeat intentionis obliquæ.

s *Matt.* 6. 2.

Lib. 19. *Moral.* c. 14. & *part.* 3. *post admon.* 21. *Humilitas misericordiæ iungatur.*

8.

DENIQVE magni huius viri misericordia etiam in eo eluxit, quod NOEMI audiens, quæ RVTH ab eo facta referebat, dixerit, t *benedictus sit ille à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* his verbis significans eius misericordiam firmã esse ac stabilẽ: vt quæ non obliuisceretur amicorum etiã post mortẽ; sed extẽderet se quoque ad pauperes, quæ mortuos, sanguine contingebant. quemadmodũ & Dauid magnã exhibuit misericordiam ijs, u *qui supererant de domo Ionathæ.* Quãuis vt hæc misericordia plena sit & perfecta, debet etiã se extendere ad inimicos: iuxtà Sapientis consilium: x *si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit da ei aquam bibere.* sic enim plenè satisfacies consilio Saluatoris dicentis: y *estote misericordes sicut & Pater vester misericors est*: qui etiam malis & ingratis benè facit.

t *Ruth.* 2. 20. *Ad mortuos & inimicos extendatur.* u 2. *Reg.* 9. 3

x *Prou.* 25. 21.

y *Luc.* 6. 36.

§. 2. *Qua ratione pauperes possint eleemosynas facere.*

SI pauper es, & artem quoque callere cupis, faciendi eleemosynam: exemplar respice in paupere RVTH tibi propositum. quæ exijt, vt labore suo spicas colligens, non seipsam tantùm, sed æquè pauperem NOEMI (quæ tanquã ætate grandæua domi manserat) aleret, ac sustentaret. Nam cùm vesperi domum rediret, a *tres modios hordei quos excusserat ex spicis collectis*, statim tradidit *socrui suæ: insuper protulit & dedit ei de reliquijs cibi sui, quo saturata fuerat*, & quem BOOZ eleemosynæ nomine illi dederat. quo facto duplicem rationem ostendit, qua possint etiam pauperes esse eleemosyna-

a *Ruth.* 2. 18

rij;

rijs tantumque, aut plus etiam promereri, quam diuites. Altera ratio est laborando proprijs manibus, vt ex mercede laboris, proximorum necessitatibus subueniant: iuxtà consilium Apostoli, suadentis Ephesijs, b *operari manibus suis, vt haberent, vnde tribuerent necessitatem patienti*: & ipsemet gloriabatur, dicens: c *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: & quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.* sic enim exemplar se ipsum præbuit, quod alij imitarentur: quem multi ex antiquis Patribus sũt imitati: qualis ille fuit Religiosus, de quo S. Gregor. quòd cùm tota hebdomada in consuendis calceis laboraret, quicquid post suã sustentatioẽ supererat, die Sabbathi pauperib⁹ erogabat. Et alius Monachus vidit, quòd eidẽ Religioso pulchrum in cœlis palatium ædificaretur, cuius constructores solo die Sabbathi videbãtur operari. vt sic appareret, pretiosam apud Deum fuisse eleemosynã, quæ illis diebus, & ex tali labore fieret. Et hic primus modus illam etiam complectitur eleemosynam, quę fit visitando infirmos, eos consolando, & in eorum morbis eis ministrando: & similibus alijs.

b *Ephes.* 4. 28.

c *Act.* 20. 34 *Pauper labore et vt subueniat pauperi.*

Lib. 4. *Dialog.* c. 37.

Alter modus, quo potest pauper eleemosynas facere, est; quãdo alios pauperes participes facit ei⁹ eleemosynæ, quam ipse ab alijs tanquã pauper accepit: sic ostendens affectũ & propensionem, quam habet ad miserendũ: de d *exiguo quod habet*, sicut dixit Tobias *exiguum etiam libenter impertiendo* quod quamuis quantitate sit exiguum, æstimatione tamen est magnum: siquidem sibi ipsi subtrahit, quod aliorum necessitati subleuandæ impendat. Quamobrem Christus D. N. e *pauperem Viduam mittentem æra minuta duo in gazophylatium laudans, dixit* discipulis suis, *verè dico vobis, quia Vidua hæc pauper, plus quam omnes misit: nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi omnem victum suum, quem habuit, misit.* & ipsemet Saluator in se ipso exprimebat, quod in alijs laudabat. Nam exijs, quæ eleemosynæ nomine tanquam pauper accipiebat, curabat (vt refert Sanctus Ioannes) f *egenis aliquid dari*: Quod adeò erat in eius schola receptum: vt cùm in nocte vltimæ cœnæ diceret Iudæ: *quod facis, fac citius*: discipuli intellexerint, iussisse eum aliquid emere, quod pauperibus alijs in ipso Paschate donaretur. Quod exemplum amplexi sunt, qui in sua paupertate honori sibi ducebant, Christum Seruatorem imitari: qualis fuit pauper ille Seruulus paralyticus, de quo S. Gregorius, quòd cùm ex eleemosynis vitam sustentaret, quicquid ei supererat alijs pauperibus erogabat: in die autem obitus sui Angelorum musicam & cœlestes laudes audiuit: quibus comitantibus in cœlum ascendit, vt hinc animum pauperes assumant, ad dandum alijs pauperibus quod habuerint: licèt non aliud quàm aquæ haustum: quo nihil minus dari potest: cùm Christus

Det alijs de sua eleemosyna.

d *Tob.* 4. 9.

e *Luc.* 21. 2.

f *Ioan.* 13. 29.

4. *Dialog. cap.* 14.

g *Matt.* 10. 24.

D. dixe-

h *Marc 9. 40.*

D.dixerit: g *quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ. tantum in nomine discipuli,* & h *in nomine meo. Amen dico vobis, non perdet mercedem suã*: ego enim illi aquam gratiæ vitam cum tanta spiritualium bonorum abundantia dabo: vt omnia sua bona desideria in hac vita, & in futura æternùm exsatiet, Amen.

CAPVT XIII.

ORATIONES SATISFACTORIAE, ET QVOD vocatio diuina post pœnitentiam exhortetur, & impellat ad feruorem & perfectionem in bonis omnibus operibus.

TERTIOS Pœnitentiæ fructus complectitur oratio. Et quoniam multi pœnitentes præstare non possunt alias pœnitentias corporales, ob suam imbecillitatẽ aut eleemosynas, ob paupertatem: solent vt plurimum Confessarij tertium hoc satisfactionis genus eis præscribere: qualia sũt Sacro Missæ interesse, Psalmos, Coronas, siue Rosaria, & Litanias orare, Ecclesias visitare, Cõciones audire, pios libros legere, & aliquid temporis diuinis mysterijs meditandis impendere: aliaque similia opera, quæ ad cultum diuinum, vitamq; contemplatiuam spectant: quæ ad vtrumque prædictum finem valdè conducunt. Valdè enim pro peccatis præteritis satisfaciunt, quatenus carni & spiritui sunt grauia; adiuuant verò, ad vitæ reformationem & perfectionem, quatenus in se valdè excellunt; nostrumque spiritum multum extollunt, vt cum diuino coniungatur. Vtrumque hoc Sanctus Chrysostomus coniunxit dicens: *In Psal. 110* *si magnum aliquod donum Deo offerre volumus: nihil habemus laudatione maius, nihil laudatione difficilius.* Nam multum procul dubio spiritus laborat in adhibenda attentione ad id, quod in hac laudatione facit: ne scilicet ad alia diuertat, aut solicitudinum occurrentium agmini aditum præbeat; alijsque imaginibus, quæ turbare eum solent. Ipsum quoque corpus aliquid patitur. Ecclesiastes enim dixit: a *frequentem meditationem, carnis esse afflictionem.* Et nominatim quidem, eò quòd oratio externam quoq; exigat reuerentiam, quam exhibendo, ipsum corpus defatigatur: siue genua sint flectenda, siue standum, siue in loco aliquo quietè manendum: quamuis satisfactio (teste S. Thoma) nominatim respondeat speciali illi orationis labori, quà vocalis est: eâ enim b *reddimus* (vt Oseas Propheta dixit) *Domino omnem iniquitatem auferenti vitulos labiorum nostrorum*: verba scilicet Orationum, Hymnorum, Canticorum, & aliarum laudum.

a *Eccl. 12. 12.*

2. 2. q. 83. a. 12.

b *Osea 14. 3.*

SED

SED multò adhuc magis conducit oratio ad nostram reformationem & perfectionem, duos alios effectus in nobis producendo: *refectionem* scilicet animæ spiritualem; & *impetrationem* eorum bonorum, quæ à Deo petimus. His enim peccatorum reliquias euellit, à lapsibus præseruat, arboremque pœnitentiæ fouet: vt fructus valdè copiosos & perfectos proferat. Oratio, ait S. Chrysost. est instar irrigationis arborum, & plantarum, quæ aquæ humore virorem & vigorem suum conseruant, crescunt, & folia flores, ac fructus proferunt: quod si irrigatio desit, marcescunt, arescunt, & tandem pereunt: præcipuè si in arida & arenosa terra sint satæ; & clima ipsum æstuosum & intemperans. Hunc ergò in modum, orationis irrigatione spiritus vigorem conseruabis, creesces in virtute, flores produces feruentium desideriorum, folia verborum sanctorum, & bonorum operum fructus. Quod si irriguum hoc tibi deesset, virtutes omnes perirent: eò quòd plantatæ sint in anima, quæ instar est aridæ & sterilis terræ, & à ventis passionum vrentibus oppugnata; radijsque, quos amor proprius ex se iacit, quasi consumpta. Oratio, inquit, instar est solis in mundo: cuius præsentia plantæ virescunt, viuentia exhilarantur, alleuiantur infirmi, & sani laborant: per illam enim exanimata corda incalescunt; tristia consolationem percipiunt; infirma conualescunt; & quæ Sana sunt, solidantur. Illa denique vitam Dei cultu dignam miris modis conciliat, conciliatam auget, quasique thesaurum recondit animis nostris. Nam DEVS admirabilem se ostendit in ijs, qui orationi se dedunt: vt illos virtutibus & gratijs diter, quæ sint hominibus admirationi. Nam ipse dixit: c *petite & accipietis*. ideoque si castitatem, si patientiam, reliquasque virtutes ab eo petas, vt oportet: accipies eas liberaliter. Quod si velis, vt Michæas ait, d *facere* semper *iudicium* & iustitiã, *& diligere misericordiam*, *& solicitum ambulare cum Deo tuo*: esto solicitus ac diligens in orando: oratio enim impetrabit tibi spiritum sæueri *Iudicis* in te ipsum; & solicitæ ac misericordis *matris* in proxmos; & *filii* diligentis, ac obedientis Deo tuo. Eadem impetrabit tibi reformationem, & constan iam, quam desideras: quia omnia potest, & omnia obtinet in virtute Spiritus sancti, à quo illa procedit. Quemadmodum in Duce spirituali fusius est dictum, ad quem remitto Christianum Lectorem.

S. Thom. q. 87. a. 13. Reficit & impetrat.

Lib. 1. de orando Deũ.

Oratio fons & sol.

c *Matth. 7. 7*

d. *Mich. 6. 8*

§. *Vnicus. Vocatio ad omnia bona opera prædicta.*

IMPONAMVS huic Tractationi finem, explicantes amicum & beneuolum modum, quo vocatio diuina animam per pœnitentiam iam iustificatam, inuitat, vt prædicta omnia opera feruenter exerceat, & vias satisfactionis ac reformationis, vsque ad earum finem acceleret.

a *Cant.*2.10

SVRGE, *inquit, propera amica mea, columba mea formosa mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ inhabita, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* O vtinam diuinus spiritus eum tibi manifestaret, qui in his similitudinibus latet, excitareris dubio procul, & ingentem resumeres spiritum ad excellentissimam reformationem & perfectionem procurandam, quam eisdem similitudinibus intendit ipse tibi persuadere. Quod primùm iubet animæ tuæ est, vt *surgat*, non ex morte ad vitam: quia supponitur iam resurrexisse per Contritionem & Confessionem factam: sed ab illo tristi & flebili statu, in quo est; & à torpore atque ignauia, quæ solet eum comitari, ad vitam nouam, valdeque reformatam inchoandam: magnoque feruore opera sanctitatis exercenda, quibus illa obtinetur. quod vt tibi persuadeat, quatuor efficacissimas affert rationes.

Surge à Tepore.

1. *Ob Beneficia exhibita.*

PRIMA ratio est desumpta ex ingentibus beneficijs ac fauoribus, quibus te prosecutus est die, quo fuisti confessus: quæ beneficia splendidis, ac glorioſis nominibus, quibus te compellat, ostendit: quæ non sunt inania, sed sanctitate, quam significant, plena. est autem rationi consentaneum, vt tu iuxta eorum significationem te geras, quasi tibi diceret: recordare, ô anima iam confessa, quod in confessione fecerim te *amicam meam*, per gratiam & charitatem; *columbam meam*, per puritatem & synceritatem; *formosam meam*, per omnium virtutum splendorem: & in his omnibus es *mea*: nam huiusmodi dona non tua sunt, sed mea: quæ ideò tibi contuli, vt te obstringerem, vt semper in eam neres, & eisdem mihi seruires. Quare *surge, propera, & veni. Surge*, amica mea, vt voluntatem meam fortiter adimpleas; *propera*, columba mea, ad multos filios operum sanctorum, magna puritate generandos; *veni* formosa mea, vt virtutum splendorem clarissimis exemplis manifestes. quæ omnium intuentium corda pertrahant ad imitationem. Grata igitur esto tanto benefactori tuo; nouas gratias, acceptis iam donis comparando.

2. *Impedimenta sublata.*

NEC minus efficax est *secunda ratio*. nam per Confessionem sublata sunt impedimenta in diuino seruitio progrediendi. *Hyems*, ait, *transiit imber abiit & recessit*. Iam enim præteritæ vitæ peccata tibi condonaui, quæ tibi quasi hyems quædam erant, ob iustitiæ solis absentiam; frigus erant ob defectum charitatis; & imber, ob effrenes carnis passiones ac tentationes Dæmonis permolestas. Nubilum erat ob fidem mortificatam, & ignorantiæ nebulam, triste, ob conscientiæ remorsum, & culpæ amari-

maritudinem. Cùm igitur hæc omnia cessauerint: *Surge, propera & veni.* Exi aliquantulum ex molesta miseriarum tuarum consideratione; quæ timidam te reddit, & arctat, respira cogitatione ingentium misericordiarum mearum. & siquidem peccatorum tuorum catenas, & compedes solui: memor esto huius beneficij, gratamque te semper ostende: occupando te in meo obsequio. Filijs Israel olim dixi, b *Mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto, & de domo seruitutis,* in qua tenebamini, In eius ergò memoriam præcipio, vt *non comedatis fermentatum panem.* Sed tibi, O anima iustificata, nunc dico, vt semper sis memor huius diei, in qua per confessionem eripui te à Dæmonis tyrannide, à peccatorum seruitute, à frigoribus & imbribus calamitatum, quos propter illud fueras promeritus. Hanc igitur à te gratitudinem requiro, vt non amplius c *fermentum* corruptionis resumas; sed *azimum* ab omni fermento liberum: festinando, vt procul magis ac magis discedas ab Aegypto, vt acceptum bonum securiùs conserues.

S. Bern. ser 58. in Cant.

b Exo. 13. 3. 7 Deuter. 16. 3.

c 1. Cor. 5. 8

Sed *tertia ratio*, quam addit, adhuc est efficacior. Iam enim in nomine & virtute Dei, tuæ salutis opus feruentibus initijs inchoasti: rectum itaque est, & rationi omninò conforme, vt pergas, donec perfectè voti compos euadas. Attende, inquit, incepisse iam in anima tua ver nouæ vitæ. ex gratia enim & auxilio meo iam *flores* bonorum desiderium in te *apparuerunt*; *tempus putationis* conscientiæ tuæ *aduenit*: quam Sacramentalis confessionis falx putatoria perfecit, cùm ab ea omnia peccata putauit; *Vox turturis audita est*, cùm præ dolore eorum ingemuisti; *ficus protulit grossos suos*, dum aliqua alia opera satisfactoria, & quæ dolorem tibi incusserunt, præstitisti; *vineæ* tuarum potentiarum *florentes* bonis desiderijs inceperunt *odorem suum dare*, & proximos ædificare. Quæ igitur tam fœliciter incepisti: ne hæsites. Sed *surge & propera*, vt petticias, & absoluas, quod adhuc tibi deest. Desideriorum tuorum flores proferant bonorum operum fructus. Eadem falx, quæ tua peccata putauit, eorundem reliquias abscindat; delicias putet ieiunijs; fortunas, eleemosynis, secularem splendorem, humiliationibus: omnes in his omnibus excessus abscindendo, *Vox turturis*, quæ ob culpas gemebat, gemat nunc in oratione, continuum petendo virtutum augmentum. *Ficus*, quæ satisfactionis grossos ac debita protulit, proferat nunc optimas secundas ficus, reformationis in moribus: *Vineæ*, quæ bonum odorem dabant, proferant nunc amoris vinum & feruoris. Denique bona proposita, quæ concepisti: attende, vt statim opere exequaris, nec dubites, auxilium meũ tibi ad futurũ. desidero. n. opera mea esse perfecta: & qui sanctificationis tuæ opus in te cœpi: auxiliũ feram, vt perficiatur. Ne oblatã hãc

3. *Iacta est alea, pergendum est.*

occasionem præterire patiaris: quam nunc offero. occasio enim semel amissa, difficilè redit. &, si non perficias, quod nunc incipis, illudent tibi Dæmones, tanquam homini inconstanti: qui d *cœpit ædificare*, & cœptum ædificium *non potuit consummare*.

d Luc. 14. 30

4. *Ad orationem & Contemplationem euola.*

SED neque hic sistit diuina vocatio: secundò enim vocat animam, vt opera exerceat orationis, & contemplationis sublimiora *Surge*, ait, *columba mea*: & è terra in cœlum vola; è creaturis ad creatorem, & ex te ipsa ad tuum Redemptorem. Ingredere per orationem & Meditationem *in foramina petræ & cauernam maceriæ*: mansionem & sessionem tuam ponens in meæ humanitatis ac diuinitatis mysterijs; in vulneribus, quæ tui gratia in cruce pertuli, & in ijs operibus, quibus te protego, & ex cælo ipso tibi assisto: vt tibi spiritum & feruorem recipias, quo meas imiteris virtutes, sequaris consilia; & feruentibus in me sensibus & affectibus transformeris. Cùm de confessione peragenda cogitares, tuorumque peccatorum memoria quodammodo contraherereris; ad mea vulnera, vt veniam quæreres, cõfugiebas. Scriptum est enim: e *petra refugium herinacis*. Nam ad hæc se recipit foramina, vt securus sit. Iam desijsti *herinacius* esse, ob pœnitentiam & factus es *columba*, ob receptam puritatem. Veni igitur ad eadem vulnera mea, non repens sicut herinacius; sed sicut columba volans, non præ timore tremens, aut repugnanter; sed magno animo, & fiducia maxima; non ad petendam tantùm tuorum peccatorum veniam, sed vt propter dolores meos gemas, & in meas virtutes transformeris, dulcesq; mecum sermones misceas. *Ostende mihi faciem tuã*, quæ *decora* est & *sonet vox tua in auribus meis: quia dulcis est*. Non timeas in meum conspectum venire, præteritorum peccatorum turpitudinem erubescens: quia iam te lacrymarum aqua abluisti; & per Absolutionem tibi impensam, omnes tuas maculas deleui. Ideoque magnã es induta pulchritudinem & elegantiam. Ne existimes molestum mihi esse, si in oratione mecum loquaris. & me vocem verbaque tua contemnere, tanquam ab eadem anima prolata, quæ toties aliàs in mei & proximorum suorum iniuriam protulit: Nam post tuam pœnitentiam, iam vox tua est mihi dulcis, illamque audire delector. Loquere, ora, pete, mecúque de tuis rebus confer. nam deliciæ meæ sunt colloqui cum filijs hominum, & cum eisdem conuersari, qui mihi sunt chari. O felicem animam quã DEVS vocatione adeò benenola vocat! cui gloriosa adeò agnomina tribuit! cum qua tenera adeò colloquia miscet, cui exercitia adeò nobilia suggerit, auxilium suum etiam offerens: vt in eisdem proficiat.

e Psa. 103. 18 Herinacius. Columba.

O DEVS animæ meæ: quantò æquiùs dicere tibi ego possum, quod tu mihi: ostende mihi Domine, faciem tuam: quia decora est; sonet vox tua in auribus meis: quia dulcis est; illustra, Domine, diuino tuo lumine mentem

meam:

meam: vt in contemplatione pulchritudinem videam diuinæ faciei tuæ, & virtutum ac perfectionum tuarum elegantiam, ita vt ad eas imitandas exciter, & afficiar. Sonet in auribus meis dulcissima suauissimæ inspirationis tuæ vox, quæ me ad omnium horum operum exercitationem inuitet; vt auxilio tali præmunitus in omnibus eis valdè præcellens euadam; perueniamque ad te videndum, & in gloria tua æternùm fruendum, Amen.

TRACTATVS III. *FINIS.*

TRACTATVS IV.

DE SACRATISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO ET EXCELLENTI PERFECTIONE, QVAM SVSCIPIENTIBUS ADFERT.

CAPVT PRIMVM.

PRAESENTIAM CHRISTI D. N. IN SANCTISSIMO Eucharistiæ Sacramento comprobant stupenda, quæ per illud facta sunt in mundo.

SAnctissimvm Altaris Sacramentum, quod etiam Evcharistiæ appellamus, proprium locum (vt sacra Concilia Ecclesiæque Doctores asserunt) habet post Baptismũ & Confirmationẽ, quæ nos capaces dignosq; reddunt ad illud suscipiẽdũ. Sed quoniam plerumque fideles in varias incidunt culpas, à quibus necesse est, eos per cõfessionis Sacramentum purgari, antequam hoc suscipiant: hoc posuimus quarto loco, tanquam solem inter septem planetas, quod tamen in excellentia & dignitate est omnium primum, & a *fontem solis* licet appellare: multis scilicet aquis redundantem. Nam ex septem *fontibus Saluatoris* hic gloriosior est, & abundantior: quia continet in se ipsum et

Concil. Trid sess. 7. c. 1. S. Tho. 3. p. q. 64. a. 2. & 3.

Ioel 3. 18. Isa. 12. 3.

Saluatorem, qui fons est luminis, & aquarum omnium viuentium ipsius gratiæ; & Diuinus ille sol, de quo Malachias: c *Vobis timentibus nomen meum orietur* SOL IVSTITIÆ, *& sanitas in pennis eius; & salietis sicuti vituli* in cõspectu eius. Quod promissum etsi cum iustis loquatur, qui huius vitæ labores iam superarunt quibus proinde diuinus hic sol nascetur, cùm ad eos remunerãdos cum ingenti gloria veniet; potest tamen eadem promissio applicari iustis, qui pœnitentiæ amaritudines, de quibus hactenus egimus, subierunt. Ijs enim sol hic iustitiæ nascitur, cùm in hoc sacramentum è cælo descendit, ad vitam sanitatemque confirmandam, & augendam, quam illis erat elargitus. Et quemadmodum pennæ Solis appellantur splendoris radij illũ ambientes, quibus ille per mundum gyrans, viuentes exhilarat: Ita solis huius Iustitiæ pennas licet appellare duas huius sacramenti partes; quibus totam Ecclesiam circumiens, radios lucis ardoremq; cælestem ad animas sanandas, & exhilarandas emittit. quæ statim atque cum spiritu Sacramentũ hoc susceperunt, tanquam vituli lacte saturi; hinc inde prę gaudio discurrũt, ac saltant: degustato enim suauissimo huius cibi lacte, exultant cum spiritus iubilis; saltantq; in Diuino conspectu, sicut Dauid ante arcam fœderis saltabat. Sed mysterium singulare indicat translatio LXX. Interpretum, dicẽs: *Salietis sicut vituli de vinculis relaxati.* significat enim, quemadmodum vituli, qui aliquandiu inclusi, & ligati manserunt, cùm inde soluuntur, currunt, saliuntq; ingenti lætitia: Ita eos, qui catenis suorum peccatorum ligati erant, per sacramentũ verò Confessionis soluti & liberati sunt, lætari, & præ gaudio salire, cùm vident Iustitiæ solem ipsos velle suis pennis protegere; & instar cibi in sanctissimo hoc sacramento dignari ad ipsos venire. Cuius sacramenti excellentias in hoc tractatu indicabimus, ijs præsuppositis, quæ in alijs nostris libris de eodem attulimus, vt pœnitentes, spiritus recentes nunc accipiant ad itinera & vias suæ reformationis peragendas: reliqui verò iusti animentur ad crescandum, & ascendendum ad sublimitatem perfectionis Christianæ, quæ per hoc sacramentum confertur.

c *Mal. 4.2.*

In Medit. part. 4 & 6. Et in Duce Spirit. Trac. 2.

PRO fundamento autem eorum, quæ sunt dicenda, stabiliemus in hoc capite Diuinissimi huius mysterij veritatem, ad consolationem fidelium: de eo enim dixit Dauid: d *memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se,* qui hoc timore, & reuerentia, omnia peccata deuitant. Tot autem tantaq; fuerunt hæc mirabilia, vt eos offuscauerint, qui se sapientes existimarunt; nec ea admittere voluerũt, filij superbiæ, quorũ Rex est Sathan, qui quemadmodũ Confessionem horrent, quia pudet peccata sua alteri homini aperire, dicentes: satis sibi esse, si Deo soli confiteantur: ita Cõmunionem sacrã contemnũt: quia pudet credere Christum Seruatorem nostrum latere sub eo, quod videtur esse panis & vinum;

d *Psal. 110. 4.*

dicen-

dicentes eum nec sua omnipotẽtia id fcere potuisse; nec bonitate voluisse, nec eius Maiestatem id decere. Sed in hoc ipso impij homines suã ignorantiam & superbiam Diabolicam manifestant: volentes omnipotentiam Dei exili suo intellectu & eiusdem bonitatẽ tumentis suæ superbiæ iudicio metiri. de quibus S. Apostolus Iudas dixit: e *quæcunque ignorant blasphemare quæcunque autem naturaliter, tanquã muta animalia, norũt, in his corrumpi.* Et S. Petrus f quod *dominatione contemnant, audaces, sibiq; placentes, sectas non metuant inroducere, blasphemãtes: & veluti irrationabilia pecora in corruptione sua perituros, percipientes mercedem suæ iniustitiæ*: quia iudicio tantùm sensuum & appetitionum gustu ducuntur. nisi enim malitia fuissent excæcati, suasq; aures tanquam aspides surdę occlusissent, audiuissent dubio procul ipsius Christi Seruatoris verbũ dicentis: g *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: quod idem re ipsa confirmauit, cùm postea: h *accepit panem, deditq; discipulis dicens: accipite & comedite: hoc est corpus meum: & similiter calicem, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* potestne quis dubitare Christũ D. hæc verba dixisse: aut ea veram ac realem eius præsentiam significare in cibo & potu, quẽ illis porrigebat? si enim voluisset clarè ac distinctè id tunc dicere, quod Ecclesia Catholica de eius præsentia nunc confitetur; verbisq; vti, quæ dubitationem omnem & suspicionem excluderent: non potuisset alijs vllis vti magis proprijs & apertis, quàm quibus est vsus. Si igitur ea dicere potuit: quis dubitet, potuisse eum, ac proinde voluisse facere, quod ea verba significant? Deo enim æquè facilè est rem aliquam facere, atq; dicere: siquidem verbo suo illam facit. Et quemadmodum super panem dixit illa verba: *Hoc est corpus meum*: ita fecit esse corpus suum. nec propterea vel in puncto Maiestatem & magnitudinem suam imminuit: sed potiùs ad infinitas Omnipotentię & Charitatis suæ diuitias ostendendas voluit, hanc summam & memoriam suorum mirabilium facere: vt se ipsum daret in cibum ijs, qui illi credunt, timent, & tanquam filij diligunt. qui magno sibi honori tribuũt, patrem habere adeò potentem ac bonum, adeò generosum & magnanimum, vt magnitudinem reputet se se demittere, vt eos exaltet; & se se abijcere, vt eos extollat. Sicut enim non reputauit immensa sua Maiestate indignum, quod se demitteret ad susc ipiendam formam serui, & ad crucem inter duos latrones subeundam, ob redemptionem hominũ: Ita non dedignatur formam cibi sumere, & sic ad ipsosmet venire, & ad interiora eorum per se ipsum penetrare: vt suis illos donis repleat: sed potiùs in hac ipsa humiliatione illa mirabilia adumbrauit, quæ in ipsa mundi creatione, & in lege veteri, ac deniq; in ipsa noua fecerat. Nam ex omnipotentia, quam in illis ostendit, ostendit etiam se potentiam habere ad hoc mirabile edendum, in quo reliqua illa quasi in compendium & summam redegit.

e *Iudas in sua Canon. vers. 10.*
f 2. *Pet. 2. 10*
g *Ioan. 6. 56.*
h *Matth. 26. 26.*

§. I. *Mira-*

§. 1. *Mirabilia in mundi Creatione.*

1. *Mundi creatio.*

PRIMVM in initio mundi ostendit magnus noster DEVS suam omnipotentiam : quòd solo verbo ex nihilo fecerit cœlum & terram; & reliqua, quæ vacuum hoc repleuerunt. Cur ergò non poterit eodem verbo suo facere, quod de hoc Diuino sacramento confitemur? Perpendit huius rationis vim mirificè S. Ambros. dicens. Sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia, a *Iussit* Dominus, & *factum est cœlum; iussit* Dominus & *facta est terra*; iussit Dominus, & facta sunt maria; iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergò quàm operatorius sit sermo Christi? si ergò tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant; quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant; & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: b *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Ergò etsi non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi, quod iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est; ipse mandauit, & creatum est. Hæc S. Ambros. Quibus addendum, quòd eodem ipso tempore, quo res omnes ex nihilo creando, DEVS omnipotentiam suam manifestauit; simul etiam suam ostendit immensitatem, qua in ijsdem ipsis Creaturis ipsemet esse cœpit. nam idē ipse immensus Dominus, qui à sua æternitate fuit in se ipso: cœpit, si ita loqui licet, expandere, & extendere se extra se ipsum, implendo ipsum cœlum, terram, & omnia quæ in eis sunt, nullo vacuo aut inani relicto: in quo ipse non esset per essentiam, præsentiam, & potentiam præsentissimus, realiter scilicet, ac verè in suis omnib. creaturis intimè existens; ostendens etiam in hoc, quàm illas diligat. Quid ergò mirum, quòd idemmet DEVS, factus pro nobis homo, qui in se ipso quasi contractus, & ad solam vnam humanitatem angustatus quodammodo erat, voluerit se extra seipsum effundere; suaque omnipotentia modum quendam immensitatis ostendere, assistendo hominibus, seipsum illis coniungendo, & ad illorum intima penetrando: vt ex hoc illi aduertant, eius in se amorem & bonum, quod illis communicare desiderat? Si verbū quod exit ex ore tuo, cùm sit reuera corporale, & non nisi vnum, ita effunditur & penetrat aures mille hominū, illud percipientium: quid magnum est, si Dei verbum caro factum, etiamsi vnicus tantùm sit Christus, ad multos homines intrare, & cum eis vnire se possit. Est enim verbum omnipotens, & Maiestatis immensæ; ideoque quod mandat, fit; & quod iubet, executioni mandatur. Et quemadmodum facere potest, vt sit Creatura, quæ non erat; & vt non sit, quæ erat: ita potest eam permutare, sicut volet, vt eam, & per eam ingredi possit pro libitu suo.

Lib. 4. de Sacram. c. 4.

a *Gene. 1 16*

b *Psa. 148 5.*

Deus extenditur quodammodo per creationem & consecrationē.

Verbū multiplicatur.

CONIICE oculos tuos ad reliqua, quæ fecit ipse in mundi exordio: &

intel-

intelliges, quàm sit possibile, quod in Sanctissimo hoc Sacramento geritur: modò oculos habeas puros, cœlestique lumine ad ea benè cognoscenda illustratos. Non enim absq; mysterio est, quod primo die dixerit Deus: c *fiat lux: & facta est lux: & diuisit lucem à tenebris. appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.* Hoc enim nobis significare voluit, quod sicut cœlo & terra, quę creauerat, non potuissemus frui, nisi lucem statim creasset, qua ea videre & cognoscere possemus: Ita supernis diuinitatis & humanitatis Christi mysterijs, & operibus, quæ fecit, gaudere, & frui non possumus, nisi *luce* ille in intellectu nostro creet, qua illa credamus, & cognoscamus. d *Vanum*, inquit Dauid, *est vobis ante lucem surgere.* sine qua nec laborare quis potest, nec vtile quid agere. Hac luce incipiunt fideles ab infidelibus; iustique à peccatoribus discerni. Illi enim sunt filij lucis, hi tenebrarum; illi in die ambulant, hi impingunt de nocte illi hac luce credunt, quòd Christus Deus noster sit Omnipotens, ad conuertendum panem in Corpus suum; & vinum in suum Sanguinem: Ideoque seipsos excitant, vt tanto bono oblato fruantur; alij verò e *rebelles lumini*, excæcati sunt, ne id credant, nec eo frui velint. Denique hæc lux est fortissimum aliud argumentum ad veritatem diuini huius Sacramenti confirmandam: sine huiusmodi enim de cælo delapsa luce impossibile fuisset, tot homines, qui hactenus in Ecclesia fuerunt, sanctos, sapientes, nec passione aliqua, nec lucri alicuius intuitu ductos, sensus suos abnegare voluisse, & summa firmitate ac certitudine credidisse, quod hic panis & vinum esse videtur, non id esse; sed verum corpus & sanguinem Iesv Christi. Quæ enim humanæ rationes talibus viris ad id persuadendum suffecissent, nisi fidei ipsius lumen eam veritatem eos docuisset; & ipse Deus omnipotenti suo verbo id illis persuasisset? Vt meritò dixerit Sanctus Bernardus, diuinæ omnipotentiæ miraculum esse, quòd fides cum humano intellectu coniungatur: per quam coniunctionem possumus credere, eam esse veram; siquidem solus Deus eam potest perficere.

Ab hac itaque luce deductus, perge ad considerandum, quod reliquis diebus Deus fecit: & videbis, si in secundo die, solo verbo suo fecit f *firmamentum*, quod tantam aquarum molem adeò vnitam separaret, *aquas q; quæ erant sub firmamento eo, ab his quæ erant firmamentum*, *diuideret*: mirum non esse, quod eodem omnipotenti suo verbo in sacra ipsa hostia firmamentum ponat corporis sui cœlestis vnionem illam & connexionem diuidendo, quam panis accidentia cum sua substantia & vini, cum sua habebant. Et si visibilis hic sol radijs suis terrestres aquas in subtilissimas nubes conuertit, crassum à subtili separando: quid mirum si iustitiæ Sol radijs suæ omnipotentiæ crassam panis substantiam in corpus suum glorificatum, & quodammodo spirituale factum, conuertat, in gratiam, & magnam

c *Genes. 1. 3 Lux terram & mentem nostram illustrat.*

d *Psal. 126 2*

Iob. 14. 13

Fides maiorum.

Serm. 3. in Vigil. Nati.

3.

f *Gen. 16. Sacramentum est firmamentũ.*

sumentis vtilitatem: seiparando pretiosum eius à vili, & spirituale à carnali?

4. QVID autem de ijs, quæ DEVS tertio die fecit, dicemus, in quo partem aridæ terræ in plantarum multitudinem conuertit, ad viuentium alimentum? Et eodem die formauit Dominus DEVS in ipsa terra paradisum voluptatis, in quo creaturus erat hominem: cuius terræ particulam conuertit in arborem vitæ, quæ in medio erat paradisi, vt fructus eius immortalem homini vitam impartiretur. Quid ergo mirum erit, si magnus idem DEVS substantiam panis in hanc vitæ arborem, Christum IESVM, conuertat: vt sit nutrimentum & æterna vita comedentis? non erat rationi consonum, quod Ecclesiæ paradisus careret sua arbore vitæ, ad suorum filiorum alimentum ac delicias: nec impossibile erat, alimentum corporale, & ordinarium hominum, panem scilicet, conuerti prodigiosè in arborem vitæ, quæ nutrimentum esset spirituale, & ordinarium iustorum.

5. Sacramẽtum est Arbor Vitæ.

5. SED vlterius adhuc Dei Omnipotentia progreditur in his naturalibus conuersionibus. Nam solo suo verbo partem g *aquarum* conuertit in *pisces & aues*; partem verò *terræ* in varia terrestria *animalia*; & ex parte aliqua h *limi formauit* corpus *Adami*, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: ex cuius *costa ædificauit* corpus Euæ: quis igitur negauerit posse Deum, vt Sanctus Ambrosius ait, ex eo quod panis erat, facere corpus Christi? si enim verbum Dei potuit facere in momento, quod semina in multis mensibus & annis faciunt, & ex terræ particula, aut aqua absque semine formare potuit perfectissima corpora: etiam nunc poterit panem in perfectissimum Saluatoris corpus conuertere: non quod tunc primùm esse incipiat, quod non erat, sed quod substantiæ panis succedat sub eius accidentibus. Et, vt ait Sanctus Chrysostomus, quemadmodum verbum illud, quod in principio mundi dixit DEVS: i *crescite & multiplicabimini, & replete terram*; semel tantùm ab ipso Deo prolatum, suum hucusque retinet effectum, concurrente naturâ ad rerũ omnium generationem: Ita etiã verbũ illud CHRISTI Domini: *Hoc est corpus meum*; quãuis semel tantùm ab ipso prolatum, in hodiernum vsque diem, & ad finem vsque mundi Ecclesiam replet diuino hoc Sacrificio & Sacramento; accedente tamen Sacerdotis consecratione, qua verbum illud Christi in eius virtute repetit.

g *gen. 1. 20. 24.*
h *Cap. 2. 7. 21.*

Lib. 4. de Sacram. c. 4 S. Thom. 3 p. q. 75. a. 8.

Homil. de Proditi. Iudæ.

Ex elemẽtis format Deus corpora.

i *Gene. 1. 28.*

§. 2. *Mirabilia veteris Legis.*

PERGAMVS ad mirabilia & stupenda Legis veteris, ex quibus valdè credibile fiet, quod Noua de hoc diuino Sacramento testatur.

Quo

Quod Sanctus Cyrillus Alexandrinus grauissimis his verbis prosequitur. Animus malignus quæcunque non intelligit, statim tanquam friuola, falsáque per arrogantiam eijcit; nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans: quales Iudæos fuisse cõperiemus. Nam cùm oporteret eos, qui diuinam virtutem Saluatoris ac potestatem, signorum miraculo perceperant, sermonem eius libenter susscipere: & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere: contrà omninò faciunt. Et a *quomodo potest hic carnem suam nobis dare?* de Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentẽ venit: nihil esse impossibile apud Deum. Nam cùm b *animales* essent (vt ait Paulus) *spiritalia* intelligere nõ poterant: Sed fatuitas quædam, tam magnũ sibi videtur mysterium: sed nos magnum, quæso, à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tã sublimibus rebus illud, *Quomodo*, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, extremi supplicij causa. Ideò Nicodemus etiam cùm diceret. c *Quomodo hæc fieri possunt?* meritò audiuit. *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?* aliorum igitur vt diximus, culpa perdocti, cùm Deus operetur, non quæramus *Quomodo*, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Ita profectò nos affici per Prophetam Isaiam Dominus ipse hortatur. d *Non* enim sunt *consilia mea*, inquit, vt *consilia vestra, nec sicut viæ vestræ, viæ meæ sunt, dicit Dominus: sed sicut exaltatur cœlum à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Qui autem sapientia & virtute adeò excellit: *quomodo* non operabitur ita miraculosè, vt operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonnè vides, quid sæpenumerò mechanici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnunquam enarrare: sed tamen, quia similia ipsos fecisse vidimus: posse peragi ab ipsis facilè credimus. *Quomodo* igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, vt *quomodo* in operibus suis dicere audeant? quem totius sapientiæ largitorem esse non ignorant: quem omnia posse Scriptura nos docuit. Si verò tu ô Iudæe, *quomodo* etiam nunc clamas: hanc tuam imperitiam ego quoque sequutus, libenter *quomodo* ex Ægypto exiuisti, rogabo; quomodo in serpentem Mosaica fuit virga conuersa? quomodo lepra manus affecta, vno momento temporis, in pristinum statum restituta iterum fuit? quomodo in naturam sanguinis aquæ transierunt? quomodo patres tui per media maria, vt per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Iericho cecidit? Innumerabilia sunt in quibus si *Quomodo* quæris, vniuersam euertere tibi Scripturam necesse erit; Prophetarum

Lib. 4. in Ioan. c. 13.

a *Ioan. 6. 53.*

b *1. Cor. 2. 14.*

Quomodo? Verbum Iudaicum

c *Ioan. 3. 9. 10.*

Miracula V. Testamenti.

» doctrinam, & ipsius Moysis scripta contemne, aut confitere omnipotentiam Dei, qui potuit illa facere, quia voluit. Quare credidisse Christo potiùs » oportuit: & si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quàm veluti » temulentos exclamare: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*? Non itaque amplius hoc dic as: sed demisse supplica; id vt velit » tibi declarare, subijciens tuum iudicium eius dictis. Hæc ferè Sanctus Cyrillus.

Lib 4 de Sacram c.4. & 5. & de ijs qui mysterijs initiantur. Manna.

EADEM prosequitur Sanctus Ambrosius, plura alia miracula addens à Cyrillo prædictis. ad cuius imitationem licet etiam interrogare. Quomodo Manna descendebat quotidie de cœlo mane, præcedente rore ad instar pruinæ? Quomodo Sol istud dissoluebat in pœnã negligentium: quod tamen ignis condiebat in alimentum diligentium? Et quomodo cùm omnes eandem colligebant mensuram, nihil tamen supererat, aut deerat ex ijs, quæ illis erant necessaria? Quomodo vermibus scatebat die sequenti Sabbatho tamen non corrumpebatur, quod pridie fuit collectum? Quomodo, cùm vnus & idem esset cibus, vnamque tantùm haberet naturam, & proprium saporem; omnium tamen ciborum sapores in iustorum delicias continebat? Si igitur omnia hæ possibilia fuerunt omnipotentiæ Dei, volentis id ita fieri, vt populo, licèt ingrato, rebelli, & beneficium non agnoscenti indulgeret: cur non sit possibile eidem diuinæ Omnipotentiæ, quod de hoc diuino Sacramento nobis reuelauit: vt populo Christiano singulari hoc beneficio indulgeret: Si tot magnalia potuit, voluitque facere DEVS in eo cibo, qui CHRISTI Domni nostri fuit figura: quanto ampliora poterit, voletque in eo cibo præstare, quem ipsemet CHRISTVS tribuit: estque ipsamet veritas, quam illa figura referebat? a *Patres nostri omnes* (ait Apostolus) *eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos Petra, petra autem erat* CHRISTVS. Illi manna comederunt, nos panem viuum, quem manna referebat: illi aquam bibebant de petra, nos sanguinem bibimus de viua petra, quam illa significabat. Non igitur porrigit nobis in hoc Sacramento purum panem, & purum vinum, quæ figura sint corporis & sanguinis eius: cessauit enim figura; sed verum corpus & sanguinẽ, per cibum illum & potum figurata. Nam vt rectè Theophylactus perpendit: non dixit Christus D. N. comedite & bibite, hoc enim est corporis & sanguinis mei figura; sed dixit, hoc est corpus meũ & sanguis meus. Sed quoniam omnibus affert horrorẽ quẽdam, si humanam carnẽ comedere, talemq; sanguinem bibere cogitẽt, voluit ipse Dominus carnem suam accidentibus panis, sanguinẽ verò vini accidentibus occultare: quæ sunt aliàs cibus & potus hominũ ordinarius: vtabsq; vllo horrore, magno verò nostro commodo, illũ sub specie illa, &

a 1. *Cor.* 10.3

Vmbram fugat veritas.

In Marc. 14 Matth. 26. Ioa 6. Idem Damas. inscriptus citandus

figura

figura externa cibi ordinarij sumeremus. O sublimitatē charitatis Christi, qui, vt conuiuiū adeò diuinū nobis exhiberet, accepit ex figura, quod vtile erat relinquens, quod erat noxium. Noxium est rem absentem significare: vtile verò & commodum, rem præsentem ita occultare, vt ea frui sine horrore liceat. Stupendo enim quodam modo panis figuram cum suæ carnis veritate coniungit: vt figura quidem prouocet ad sumendum; veritas verò sumptionem reddat vtilissimam. Hæ sunt amoris adinuentiones, quæ stulti mundi iudicio, stultitiæ existimantur: ignorat enim quid sit Deum suas creaturas amare, suamque omnipotentiam in huiusmodi adinuentionibus earum gratia excogitandis ostendere. Dauid (ait S. Augustinus) cùm se videret in conspectu Regis Achis, extimuit valdè; & vt se à morte liberaret, quia vitam suam charam habebat, finxit se insanū, immutando os suum, coram Rege, & (vt ipse Augustinus legit) *ferebatur in manibus suis*. quasi aggredi tentaret, quod erat impossibile; & facere, quod stultitiam præ se ferebat. At verò bonus noster Iesvs, vt nos à morte liberaret, veramque vitam nobis largiretur: præstitit reuera, quod fieri posse non videbatur: accepit enim se ipsum in manibus suis, cùm panem quem in eis habebat, in suum conuertit corpus. delirium videtur esse amantis, mordere velle quem amat: quasi tentaret eū commedere. idipsum tamē, vt Sanctus Chrysostomus ait, ingentis amoris est indicium. quos enim amamus, etiam morsu petimus, vt videamur eos velle comedere. Ideò S. Iob, ad ostendendum magnum suorū domesticorum erga se amorem, ait, consueuisse illos dicere: *quis det de carnibus eius, vt saturemur*. Quod ergo Iob nō fecit, hoc fecit dulcis noster Iesus dans nobis ipsammet carnem suam in cibum, vt illa saturemur, in signū sui ingentis erga nos amoris; & eius, quem cupit, vt nos erga ipsum habeamus, optantes eius carne saturari: vt cum Diuino eius spiritu coniungamur.

Accidentium vtilitas.

S. Augustin in Psa 33. Concio. 1. & 2. 1 Reg. 21. 13. Collabebatur inter manus eorū, & impingebat in ostia portæ, defluebātque saliua eius in barbam.

Iob. 31. 31.

Amor Christi, ipsum vertit in cibum.

Ex his argumentum aliud non minus efficax deducitur, quàm fuerint præcedentia, ad veritatem huius Diuini Sacramenti comprobandam; eosque conuincendos, qui verè Deum amant. Vbi enim est amor, non dubitatur de effectibus, quos facit amans, quando potest vt voti sui fiat compos. Cùm igitur amor, si vehemens est, cupiat si possit, eum comedere, quē amat: vt vnum & idem cum ipso fiat: quid mirum, si Christi D. amor, cuius potentia & sapientia est immensa, viam & consilium inuenerit, quo, qui ipsum amant, obtineant, quod optant? Antiqui in figura tantùm illum comedebant: quia eorum amor debilis erat: Iusti autem in lege gratiæ eundem in propria sua natura comedunt: quia eorum amor est vehemens, nec vmbris, sed veritatibus saturantur. Considera (ait S. Ambrosius) vtrum sit melius, manna, an Christi caro? illud erat è cęlo, hæc autem de supra cœlum & Domini ipsorum cœlorum. Manna erat corruptibile: at Christi corpus est incor-

Lib. de ijs. qui mysteriis initiant. 9.

incorruptibilis & qui illud, vt oporret, gustauerit, à corruptione liber erit, Illud erat vmbra, hæc est ipsa veritas. quod si vmbra adeò in admirationem rapit: quantò magis rapiet ipsa veritas, cuius illa erat vmbra?

§. 3. *Mirabilia legis Nouæ.*

Incarnatio.

SED omissis Testamenti Veteris vmbris, veniamus ad stupenda, quæ sunt in lege noua. quorum initium (vt idem S. Ambrosius expēdit) fuit cum quadam mutatione, supra omnia, quæ in ipsa natura esse consueuerunt prodigiosissima. Nam hoc ipsum Seruatoris nostri corpus, quod est in hoc Sacramento, fuit in vtero Virginis sacratissimæ efformatum: non vllius viri opera, sed virtute Spiritus S. per quam etiam in Sanctissimo hoc Sacramēto constituitur. Virgo non incredula, sed cum humilitate & prudentia Angelum interrogauit: a *quomodo fiet istud.* quod scilicet conceptura & paritura sim filium, *quoniam virum non cognosco*: & respondit ei Angelus: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Eum in modum ait S. Ioannes Damascenus: si me interoges, quomodo panis mutetur in corpus Christi, & vinum cum aqua in eius sanguinem? respōdebo tibi: Spiritus S. obumbrat, & hæc omnia facit, supra id quod dicere, possumus aut intelligere. Si b *verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorū.* Et ipsum Diuinum verbum volens fieri homo, accepit sibi ex purissimo ipsius virginis sanguine corpus, absque vllius viri opera: cur non poterit panē & vinū in suū corpus & sanguinē cōuertere? Et quēadmodum panis, quē tu comedis, vinumq; ꝙ bibis, vi naturali in corpus & sanguinē tuum conuertuntur, nec aliud corpus sit de nouo, extra illud, ꝙ priùs habebas. Ita panis & vinū virtute Spiritus S. in ipsa cōsecratione cōuertuntur supernaturaliter in ipsū corpus & sanguinē, ꝙ habet ipse Saluator: quamuis modo diuerso. De quo modo si quæras quomodo sit, esseve possit, vt vnū idemq; corpus sit in cęlo & in terra, & varijs eius partibus; totumq; integrū in hostia adeò parua, & in qualibet eius parte? ad id etiā respondebo. Spiritū S. hic etiā adumbrare, suāq; omnipotētiā ostēdere: eius. n. verbo viuū est efficax, summeq; potens. sed, vt idē S. Ioan. Damas. ait, modus est inscrutabilis. Satis itaq; tibi sit nosse: ꝙ ibi est, nō esse purā carnē, sed vnitam cum verbi æterni, & Omnipotentis Diuinitate, sicut accensus carbo est cū igne cōiūctus. Quod si ignis adeò est efficax, vt naturā aliam in suam possit transformare: quid mirum quod ignis Diuinitatis cū corpore Saluatoris vnitus, panis substantiā in ipsius corporis substantiā transmuter? nō tamē mutatis externis accidētibus, sed sub eis, pro vt libuerit, se ipsū collocando. Nā Diuinus hic ignis vrit ꝙ vult, intacto relicto, ꝙ nō vult. quēadmodū ignis ita se cū rubo cōiunxit, vt c *rubus* quidem *arderet, nō tamē cōbureretur.* Ita Diuinus hic ignis, cū panis accidētibus ita cōiungitur, vt licèt substantiā cōsumat, cui illa adhærebāt: illa tamē nō pereāt,

Ignis diuinus.

a *Luc* 1. 34.

Lib. 4. *fidei Orthodoxæ c.* 14.

b *Psal.* 32. 6.

c *Exod.* 3. 3.

sed

ſed ſeruetur. Hinc fit, vt fides myſterij Incarnationis fidē confirmet Euchariſtiæ: incōparabiliter. n. maior eſt diſtantia inter Deū infinitū & hominem finitū, quā ſit inter panē & carnē, cum vtraq; res ſit creata. Si igitur Deus primā illam coniunctionē ſua omnipotentia perfecit; & infinitus cū eſſet, non eſt dedignatus hominis naturā ſibi cōiungere, propriā eius perſonalitatem creatā impediendo, diuina verò perſonalitate eius locū ſubeundo; vt ita vnus eſſet Deus & homo: nō eſt magnū quid, quod hic Deus & homo cōiungere ſe voluerit, cum accidentibus panis, remouens inde ſubſtantiā, quæ ibi erat, & in eius locū pretioſiſſimā ſuā carnē ſupponens, vt optimo, quo poſſet, modo vnum quid fieret cum omnibus hominibus. Nam (vt S. Thomas perpendit) nō decebat Dei Maieſtatem, perſonaliter ſe vnire cum ſingulis, quemadmodū cum humanitate Chriſti ſeſe vniuit: nec eius charitas continere ſe potuit, vt ſolus vnus homo, tanto illo bono frueretur, niſi etiam ad cæteros aliquo modo deriuaretur. Ad hoc igitur cęleſtem hanc viam & cōſilium inuenit, vt De vs & homo ſub forma cibi ſe collocaret: quò ad ſingulos illi pateret aditus: & per hoc Sacramentū ſingulis ſe cōiungeret. per quā coniunctionem, cęleſtem gratiæ & charitatis ſuæ vnionem illis communicarer. Multi (ait S. Chryſoſt.) modò dicunt, vellem formam & ſpeciem eius, vellem veſtimēta ipſa, vellem calceamenta videre. ſed attende, quod ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta eius deſideras videre? ipſe verò ſe ipſum tibi tradit, non vt videas ſolùm: verùm etiam, vt tangas, vt in te habeas. Hic. n. Dominus vnicuiq; ſe vult in hoc Sacramento coniungere: nec filios, quos genuit in cruce, nutrici alteri tradit nutriēdos: ſed ipſe propria ſua carne eos nutrit. vt intelligas, hanc carnem, quam à te accepit tibi tradere, vt ea nutriaris. Quis paſtor vnquam membris ſuis oues ſuas nutriuit; multæ matres, poſt partum alijs nutricibus infantes dederunt: vt ſui pectoris lacte eos nutrirent. quod ipſe facere noluit: ſed proprio corpore nos alit & ſibi coniungit, atque conglutinat. Tanta igitur charitate atq; honore affecti, non torpeamus. Nō videtis quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt: qua preſſione papillis infigunt labia? Non igitur minore cupiditate nos quoq; ad hanc menſam, & ad huius calicis ſpiritualē accedamus papillam. imò verò maiori deſiderio, quaſi lactentes pueri gratiam ſpiritus ſugamus. Vnus ſit nobis dolor, vna mœſtitia. ſi hoc alimento ſpirituali priuemur. Hæc in ſumma S. Chryſoſtomus, qui os aureum appellari promeruit: eò quòd diuino huic pectori illud coniunxit: ex quo eloquentiam hauſit ad laudes eius, & magnalia prædicanda.

Opuſc. 58. c. 5

Amor ſapiens.

Hom. 60. ad popul. & 83. in Matth.

Altivs tamen adhuc de æiſdē magnalibꝰ ſentiebat ſupremi huiús Regis ſponſa, cū: diceret d *Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Quamuis enim his verbis ſponſa præcipuè peta-

d Cant. c. 1.

Diuini

Diuini verbi Incarnationem, qua humanæ naturæ sese cõiunxit, æternoque Patri nos reconciliauit; & amoris doctrinam, quæ præstantior est, quàm timoris, gratiasque ac dona, quæ illum comitantur, in mundum inuexit: Sed simul petit etiam Sacratissimum Eucharistiæ mysterium, qua Diuinum verbum incarnatum ori nostro coniungitur, per quod intrat ad interiora nostra: duoque vbera per vtramque speciem Sacramentalem (in quibus corpus eius, & sanguis continetur) ita nobis porrigit, vt eius gratiæ, charitatis, amabilis doctrinæ, & reliquarum gratiarum, ac donorum, quibus plena sunt, lac sugere valeamus. Et quamuis non semper nobis detur ad hęc vbera accedere, vt communicemus, eiusque lac sugamus: semper tamen licet odore, ex eis afflante, interiùs confortari. Nam vbicunque illa sint, talem diuinitatis odorem spirant, vt sola præsentia sua aspicientes confortet, ac corroboret. Id enim insinuauit Saluator noster, cùm dixit: e *vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Nam, vt S. Hieronymus ait quemadmodum aquilæ valdè procul percipiunt odorem cadaueris, quo accepto, ad illud se conferunt, vt carnibus eius alantur: Ita animæ, quæ instar sunt aquilarum, odorem sentientes corporis Seruatoris N. in cruce pro nobis morientis: quod in hoc Diuino Sacramento tanquam mortuum nobis proponitur: ad illud perniciſſimè volant, cum ingenti desiderio, vitam & nutritionem suam ex pretiosissima illa carne & sanguine sumendi.

Os & vbera SS. Sacramenti.

e *Matt. 24. 28. Communio spiritualis.*

§ 4 *Triplex Sacræ Eucharistiæ Finis.*

TRES potissimùm fines licet ex his conijcere, ob quos voluerit Christus D. N. nobiscum in sanctissimo hoc Sacramento permanere. *Primus* est, vt spirituale esset animarum nostrarum nutrimentum, lac nobis vberum suorum offerendo, cùm ipsum Sacramentum suscipitur. *Secundus* est vt esset sacrificium suauissimum, & immensæ suauitatis oblatio in suæ passionis mortisque memoriam: quemadmodum in ipsa MISSA offertur. quæ genus quoddam est vocationis & inuitationis ad sacram Communionem: Nam odor confortans donorum & auxiliorum cœlestium, quæ Deus piè assistentibus huic sacrificio largitur, eos disponit ad Sacram Communionem, vt eiusdem Sacramẽti participes fiant. Quamuis autem ad vtrumque hunc finẽ consequendum satis fuisset Christum D. N. ad breue tantùm tempus, dum scilicet consecratio, Sacrificium, & S. Communio peraguntur, nobiscum manere: at hoc non satis illi fuit, ad infinitam suam charitatem, & amorem erga nos ostendendum: sed voluit diutiùs, & quasi habitator in ipsis templis habitare, quamdiu Sacramentales species perdurarent: vt ad eius præsentiam pro remedio nostrorum malorum, & laborum consolatione accederemus; & corda nostra, orationesque in eius conspectu effunderemus; Et hic *Tertius* est finis institutionis huius Sacramenti. Quam-

1. *Cibus animæ.*

2. *Sacrificium.*

3. *Præsentia.*

uis

uis enim ex ipso cœlo nos aspiciat, audiatque: At nos ex hac terra eum non videntes, quasi valdè à nobis remotum habemus. Cùm itaque nos corporei & visibiles essemus, voluit conditioni nostræ sese accommodare, & nobiscum sub corporali, & visibili forma inter nos ipsos permanere: vt propè existétem cernere, & alloqui, cum eoq; consuetudinẽ, & familiaritatẽ habere possemus: licèt velo illo esset coopertus: Qvod si dicas ad hæc omnia satis fuisse futuram imaginem & figuram eiusdem Domini in cruce pendentis, aut in cœlo glorificati, & regnantis. Id quidem satis fuisset, si ita ipse constituere voluisset: at infinita eius charitas omnipotentiã suam adhibere voluit, vt medio alio magis glorioso, q̃ eius Diuina Sapientia adinuenerat, vteretur. maiori.n. honore decebat nos afficere in lege gratiæ, quàm in naturali aut scripta affecisset. In lege naturæ a *Melchisedech Sacerdos Dei altissimi panem & vinum obtulit*: idque in figuram (vt S. Patres interpretantur) oblationis: quam facturus erat Christus D. N. quem Dauid b *Sacerdotem æternũ secundum ordinem Melchisedech* appellat. Cùm igitur figuratũ excedere debeat figurã, quemadmodum corpus excedit vmbrã, & res ipsa ac veritas, picturam: fit, vt quemadmodum Christus Iesus Sacerdos Summus, dignitate suę personæ infinitè excedit ipsum Melchisedech: Ita etiã eius oblationis præstantia, & excellentia, debeat excedere oblationẽ illã Melchisedech ac proinde nõ debuit hæc oblatio Christi esse purus panis, & merum vinum: quia tunc nullo modo excessisset panem & vinum Melchisedech. Debuit itaque maioris excellentiæ res aliqua offerri sub illa forma & specie panis & vini.

Veritas figuram superet.

a *Gen.* 14. 18

b *Ps.* 109. 4.

In lege quoq; veteri c *per singulos dies iugiter vnus agnus mane, & pars decima similæ, & tantundẽ vini Deo offerebatur*; & singulis d *Sabbathis* siue hebdomadis, *duodecim panes, ex simila*, qui *panes propositionis* vocabantur, præter alia sacrificia animalium, quæ diuersis anni temporibus offerebantur. Idq; totũ fiebat in figura duplicis Sacrificij legis nouæ: alterius quidem cruẽti, in quo ipse Christus D. N. se ipsum in cruce obtulit; alterius verò incruenti, in quo idem Christus D. N. sese offert, in forma & specie panis & vini. Pertinet igitur ad legis gratiæ excellentiam, vt quemadmodum cruentum eius sacrificium infinitè excedebat antiqua: ita incruentum & quotidianũ multò esset illis excellẽtius, quo sub panis & vini specieb⁹, caro & sanguis ipsiusmet agni qui tollit peccata mũdi, offerretur, & sic quotidianũ hoc sacrificiũ in dignitate corresponderet, essetq; par ei, quod pro omnib⁹ fuit oblatũ in cruce.

c *Exo.* 29, 38.
d *Leu.* 24. 7.

Duplex sacrificium.

Denique cùm Christus D. N. voluerit, in Ecclesia sua esse templa, in quibus adoraretur, & cultus seruitiumque à fidelibus ei exhiberetur; necesse fuit. horum templorum gloriam multò maiorem esse, quàm templi illius antiqui fuerit. non tam quo ad gloriam temporalem, quàm spiritualem iuxta Aggei prophetiam de templo Ierosolomitano, quod tunc ædificabatur.

e *Agge.2.10* dicentis: e *magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ.* scilicet Salomonis. Id quod ad litterã impletum est, quemadmodum multi Doctores sentiunt: quando Christus D.N. in illud fuit ingressus. Sua enim præsentiã multò maiorem illi addidit honorem, quàm ante vnquam habuisset. Cùm igitur Ierosolomitanum illud templum tanto esset in honore, propter arcam Testamenti, quæ figura erat ipsiusmet Christi: æquissimum omninò fuit, vt templa nostra maiori in honore essent, in quibus altera arca noui Testamenti esset: non iam vt ipsius Christi figura, sed in qua ipsemet Christus cõtineretur, vt adoretur, & obsequium ei præstaretur. ad quem tanquam ad refugij locum, cum maiori securitate fiduciaq; accederent Christiani, quã solerent Israelitæ ad arcam illam Testamenti. Et vt semel concludam, dico cum S. Chrysostomo: *dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.* Idem. n. Dominus, qui sua præsentia honorem cœlo affert, lætificat, bonisq; replet beatos: ipsemet est nobiscum in terra cum tota potentia & grãditate sua, vt bonis suis nos repleat, & participes aliquo modo eius faciat in terra, quod in cœlo beatis communicat. Quamobrem si eius f *voluntatem cupis fieri in terra, sicut fit in cœlo,* comede quotidianum hũc panem, quẽ petere iuberis: vt illam exequaris. Si vis sicut Apostolus g *cõuersationem tuã esse in cœlis*: panem hunc supersubstantialem comede, qui te supra te ipsum extollet: vt cum Angelis, & eorum Domino consuetudinem habeas. Ac denique, si cupis animam tuam fieri cœlum: panem hunc cœlestem comede, si enim thronus eius fueris, eris etiam cœlum: incipiens statim in terra vitam illam delibare, qua speras te fruiturum in cœlo. Hæc summa est eorũ: quæ ad veritatem spectant: quam fides Catholica de altissimo, summeque venerando hoc Sacramento docet. cuius excellentias fusiùs in sequentibus capitibus ostendemus.

Christus præsens in templis nostris.

Hom. 24 in 1. ad Corint.

S. Sacramentum facit è terra cælum.

f *Mat. 6. 11*

g *Phil. 3. 20*

CAPVT II.

QVOMODO CHRISTVS D. N. IN HOC SACRAMENTO occultatus, per Fidem ac Meditationem, gustumq; & spiritualem Communionis fructum cognoscatur.

INTER Fidei nostræ mysteria, quod maximè absconditum est, nostrosque sensus fugit, est sanctissimum Altaris Sacramentum, quod ipse D. N. teste S. Augustino, in Apocalypsi a *Manna absconditum* appellauit, innuens (vt Hugo Cardinalis perpendit) antiquum illud Manna, Israelitis in deserto oblatum, quod absconditum & Arcæ Testamenti inclusum intra Sancta Sanctorum seruabatur: sed multò tamen aliter. Illius. n. b *Manna* substantia erat res valdè minuta, & *quasi seminis Co-*

a *Apoc. 2. 17* *S. Aug. Bed. Rupert. Vega ibid.*

b *Exo. 16. 31*

riandri,& ex se corruptibilis.Ideoq; vt à populo illo rudi pluris fieret ,positum fuit c *in arca* confecta *de lignis Setim* incorruptibilis, *laminisq*; ex *auro purissimo intus & foris* cooperta,super quam etiam *corona aurea, & propitiatorij* erat positum *aureũ*,& *duo Cherubin aurei ex vtraq; parte propitiatorij* erant positi.Nostri verò Manna gloria omnis, & pretiositas est abscondita & solùm operta tenuissimis quibusdam speciebus, siue accidentibus panis & vini,& quidem ex se corruptibilibus : at ipsius manna substantia infinitæ est maiestatis & granditatis:est arca viua noui Testamenti , cõpacta& fabricata ex humanitate sacratissima Seruatoris nostri , & Diuina eiusdem persona:Est arca iam glorificata, immortalis,& incorruptibilis ; exornat autẽ exteriori corporis parte,splendenti quatuor gloriæ dotiũ auro ; in interiori atuẽ parte animę multò pretiosiori auro beatitudinis supremę, & visionis claræ ipsius Dei,cæterisq; scientijs,gratijs,& admirãdis virtutibus,quas habet,estq; immensi honoris corona,ob illustrissimas,quas meritis suæ vitæ, & passionis ac mortis obtinuit,victorias coronata.& super omnia est vnita propitiatorio Diuinitatis:q̃ est ipsũ aurũ sapientiæ, & bonitatis essentialiter. Quã ob causam Christus Devs & homo est nostrum propitiatoriũ,malorum nostrorum rẽmedium;bonorum verò omnium fons & origo, gloriaq; & honor Cherubinorũ. oẽs.n.Angeli eum adorant,eiq; ministrãt:&(vt S. Greg. ait)quando hoc mysterium peragitur oẽs illi tanquam serui assistunt, & vt suum Regem stipant, parati facere quicquid iusserit.Hęc tamen omnis gloria in hoc Sacramento latet. non. n. potuissent oculi nostri in hac mortali vita tantam gloriam sine aliquo velo aspicere;nec admirandis eius finibus, commodisq; gaudere,ad quæ hoc Sacramentum dirigitur:nisi aliquo velo fuisset obuelatum. Quamuis idem Dominus viam & consilium inuenerit; quo ita illum agnoscere liceret, vt & ipso , & prędictis commodis frui possemus.Sed prius modum indicemus, quo se ipse occultat,& postea modos aperiemus,& vias,per quas deprehenditur.ad vtrumque autem cognoscendum,conijciendi sunt oculi in id, quod ipse Christus D. N.in cœna vltima, accumbens cum suis Apostolis mensæ fecit:volens enim in eorum præsentia venerandum hoc Sacramentum instituere.d *accepit panem & benedixit,ac fregit:deditq; Discipulis suis dicens:accipite & comedite : hoc est corpus meum.hoc facite in meam commemorationem.Et accipiens calicem gratias egit : & dedit illis dicens:bibite ex hoc omnes.Hic est enim sanguis meus noui Testamenti,qui pro multis effundetur,in remissionem peccatorum*:& statim adiecit:*hoc facite,quotiescunque bibetis in meam commemorationem*,apertè illis significans, potestatem se illis dare ad faciendum idem,quod ipse fecerat,eisdemque verbis,quæ ipse protulerat.

c *Exod.*25. 11.17. *Diuersa ratio vtriusque Manna.*

*Lib.*4.*Dial c.*58. *S Chrysost lib.*6.*de Sacerdotio.*

d *Mat* 26.26 *Mat.* 14.22 e *Luc.*22.19 f 1.*Cor.*11.2

§. 2. *Verba ipsa Christi operiunt & aperiunt quod hoc Sacramentum in se continet.*

EX dictis itaque incipere licet, stupendnm modum cognoscere, quo supremus noster Redemptor in Diuino hoc Sacramento se operit, & occcultat.adhibens tanquam instrumẽtum,verbum illud Sacerdotis, quod dicit super panem, videlicet, HOC EST CORPVS MEVM, & super vinum: HIC EST SANGVIS MEVS.qui principaliter est verbi ipsius Diuini sermo, de quo ait Apostolus.a *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Et hac Omnipotentia ipsi verbo exteriori inclusa,(vt S. Ambrosius ait) penetrat vsq; ad interiora panis, vbi scindit, separat, diuiditq; substantiam ab accidentibus; eam omninò destruens,& in nihilum redigens: accidentibus tamen integris relictis: sub quibus verum ipsius IESV CHRISTI corpus absconditur, concomitantibus illud etiam sanguine anima,ac diuinitate, quæ omnia sunt in illo coniuncta, & sic confectum manet Manna absconditum, vt saturitatem & refectionem, cum ineffabili dulcedine, & suauitate suis electis præbeat.

a *Heb.* 4. 12 *Epheſ.* 6.17.

Lib. 4. *de Sacram.* c. 4

1.

ET hæc est *prima* victoria, quam supremus hic noster Capitaneus obtinet, vt se in hoc Sacramento abscondat. nam vt ipsemet alia occasione dixit: b *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius pro libitu distribuet.* Erat panis & vini substãtia tanquã fortis quidam armatus multis accidentibus & qualitatibus, quas naturã illi dedit, vt sub eis se tanquam in propria domo conseruaret: Sed venit è cœlo Christus DEVS Omnipotens, qui diuini sui verbi gladio in momento eam vincit, & expropria domo eijcit, retinens sibi spolia accidentiũ, sub quibus se ipsum absconditum, cui propterea optimè competit nomen, quod Isaias illi imponit, cùm dicit: c *verè tu es Deus absconditus.* nunquam enim DEVS ita fuit absconditus, atq; est in hoc Sacramento. Valdè quidem se abscondit, cum d *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: at multò amplius se in hoc Sacramento occultauit: cũ adeò se exinaniuit, vt solis panis & vini accidẽtibus sese cõtegeret. Per incarnationẽ ingressus est mundum, abscondẽdo se in vtero vnius virginis; vt in lucẽ inde prodiens, cũ hominibus cõuersaretur: at hic in mundũ venit sub forma cibi absconditus, vt multò adhuc magis se abscõdat intra hominũ viscera; vt seorsum eũ singulis de ijs agat, quę aliàs publicè & manifestè agebat cũ omnibus. Quando se ad passionem offerebat eò vsq; peruenit (ait Isaias) vt e *eius vultus quasi absconditus esset, ac despectus* ab hominibus, *vnde nec* hominẽ *eum reputabant*, donec eius corpus absconditum fuit in sepulchro, & anima

b *Luc.* 11. 21 *Christus substantiam panis eijcit.*

Deus absconditus.

c *Isa.* 45. 15.

d *Philip.* 2. 7

e *Isa.* 53. 3.

descen-

descendit ad lymbum. At in hoc Sacramento omninò habet vultum hominis ita abscõditum, vt plurimi eum reputent merum panem: & sepelitur in obscuro quodam ventre, & nonnunquam alicuius peccatoris, qui est instar inferni. Denique tempore vitæ, passionis, ac mortis suæ, etiamsi eius diuinitas valdè esset abscondita: signis tamen externis aliquo modo sese prodebat, in grauitate, & modestia vultus; in heroicis, quæ faciebat, operibus; in patientia inuicta circa res, quas tolerabat: at in hoc Sacramento nulla sunt externa signa in accidentibus panis & vini, quæ aliud prodant eius, quod in se continet; & distinctum appareat ab eo, quod antea continebant, f *verè tu es* Deus *absconditus*, Deus *Israel Saluator*. dissipas enim aspectum nostrum inaccessibili tuæ diuinitatis luce; & rebus illis, quas in tua humanitate fuisti perpessus; & hac figura, quam nunc accipis, vt noster fias cibus. Sed omnia hæc eò dirigis, vt noster fias Saluator, salutem nobis hoc modo tribuens, & redemptionem.

f *Isai.* 45. 15.

Sed quamuis valdè se abscondat, aliquid tamen semper relinquit, quod illum prodat: benè conscius, quod, (vt ait Ecclesiasticus) g *thesaurus inuisus* nullam *vtilitatem* affert possidenti. si enim eum non nouit, non poterit eo vti in suum commodum: & quantumuis delicatus, & pretiosus sit cibus: quamdiu intra putamen, durumve corticem continetur, non potest degustari, donec aperiatur. Quare si proponatur in mensa ouum in cortice, aut malum granatum, aut nux aliqua non fracta, in quibus quod sumendum est latet: necesse est frangere, aut diuidere, vt degustari possit. Quis igitur diuinum hoc Manna absconditum nobis aperiet? nisi gladius verbi Dei, qui etiam diuisionem fecerat, vt ipse Dominus ibi absconderetur? Verbum illud omnipotens quod dicit: *Hoc est corpus meum* efficit, quod significat: & id significat, quod facit. Ideoque dum corpus Christi sub panis accidentibus abscondit, simul ostendit & manifestat, ibi non amplius esse substantiam panis, sed ipsiusmet Christi substantiam.

g *Eccl.* 20. 32.

Verba Christi præsentiã produnt.

Et hæc est *altera* valdè glorioſa victoria, quam supremus noster Capitaneus obtinet aduersus hostes huius manifestationis: quorum antesignanus est *proprium iudicium*, quod à corporis sensibus gubernatur. *Oculi* enim illi dicunt: nos colorem & figuram panis videmus; *aures*, quando frangitur, panis strepitum audimus; *odoratus & gustatus*, odorem & saporem panis percipimus & *tactus* idem confirmat dicens: omnes qualitates quas tango, sunt panis. Ex quo proprium iudicium tumens & superbum deducit: nihil ergò ibi est, nisi panis: accidentia enim indicant substantiam, cui adhærescunt. Sed contra huiusmodi hostes prodit in campum, & pugnam ipsemet Dominus, qui manna absconditũ promisit, munitus gladio, de quo S. Ioannes, quod h *de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus: vt*

2.
Christus expugnat proprium iudicium sensuum.

h *Apoc.* 19.

in ipso percutiat gentes. & in alio loco ipsemet Dominus i *pugnando* (inquit) cum hostibus meis *in gladio oris mei*: illos cõuincens ac dissipans diuino verbo meo. Quid ais ô propriũ iudiciũ, cum quinq; carnalibus tuis sensibus? in quo confidis? ais, sub illis accidentibus in hoc Sacramento manere panẽ? deciperis, & valdè erras: nam, *hoc est corpus meum.* non itaq; panis ibi est, sed corpus meũ. Ego sum fidelis, & in dictis meis verax: ego, nec decipere quẽquam, nec ipse decipi possum: sum omnipotens, vt quicquid volo faciam; nec potest quisquã infinitæ meæ potentiæ resistere. Verbum meũ, & k *sermo meus, viuus est, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti,* vt faciam *diuisionem* quãcunq; voluero, & pro libitu meo. Cùm primũ dixi: l *fiat lux, facta est lux.* cùm volui, m *ex aqua vinũ* facere, statim fuit factũ, ego congressus sum cum forti armato, cum substantia scilicet panis; eumque huius mei verbi omnipotentia ex domo sua expuli; eius spolia mihi retinens, quibus me contegerem: Quod iam vides, quod olfacis, quod gustas, & tangis, spolia sunt panis: intus aũt non panis latet, sed corpus meum. Si corporis tui oculi nõ *caligant* sicut *Isaac, tangensq; manus Iacob pilosas, dicis: manus esse Esau.* Audi verbũ quod loquitur, & vocem in auribus tuis sonantem, & mox te ipsum corriges, dicesque, etsi *manus sint Esau, vocem tamen esse Iacob.* Attende, diuinum hoc Manna, absconditum esse aspectui, & reliquis corporis sensibus: à quibus si permittas te duci, dices esse manus, esse instrumenta, & accidẽtia solius panis; sed adhibe non solùm corporis, sed animæ quoque aures, verba quæ ego loquar, & quæ fides ipsa te docet: & intelliges, pilosas has manus alterius esse, quam primo intuitu videatur. pellis quidem panis est: sed sub ea latet verus Iacob, luctator omnipotens, qui in conflictu & lucta legitima panem ipsum vicit, armaq; eius ac spolia retinuit, quibus se cooperiret. Hac igitur ratione Christus D. N. verbis in Euangelio Ecclesiæ suæ reuelatis aperit & manifestat, quod sub cibi huius visibilis cortice latet. Eisdem aũt verbis (vt S. Chrysost. ait) vincendum tibi est, & mortificandum iudiciũ tuũ proprium, & naturalis ex sensibus deductus discursus: quia proprium iudiciũ passim, & multis in rebus decipitur: ideoq; meritò captiuandum in obsequiũ Fidei; & abnegandũ, ac reijciendũ in ijs, quæ sentit, ac iudicat: vt sic admittas, & credas, q̃ ipsa fides te docet, & Ecclesia sancta credendũ proponit. Cogita, supremum hunc ducem, cùm ad hoc Sacrãmẽtum venit, hæc tibi in suo ingressu dicere: o *non veni pacem mittere; sed gladium, sed separationem.* venio enim ad faciẽdam duplicem separationem, vtramq; omnipotentiæ meæ propriã; *alteram* in pane, dissoluens vnitionem; quam eius substantia cum accidentibus habebat; *alteram* in humano intellectu, coniunctionem illã dissoluens, q̃ habuit cum suis sensibus vt ab eis recedat, credatq; quod illi non assequũntur; & sese subijciat dedatq; ijs, q̃ ego dico.

i *Apoc.* 2. 16.

Pugna verbi Dei cum sensibus.

k *Heb.* 4. 12

l *Gene.* 1. 3.

m *Ioã.* 2. 9.

n *Gen.* 27. 1.

Christus Iacob tectus.

Homil. 83. *in Matth.* & 60. *ad populum.*

Iudicium proprium sæpe fallitur.

o *Matth.* 10. 34. *Luc.* 12. 51.

Duplex separatio.

SED quamuis Dei verbum, quod fides nobis proponit, vere sit gladius ad prædictam separationem, & manifestationem faciendam: necesse tamen est huius gladij aciem de nouo exacuere, vt exteriori, quam sensus percipiunt, specie & facie superata, progressus fiat ad id, quod interius est, & illis absconditum, aspiciendo illud mentis oculis cum magna viuacitate ac certitudine, quæ præcipuè oritur ab *illustratione spiritus diuini*, cuius lux fidem ipsam illustrat, omnesque eius dubitationes explanat, multoque magis certam eam reddit, ac securam in eo, quod credit; quàm si oculis ipsis illud videret. agens sicut alter p *Moyses cũ inuisibili*, atque si eum clarè *videret*. Hac insigni illustratione adeò mirabiliter CHRISTVS Seruator noster in nocte vltimæ cœnæ intellectum rudium illorum piscatorum in momento illustrauit: vt statim, atque verbum sui Magistri audiuerunt. *Hoc est corpus meum*: sese dederint, & certissimè, ac firmissimè crediderint, eundem ipsum Dominum, quem visibiliter ad ipsos loquentem audiebant, absconditum esse, & inuisibiliter latere, sub illis accidentibus panis, quæ in suis manibus habebat. tantamque reuerentiam, & æstimationem conceperunt, vt nullus eorum auderet accipere & comedere; nisi ipsemet Dominus & Saluator id iussisset, & ad faciendum animasset. Hæc illustratio singulare est spiritus S. donum. & quoniam est eius verbum internum, est etiam gladius biceps; qui stupendas facit diuisiones, & arcana admiranda reuelat; vincens quascunq; difficultates. Sed licèt Spiritus diuinus eam cõmunicet, quando, & quomodo, & quibus vult: refert tamen plurimùm ad eam suscipiendam, meditationi studere, vt fidem ipsam extimulet, & illustret, penetrando ampliùs, quod ipsa de hoc Sacramento reuelat. Meditationis enim munus, ait S. Bernar. esse, res occultas manifestare, scrutari abscondita, clausos libros aperire, & secretissima arcana penetrare; accedente illustratione cœlesti, quæ eius conatus foueat. Et hac ratione agnoscit absconditum illud manna, & quod sub albo illo velo occlusum continetur, vt in subijciendis considerationibus paulatim proponemus.

3.

Illustratione S. Spiritus fides augetur.

p *Heb.* 11. 27

Meditatio excitat.

Libr. 1. de Considerat.

§. 2. *Ex delectationibus & fructibus, quos sentiunt, qui Sacramentum ipsum suscipiunt, veritatem eius manifestari.*

QVAMVIS multùm proficiat Meditatio in magnalium huius Sacramenti cognitione, adhuc tamen Manna manet absconditũ. Est enim idem ipse Dominus, qui illud promisit futurum, & præmonuit; cùm dixit: a *neminem illud scire, nisi qui accipit*. omnis enim cognitio, quæ ratiocinationibus, & meditationibus innititur, exigua est, si cum ea conferatur, quæ ex gustu & experientia donorum obtinetur, quæ ipsum Sacramentum cõmunicat, cùm suscipitur. Quod intelligemus ex eo, q̃ accidit Hebræis cũ suo Manna. Nam initio erat illis res abscondita & occulta: veneruntautem

a *Apoc.* 2. 17.

in eius

Manna auditu & gustu detectum.

in eius cognitionem, primùm ex *auditu*, deindè ex *gastatu*. cùm enim rem valdè minutam, tanquam semen album in campo viderẽt, nec scirent, quid esset: dixerunt ad inuicem b *Manhu: quid est hoc?* vnde res ista huc venit, & quorsum nobis datur? ad quam quæstionem, ex ignoratione ortã, respondit Moyses: *iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendũ*. Est enim c *panis cœli, & panis Angelorum*, dulcedine, & suauitate plenus: quo Moysis testimonio, quod aure acceperunt, magnam de Manna cognitionem & opinionem conceperunt: non tamen omnino nouerant, quid esset; donec illud colligentes, & pinsentes comederent: & ipso gustatu admirandam eius dulcedinem, & saporum varietatem experirentur. Nam cùm vnicus tantùm esset cibus, carnes sapiebat, pisces, & fructus, d *deseruiens vniuscuiusque* iustorum *voluntati*. & excellẽtem adeò nouitatem sibi inauditam, & incogitatam admirati, dixerunt: *Manhu!* quid est hoc, quod percipimus? O quá est dulcis & suauis panis hic cœlestis, quem DEVS nobis ad nutrimentum, deliciasq; nostras dedit! Hunc in modum sensim manifestatur Manna hoc sanctissimum, quod in hoc Sacramento latet: quod adeò est occultum aspectui nostro, vt ipse solus nihil aliud præstet, (vt suprà est dictum) quàm dubitationes excitare, & mille quæstiones mouere dicens; *quid est hoc*, quod exteriùs video? nam quicquid video, res est minuta; & nihil nisi panis videtur: si autem aliquid latet, quid illud est? vnde venit? quorsum nobis datur? ad quas ignorantiæ quæstiones, respõdet Fides per auditum ingressa: e *hic est panis, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo*; panis viuus, in quo est ipsamet vita, quæ ab æterna morte præseruat. Sed postquam fides hoc dixit, & quicquid per auditũ excipimus, adhuc exigua est cognitio ac breuis: nisi accedat gustatus, qui ipsum Manna comedat. delibata enim eius dulcedo, & mirabilium, quæ illa operatur, experientia, ineffabilem & stupendam eius excellentiam manifestat. Queadmodum nullus (ait S. Basilius) mellis dulcedinem in mensa propositi satis cognoscere poterit, etiãsi plurima de eo audiat: donec particulam eius aliquam delibet. Sic etiam diuini huius Manna suauitatem nemo satis cognoscet: nisi eam experiatur, & gustet. Et propterea Christus D. N. in ipsa nocte cœnæ, cùm hoc Sacramentum instituit, non satis esse existimauit verbo dicere: f *hoc est corpus meum*: sed etiam præmisit: *accipite & comedite*. quasi illis diceret: cibus hic cœlestis nõ proponitur, vt aspiciatis tantùm; aut etiam adoretis: sed etiam vt illum sumatis, & comedatis: & ex affectibus, quos in animabus vestris efficiet; & sapore, quem vobis impertiet, agnoscetis immensam eius dulcedinem, diuinitatem, & omnipotentiam, quam continet. Cumque Apostoli, quod Magister obtulit, comedissent, tantum in seipsis sensum ex panis illius viui præsentia senserunt: quia tanquam viuens in eorum cordibus

Manna auditu & gustu detectum.
b *Exo.16.15.*
c *Psal.77. 25.*
d *Sapi.16 21*
Auditu creditur.
e *Ioan.6. 33.52.*
Gustatu experimur.
Cassian Coll.a.21.c.12.
f *Matt.26. 26.*

feruc-

feruebat;& ſtupefacti dixerint: quid eſt hoc? quis hic ſapor? quæ dulcedo, quæ efficacitas, quis hic feruor, quem intra nos ipſos experimur? Nulla lingua id ſufficit declarare; nec vllus intellectus aſſequi, & cõprehendere. O ſi te magno feruore ad Cõmunionẽ præparares: vt DEVS delibandam tibi huius Manna abſconditi ſuauitatẽ & ſublimitatẽ percipere faceret! Abſcõditum (inquit Richard.) appellatur hoc Manna, eò quòd filijs huius ſeculi, tepidisq; verè ſit occultũ: non verò filijs Dei & feruentibus. Abſcõditum eſt ipſi carni, quæ illud non degnſtat; ſed non ſpiritui, qui delibat, eoq; recreatur. huic enim iam eſt aliquo modo manifeſtum; quamuis adeò ſit inſolitum, quod ſentit; vt rei nouitate admiratus dicat: quid hoc eſt, quod intra me ſentio? quis cogitaſſet tantam Deum dulcedinem in hoc Sacramẽto poſuiſſe? g *O quàm magna eſt* (ait Dauid) *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te*! Verè, ait S. Bernardus, ob Dei obſequium, non conſolationes amittimus, ſed commutamus: carnis ſcil. ſolatia, pro ſolatijs ſpiritus; dum Manna quidem dulciſſimum; ſed carni abſconditum accipimus: non enim percipitur, niſi in ſecreto cordis tentationum igne purificati, poſtquam victoriam de eis reportauit. HÆ ſunt in genere duæ viæ, ad cognoſcendam huius diuini Sacramenti præſtantiam: de quibus magis in particulari in ſequentibus Capitibus diſſeremus.

Lib. de præparat. ad Cõtempl. c. 30 Manna abſconditum.

g *Pſal. 30. 20. Lib de Conuerſ. ad Cleric. 1. 21.*

CAPVT III.

PONVNTVR SEPTEM CONSIDERATIONES RERVM omnium, quæ in ſanctiſſimo Altaris Sacramento continentur.

QVONIAM *prima* via ad perfectam diuini huius Sacramenti notitiam, & æſtimationem, eſt Meditatio, & Contemplatio rerũ, quę in eo latent, ad eum modum, quo fides Catholica eas reuelat, operę pretiũ erit, ab ijs inchoare, quæ per meditationẽ haberi poſſunt. Illa ſiquidem eſt, quaſi *explorator* quidam, qui communicaturos præcedit, ad explorandum, quid in hac promiſſionis cœleſtis terra inueniatur; & aliquid de eis fructibus per communionem, quam ſpiritualẽ dicimus, adferendum. Quæ Communio ſpiritualis famem in nobis irritat, ingensq; deſiderium excitat ad magis adhuc interiora ingrediendi, & Sacramentalem ipſam ſuſcipiendi; vt fructus eius dulciſſimos plenè deguſtemus. Ita, vt ſtatim poſt Communionem, dicere liceat Meditationi, quod Samaritæ, poſtquã cum Chriſto ſunt loquuti, mulieri Samaritanę dixerunt, a *iam non propter* ſolam *tuam loquelam* magnalia huius Domini *credimus*: ſed etiã propter experientiam, quam in nobis ſentimus, *credimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Saluator mundi*. Ex quo fit vt ipſa meditatio, plurimum iuuet animę præparationem ad cõmunionem Sacram, fructusq; ex ea colligendos. Nam etiam in ea ignis accenditur affectuum, vt ipſe cibus ſit vtilis ſuſcipienti &

Meditatio explorat.

a *Ioan. 4. 42*

postea etiam adiuuat, ad agendas gratias, ob acceptos fauores & beneficia. Propter omnes hos fines subijciemus hic septem Meditationes ex quibus hauriatur omnium magnalium, quæ in diuino hoc Sacramento continentur, plenior cognitio. eruntque tanquam fundamentum eorum, quæ de ipso ad nostrum institutum dici poterunt.

Consideratio prima generalis de rebus omnibus, quæ in Sacra hostia & calice continentur.

Pro die Dominico. Punctum. 1.

PRIMVM oculos fidei conijce in *quinque* res, quę sub accidentibus panis & vini cõtinentur: quæ veluti summa quædã, siue capita sunt omnium quæ in hoc diuino Sacramento inueniuntur: CORPVS scil. IESV Christi D. N. pretiosus eius SANGVIS, ANIMA sanctissima, MERITA eiusd em infinita & satisfactiones, ipsa deniq; æterni verbi PERSONA cum tota sua DIVINITATE, in quibus rebus apparet infinita huius Domini charitas, & profusio. Nam suprema alicuius hominis charitas, & liberalitas in eò maximè eminet, q*u*m*m*ũ tribuat quod potest, & habet, idq; cum amore adeò perfecto, vt totum illud, *parum* illi esse videatur; aut ita illud, quasi *nihil* esset, occultet. non enim ob inanẽ ostentationẽ, sed ex puro, & mero amore illud largitur: iuxtà illud quod dicitur in Canticis: a *si dederit homo omnẽ substantiã domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicit eam.* O homo plusquã homo Christe IESV, Deus & homo verè! quam accõmodatè infinitam tuam charitatẽ nobis in hoc Sacramento manifestas! totam domûs tuæ substantiã, nihil eius excipiendo, nobis tribuens! Hic enim tuam ipsam *domũ*, tuum scil. corpus Sacratissimũ nobis tribuis; *substantiã* quoq; qua domus illa alitur, pretiosum scil. tuum sanguinẽ; *habitatorẽ* eius, sanctissimam animam tuam, ac diuinam tuam personam; *supellectilem*, qua illa exornatur; thesaurum, qui illam ditat, tuas scil. virtutes & merita infinita. Et cum donum hoc reuera sit infinitum: ita tamen illud occultas, vt parum aut nihil tibi esse videatur; siquidem illud inuoluis, ac tegis accidentibus vnius boli panis, & vnius sorbitiunculæ vini: vt sic appareat te omnia ex amore, & ad infinitam tuam charitatem fidelibus tuis manifestandam effundere. Laudet te ô Domine ipsamet Charitas tua; & ob tale donum glorificet illa siquidem sola hoc plenè facere potest. Sed quid meritò pro tanto dono offerre ego potero? en totam substantiam domûs meæ, corpus, sanguinem, animam & totum meipsum, cum omnibus meis fortunis, libertate; & omnibus, quæ vel nunc habeo, vel habere possum, tibi offero. Quod totum exiguum valdè & quasi nihil est comparatione eius, quod tu mihi largiris, & quod ego offerre tibi cuperem: siquidem si plurima alia haberẽ, omnia simul offerrem. Ex nunc Domine cum Sponsa dicere statuo: b *dilectus meus* totus *mihi*, & *ego* tota *illi*, ille enim totum se in meum tradit nutrimentum: & ego me totam

Summa liberalitas.

a *Cant.* 8. 7.

eius

eius consecro seruitio. & cùm ipse nihil eorum, quæ habebat sibi retinuerit, sed totum se dederit: nihil ego eorum, quæ habeo, retinebo mihi: sed quidquid illud est, ipsi ex nunc trado. b Cant. 2. 16

Punctum. 2.

SED vlteriùs progreditur charitas, & liberalitas Saluatoris in his donis, & modo ea largiendi. multò enim plura largitus est, quàm promiserit; & quàm ad necessitates nostras reparandas erat necessariũ. Promiserat quidẽ ipse, daturum se nobis, c *carnem suã & sanguinem: vt non moreremur, sed viuceremus in æternum.* ad quod sufficisset, si carnis suæ particulam, qualis illa fuit in eius circumcisione abscissa; & sanguinis sui guttam aliquam, qualis illic fuit effusa nobis reliquisset. Nam, cùm istę partes infiniti essent valoris, quia caro & sanguis erant Dei, satis erant pro nostro remedio: sed quemadmodum infinita eius charitas non se ijs continuit, quæ fecit in circumcisione: sed voluit vlteriùs totam suam carnẽ in passione vulnerari, & cruciari, totumq; sanguinẽ effundi, vt eius redemptio esset copiosissima: ita etiam vult totam suam carnem, totumq; sanguinem ad nutrimentũ nostrũ nobis dare: ad maiora ostendenda indicia amoris, ac desiderij, quo tenetur, vtilitatis & commodi nostri. Et similiter: quamuis ad veritatem verborum Consecrationis satis fuisset, nobis dare in Sacra hostia solum corpus, & in sacro calice solum sanguinẽ: voluit tamen, vt cum ipso corpore sanguis quoque, & anima cõiungeretur; & similiter cum sangnine anima, & ipsum corpus? & omnia simul cũ ipsa diuinitate coniũgi: ita vt quicquid ipse habet, cõiungatur cum omnib⁹ quę nos habemus⁹; eaq; sanctificet ac perficiat, hac ratione nos obligans, vt sancti sim⁹ in corpore, & in anima; in carne, & in spiritu: & vt liberaliter illi offeramus, non solùm ꝙ iubet offerri; sed etiã quod vel tantum consulit. O DEVS liberalissime, cuius liberalitas nostram omninò obscurat: eò quòd tanta tua liberalitate, adeò nos tibi reddas debitores, vt quicquid pro gratiarũ actione offerre possumus, quasi nihil esse videatur! Quid. n. dare tibi possumus quod tuũ non sit? & quid offerre, ꝙ non ex obligatione debeamus? accipe Domine, ꝙ mihi dedisti, adeò .n. liberali & generosa voluntate illud offero, vt quamuis totum fuisset meũ, nec tibi tot nominibus debitum, liberalissimè tibi obtulissem: vt ita tibi obsequi & placere possem.

c Ioan. 1. 53.

Totam carnem & sanguinem vtrobique donat

Punctum. 3 Sub parua specie magnus latet Deus.

SED multò adhuc ampliùs admirationẽ mouet, ac recreat ipsa diuinæ sapiẽtię adinuentio, ad hanc suã liberalitatẽ erga nos pleniùs explendã. Quis enim sciuisset, aut facere potuisset: vt perfecti alicuius viri corpus, res adeò parua caperet, qualis est hostiæ particula? & vt totus ei⁹ corporis sanguis in vna gutta vini cõsecrati contineretur, d *durus est sermo iste,* (dicebãt aliqui ex ei⁹ Discipulis proterui) *& quis potest eum audire?* sed omnipotens noster DEVS, cuius viscera ob magnitudinem suæ misericordiæ sunt tenerrima, nouit ita pinsere, suumq; corp⁹ & sanguinẽ cõprimere: vt mininima particula totũ

d Ioan. 6. 63.

Isai. 30. 20 f

caperet; eitq; cibus, & potus non tam arctus dabit (inquit Isaias) vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. & quis panis magis arctus, q̃ qui in vno bolo integri hominis corpus cõtinet: & quis hauſtꝰ magis breuis, quã q̃ in vna gutta totũ hominis ſanguinẽ includit? O DEVS liberaliſſime: qui f *menſuram bonam, & confertã, & coagitatã, & ſupereffluentem*, daturũ te nobis p̃miſiſti; & quid aliud eſt diuinũ hoc Sacramẽtũ, quã menſura quędã huic ſimilis? menſura. n. eſt

Luc. 6. 38

g Zac. 9. 17.

bona. quia cõplectitur, quod eſt g *bonũ & pulchrũ Deus*: eſt *plena*; quia virtutes oẽs, & merita IESV Chriſti continet; eſt *coagitata*: quia omnia redigit ad paruum & breuẽ bolum; eſt *ſupereffluens*: quia plus dat, quã ad reparationem noſtrã ſit neceſſariũ: adeoq; copioſè, vt q̃ ſupereſt, ſit infinitũ. Filios Iſrael iuſſeras olim, certã menſuram ſingulos ex Manna colligere: & vnuſquiſq; in ea menſura habebat, quo ſe aleret ſufficienter: ita, vt h *nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id, quod edere poterant, cõgregauerunt*. Sed quid illi menſurę ad hãc, in qua datur verũ Mãna infinitæ dulcedinis & excellentię ita cõpreſſum & coagitatum, vt tantum in exigua parte Sacramenti accipiatur, quãtum in magna? quamcunq; partẽ reuerenter ſuſcipiẽti dederis; tribuis illi ingentis magnitudinis menſurã: *bonã* ob gratiã, quã cõmunicas: *plenã*, ob augmẽtum omnium virtutum; *coagitatã* ob firmitatẽ, quã ſimul concedis; & *ſupereffluentem*, ob ea, q̃ addis ex liberalitate, tribuẽs illi etiã illuſtrationes tuas, & conſolationes ſpirituales: idq; interdum in tãta abundantia, vt feruor interior nõ potẽs ſe intra cor ipſum cõtinere, ſupefluat, cum magnis iubilis & lętitię ſaltibus. O ſi mihi daretur, ita me ad te ſuſcipiẽdum pręparare, cum mẽſura quadã ſanctis cogitationibꝰ *referta*; multis mortificationibꝰ *coagitata*, & feruentibus affectibꝰ *ſupereffluente*: vt bonis frui poſsẽ, quæ in S. hoc Sacramento largiris? ſiquidem tu dixiſti: i

Menſura bona.

i Luc. 6. 38.

qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, tantam ſcil. gratiæ menſuram nos accepturos, quanta fuerit menſura noſtrę diſpoſitionis ad eã ſuſcipiendãm.

Bis ſe Deus largitur in SS. Sacramento. Imo ſæpius.

DENIQVE elucet infinita Dei liberalitas in eo quod bis eãdem rem in hoc Sacramento largiatur. Quicquid enim dedit in Sacra hoſtia, idem dat etiam in calice, ſi & is eſt ſuſcipiendus. nam carnem, quę propriè non eſt niſi cibus ita parat, conditque in calice, vt cum ipſo ſanguine ſit potus: & ſanguis in ipſa hoſtia ſit cum ipſo corpore cibus: hos enim modos, & vias hic Dominus adinuenit, vt ſuis electis magis indulgeret. ſanguine ipſo ſuo ratificans, & confirmans bonum, quod facit in illorum gratiam.

Conſideratio ſecunda, De glorioſo Chriſti D. N. Corpore.

1. Punctum

PRIMVM agnoſcendum eſt, & aſpiciendum in Sanctiſſimo hoc Sacramento glorioſiſſimum D. N. *corpus*, cum ea integritate, pulchritudine, & maieſtate, quam habet in cœlo empyreo, *quatuor* gloriæ dotibus exornatum: quas in die ſuæ Reſurrectionis induit. Nam ibi eſt immortale, & *impaſſi-*

bile

bile sole ipso millies *splendidius*, cũ *agilitate*, & *subtilitate*, siue spiritualitate, q iuxta gloriosum ipsius statũ illi cõuenit: & cum tanta in singulis suis partibus pulchritudine & elegantia, vt omniũ ipsum aspicientiũ animos & affectus ad se rapiat. Ibi enim existẽti competunt admirandæ illę proprietates, quas eius sponsa in libro Canticorum refert, dicens: a *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimũ, Comæ eius sicut elatæ palmarum. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarũ, quæ lacte sunt lotæ. Labia eius distillãtia myrrhã primã. Manus illi⁹ tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus Saphyris. Crura illius colũnæ marmoreæ, quæ fũdatæ sũt super bases aureas, species eius vt Libani, electus vt Cedri. Guttur illius suauissimũ, & totus desiderabilis*, digniſſimusque qui ab omnibus hominibus ametur. Cùm igitur, vt ipse Dominus dixit: *b* vbi est corpus, illuc congregãtur & aquilæ: accipe tu alas, & oculos aquilę, vt spiritu appropies ad Saluatoris tui corpus sanctissimũ; penetra illud velũ, quo tegitur: & intuère quasi nõ velatum c *cõtemplans* (vt ait Apost) *reuelata facie gloriam* huius *Domini*: vt amore *transformeris in eandem eius imaginem*. Cogita ipsũ post suã resurrectionẽ te velle visitare, vt confirmet in te dona, quæ in spirituali tua per Sacramentum pœnitentiæ resurrectione tibi dedit: & virtutes communicet, quas eius gloriæ dotes tepresentant; *immortalitatem* sc. cum perseuerentia in eius amicitia: ne morte culpæ aliquãdo moriaris; *impassibilitatẽ* q̃: heroica patiẽtia: ne tribulationũ causa deficias; *claritatem* cũ Fide viua: vt ei⁹ diuina mysteria cognoscas, *agilitatem* cũ obedientię prõptitudine, ad omnia ei⁹ præcepta exequẽda; & *subtilitatem* cũ abrenunciatione rerũ omnium carnalium & terrenarum: vt solùm spirituales ac Diuinas ames, & amplectaris. O corpus sacratissimi mei Saluatoris! siquidem vis cum meo cõiungi: transforma me in istam gloriæ tuæ imaginem; easque proprietates mihi largire, quæ in tuo eluxerunt. O Saluator pulcherrime! fac me tua præsentia *album* per gratiam; *rubicundum* per charitatem; *electum* ex millibus, per feruorem spiritus inter multos; sit *caput* meum tanquam aurum; vt cœlestem tuam imiter sapientiam; *comæ* meæ sint sicut elatæ palmarum, vt cęlestes semper habeã cogitationes; *oculi* mei sint sicut *colũbæ*, ob intentionis simplicitatem; *labia* mea sicut *lilia*, vt semper sancta verba loquar, *manus* meæ *tornatiles*, plenæque *hyacinthis*, vt opera semper cęlestia præstem; sit *venter* meus eburneus cũ *Saphyris*, vt plenus sim effectibus firmis, feruentibus, ac diuinis; sint & *crura* mea sicut *columnæ* marmoreæ, fundatæ super *bases aureas*, vt constans & firmus sim semper in ijs, quæ ad tuum obsequium spectant; nec propter rem vllam creatam flecti me patiar; sed gratiæ Creatoris firmiter innitar; *species* mea sicut mons sit *Libani*, modestia & grauitatẽ in moribus semp ostendens: tuos semper in omnibus, & per omnia imitando; vt nihil in me sit q̃ à te non possit amari.

Mox magis in particulari signa aspicies *quinque* vulnerum, quæ in sacra-

Corpus Christi glorioſum.

a *Cant. 5. 1.*

b *Matt. 24. 28*

c *2. Cor. 3. 18*

Dotes animæ.

Species animæ.

2. Punctum

Quinque vulnera Christi.

tissimo suo corpore retinet, in pedibus, manibus, & latere: tãquam quinq; immensi splendoris soles: quę pulchritudinẽ eius vehementer adaugent, & tanquã quinq; d *fontes Saluatoris*, ex quibus, vt olim copiosissimus fluxit sanguis: ita nũc *aquæ* fluũt viuæ gratiarũ cęlesti[u], quæ cum *gaudio hauriuntur* ex diuino hoc Sacramẽto. Quæ e *vulnera* cũ eadẽ ipsa sint, quæ Apostoli in cœnaculo existentes, in die Resurrectionis tetigerunt & palparunt, quo tactu repleti sunt magno f *gaudio*; & S. Thomas, cũ eadẽ tetigit, adeò fuit mutãtus & illustrat⁹; vt exclamãs dixerit. *Dominus meus & Deus meus*: accede tu quoq, eaq; spiritu tãge: &, dũ cõmunicas, cogita, te labijs tuis tãgere, & exosculari, quãuis velo illo tecta; aut te accedere ad vulnus lateris, vt viuã aquæ gratiã, & pretiosissimũ charitatis liquorem haurias. q⁹ si viua Fide feceris, & gaudio repleberis; & adeò mutaberis, vt cum S. Thoma dicas: vere hic est *Dominus meus & Deus meus*! gloria mea & beatitudo mea! & vnde tantum mihi bonũ, Domine, & tãtus honor, vt vulnera tua ego contingã, & te ipsum accipiens ad viscera mea transmittam? O fontes mei Saluatoris, distillate in me viuam aquæ gratiam, quę sitim meam, qua illam appeto, exsatiet. O corpus sacratissimum tanquam signaculum vulneribus hisce cœlatum, g *pone te vt signaculum* super cor meum, virtutes illi imprimens, quas tuis vulneribus comparasti. Obsigna *pedes* meos, vt bonis semper gressibus incedam; obsigna *manus* vt bona semper opera exerceant obsigna & *latus* vt bonos semper affectus amoris tui causa proferat in æternum.

a *Isa.* 12. 3.

b *Luc.* 24. 30

c *Ioa.* 20. 28.

g *Cant* 8. 6.

Punctum 3.

EODEM modo inspicere poteris in capite glorioſissimi huius corporis, signa & vestigia *coronæ* spinarum, quæ illud pupugerunt; & coronæ figuram constituunt, tanquam *septuaginta duarum* stellarum immensi splendoris: tot enim foramina, seu vulnera spinæ illæ inflixerunt. Aspicies etiam in eius sacratissimo dorso *flagellorum* signa, quæ tanquam plumarium opus pulcherrimum vestẽ pretiosissimã gloriæ & Maiestatis eius exornãt. Et quando ad ipsam Cõmunionem sacrã accedis: cogita, dicit tibi ab Angelis illud Canticorum: h *egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit illũ mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* O anima mea, si vera es filia Sion, cupiẽs sponsi cęlestis gloriã cõtemplari: intuere hic verũ Salomonẽ, regẽ pacificũ, & mundi pacificatorẽ, sub illa cortina & velo latẽtẽ: & videbis immẽsę glorię corona coronatũ, q̃ ignominię corona promerit⁹ fuit, sibiq; cõparauit. Hãc ignominiæ coronã illi tradidit mater eius synagoga in prętorio Pilati: qua in crucis thalamo cũ summis corporis cruciatib⁹, sed summo tñ superioris partis animæ gaudio Ecclesiã sibi despõsauit. At gloriæ coronam, quam nunc gestat, tradidit illi tanquam mater ipsa Diuinitas. voluit enim ętternus Pater, dilecti sui filij labores, & perpessiones ea corona remunerare, iuxta illud Apostoli: i *videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatũ.* Egredere itaq; vt fide viua in hoc Sacramẽto

Flagra.

h *Cant.* 3. 11.

Corona.

Corona gloria.

i *Hebr.* 2. 9.

videas, exteriùs quidem figurã eius passionis, & mortis, quę ibi proponitur; interiùs autem coronam gloriæ, quam eadem passione est promeritus. Cogita diuinum spiritum tibi dicere: k *Ecce homo*, qui hic est absconditus, exteriùs quidẽ ita eius figura obscurata, vt nõ videatur esse homo, sed panis; interiùs tamẽ adeò glorioſus vt sit plus quã homo: quia est etiam verus Deus. & cùm ita eũ aspexeris, suscipe intra te amanter, vt te transformet in se. Denique idem Saluatoris tui corpus aspice, licèt adeò arctatum, nihil tamen de mole & integritate sua amittere: quia infinita sua sapientia & omnipotentia nouit ac potuit ita illud accommodare: vt totum & integrum in tota sit hostia, & in singulis eius partibus; tantumque in vnaquaque suscipiatur, quantum in reliquis, quemadmodum supra ostendimus.

k *Ioan.* 19.

Ecce homo.

Forma minuitur plus quam Homo.

Consideratio tertia de pretioso Christi D. N. Sanguine.

Pro Feria tertia.

Primvm Intuere oculis fidei pretiosissimum Iesu Christi D. N. *sanguinem*, tam in sacra hostia, quàm in calice: licèt intersit, quod in sacra hostia sanguis comitatur corpus, adimplens eius venas: in calice autem corpus comitatur sanguinem, præbens illi venarum vasa, in quibus cõtinetur: quia nõ separat se ab illis. Sed quoniam in ipsa Christi passione fuit à corpore separatus, quia in remissionem peccatorum nostrorum fuit effusus, cõsecratur seorsim ab ipsa hostia. Et quoniam in Resurrectione corpori fuit iterùm coniunctus in eius venis, ideò nunc & in calice est & in hostia, ad ꝙ significandum ponit Ecclesia in ipso Missæ sacrificio Sacræ hostiæ particulam in ipsum calicem. Credendum itaque est, pretiosum hunc Christi D. a *sanguinem* clamare ibi pro te ad *Patrem* æternum, *& melius loqui*, (vt Apost. ait) *quã* sanguis *Abel*. nõ. n. pro eo, qui mortuus est, vltionẽ petit; sed effectus Passionis ac Resurrectionis eius, qui illũ effudit, & iterum secũ coniunxit. Petit itaq; pro te peccatorum veniã, conscientiæ puritatẽ, resurrectionẽ ad nouam vitã, vnionẽ carnis cũ spiritu, ac spiritꝰ deniq; vnitionẽ cũ ipso Deo, per feruentẽ & inflãmatã charitatem. Imò ad *te* etiã clamat, petitq diligens in his rebus omnibus procurandi studium: ita vt & vitã ipsam, & sanguinẽ tuũ, si opus fuerit, offeras, vt peccato resistas, crucem portes, eiq; affligaris: & vt moriaris mundo, soliq́ue Deo viuas. quamobrẽ addit idem Apostolus: *videte ne recusetis*, aut repellatis *loquentem*, ne scilicet his vocibus obsurdescas, quibus Christi sanguis inde ad te clamat: siquidem in tuam vtilitatem diriguntur. Tecum, ait S. Gregorius, loquitur Saluatoris illa petitio, quam per os afflicti Iob protulit, dicens: b *terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.* ostẽde sc. in te ipso sanguinis huius virtutem, & clamoris eius effectus; ne in Sacramento latentẽ relinquas, sed sume illum, vt appareant in te ingentia illa bona, quæ tibi est promeritus.

Punctum. 1.

a *Heb.* 12. 24

Sanguis Christi clamat ad Deum & Homines.

Lib. 13. *Moral. c.* 18.

b *Iob.* 16. 19.

Cvm hoc igitur spiritu cogita accedere te ad Iesu Christi sanguinem,

Punctum. 2.

qui

Agonia in horto.

qui & in hostia & in calice manet, sumendum, ad eos fructus percipiendos, ob quos in horto Gethsemani, in prætorio Pilati, & in monte Caluario fuit effusus. Expende itaq; primũ, eundẽ Dominũ in horto spontè se se summo dolore affligẽtem, pretiosum sanguinem ob nostra peccata tanquam sudorem per poros faciei suæ ac totius corporis manantem, vsq; ad terram effudisse: quem eundem sanguinem tibi offert in ipso Sacramento; inuitãs te, vt ipsius afflictionis, qua ibi fuit affectus, commisetatione tangaris; &, ob tua peccata vehementi dolore contristeris; tuamq; voluntatem ad quemuis sudorem & laborem promptam offeras vt virtute pretiosi sanguinis, quem ipse per suos puros effudit, à maculis tuorum peccatorum abluaris.

2. *Flagellatio. Coronatio.*

DEINDE aspice, quemadmodum idem ipse Saluator sanguinem suum in prætorio Pilati violenter effuderit, carnificũ scilicet vi, per *flagella*, ex dorso, & ex toto corpore; per spineam verò *coronam* ex capite, in pœnam tuæ cupiditatis, superbiæ, & ambitionis. quem totum sanguinem etiam tibi offert in Sacramento, in quo & tu delibes, sentiasque, quod ipse sensit; spiritumque resumas ad te ipsum puniendum ob excessus præteritos; teque in posterum continendum, ne in eosdem relabaris.

3. *Claui.*

PROGREDIERIS denique ad Caluarium montem, vbi claui, quibus affixus fuit cruci, quod reliquum erat sanguinis, ferè extraxerunt per vulnera pedũ & manuum, donec expiraret: & paululum quod in mortuo corpore iuxta cor remanserat, *c lancea* extraxit, *quæ eius latus aperuit.* Nam nec pauxillum hoc retinere voluit; sed totum effundere: in testimonium amoris, quo te prosequebatur: & in eiusdem amoris testimonium, totum etiam simul in hoc Sacramento offert. Cogita igitur, cùm ad communionem accedis, te ad ista *quinque* vulnera accedere, vt effluentem inde sanguinem hauries; & in ipsum tuum corpus traijcias: vt pretium sit, & pro tuis peccatis satisfactio; ablutio macularum; potus, qui sitim expleat tuorum desideriorũ bonorũ; tuarumq; cupiditatum ardorem ita extinguat, vt hoc sanguine inebriatus, tuũ offeras Domino tuo; & quicquid habes, non appositio termino, aut mẽsura tuo desiderio; siue id sit de spontaneis mortificationibus tibi assumendis: siue ab alijs illatis persecutionibus tollerãdis: imò etiã, quod post mortem tuam supererit, debes in eius obsequium offerre: cupiens facultates tuas, omniaque tua perpetuæ eius gloriæ instrumenta esse.

c Io. 9.34. Lancea.

Punct. 3. Sanguis Christi in resurrectione recollectus.

VT verò etiam exhilareris, cogitandum tibi est, totum hunc sanguinem, qui in eius passione cum tãto dolore & ignominia fuit effusus, recollectum fuisse, & in suis venis cũ summa lætitia & gloria in die Resurrectionis collocatum, vt æternùm in eis maneat: Christus.n. resurrexit, nunquã moriturus; nec amplius, quod tunc accepit, deserturus. Ideoq; sanguinem hunc ita simul vnitum, & glorificatum in Sacramẽto tibi dat: vt te lætificet, cõfortet, & ad nouam vitã resuscitet. hoc pignore tibi tradito, q̃ quantum in ipso est,

sem-

semper te in sua gratia conseruabit,& resuscitabit ad æternam vitam vt ipso fruaris in gloria. sic enim expresse hoc se facturum promisit, dicens : d *qui manducat meam carnem,& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die* : quia scil. iam habet in se pignus æternæ vitæ pro anima;& resurrectionis pro corpore. Ideoq; constituit Ecclesia sancta, vt omnes fideles in Paschate cõmunicent; quo tempore Paschalis agnus D. N. fuit sacrificatus,& surrexit gloriosus. e *Agnus* enim ille Paschalis (teste S. Thoma, fuit sanctissimi Sacramenti magis expressa figura, ex ea parte, quod totus populus illũ offerebat, seq; eius carnibus alebat, cuius sanguine fuit liberatus ab Angelo, omnia Ægypti primogenita percutiente, à morte sc. & à seruitute Pharaonis. Quod totũ multò gloriosius præstat Diuinꝰ hic noster agnus, qui propria nos carne alit;& sanguine prẹseruat à morte,& à Dæmonis eripit tyrannide. Et quando primogenitus hominũ, *liberum* sc. eorũ *arbitriũ*, lethali aliquo crimine in eis moritur, manebit in te viuens, ob sanguinis huius virtutẽ, qui te à culpa præseruat. Hic sanguis (ait Sanctus Chrysostomꝰ) florere facit in nobis verã diuinitatis imaginem; hic animæ pulchritudinẽ tribuit ac nobilitatem, quã rigat, fouetq; semp; non sinens illam deficere. Sanguis hic Dæmones à nobis valdè procul repellit, Angelos verò & omniũ Dominũ ad nos adducit: cùm enim primũ *signum huius sanguinis in nobis vident* Dæmones, fugiunt; Angeli verò appropinquant. Hic sanguis totũ mundũ abluit, ac purificat. Cuius si vel sola figura Hebræos in Aegypto ex tot periculis eripuit quantò magis ipsemet id faciet in nobis? *O sanguis Agni* preciosissime, in quo sancti f *lauerunt ac dealbauerunt stolas suas*, laua, ac dealba animam meam, vt æternùm te laudet, ac glorificet, Amen.

d *Ioa.6 55.*

5. *Par.q 72. a.5.*

e *Exod.12.3. 13.*

Agnus Paschalis.

Hom. 46. in Ioan. & 61. ad pop.

Exod.12.13.

f *Apoc.17. 14.*

Considerat io quarta de sanctissima Christi D.N anima.

Pro Feria quarta Punctum 1

PRIMVM fidei lumine ad interiora huius Sacramenti ingredi studens, agnosce panem hunc, qui in eo tibi proponitur, non esse rem aliquam mortuam sine anima, sicut reliqua sunt Sacramenta; sed verè ac realiter a *panem esse viuum*, quemadmodum ipse Saluator dixit: Nam sub accidentibus panis, quæ vides exterius, latet corpus huius Domini, cum sanctissima anima sua, quæ illud verè reddit viuens, ac pulcherrimum. Sine vlla tamen cõparatione glorioſior multò est, magisque admiranda vita & pulchritudo ipsiusmet animæ, quæ est purus spiritus, in cuius præsentia omnes cœlestiũ hierarchiarum spiritus non magis splendent, quàm stellæ in præsentia solis. Tota. n. induta est Diuinitatis sole, cum gratia adeò immensa, vt incõparabiliter oẽs gratias excedat, quas Angeli & homines simul habẽt. Vt. n. dixit S. Ioã. b *nõ ad mensurã dat Deus* filio suo *Spiritũ*, quẽadmod dat alijs, qui eius sunt serui. Et quantùm interest inter vnigenã filiũ in domo sui Patris,& reliquos eius seruos, tantùm interest inter ipsum Christum D.N.& reliquos

a *Ioan .6. 51*

Animæ Christi excellentia.

b *Ioa.3 34 S.Tho.p.q.7 a.11. ad 1.*

Angelos & homines. Et propterea S. Ioannes dixit : c *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Eleua igitur Sacramẽti huius velũ, & agnosce gloriam & pulchritudinem sanctissimæ illius animæ, tanta sapientia, & gratia plenæ, quanta decet animam personaliter vnitam vnigenæ filio ęterni Patris, qui sol est splendoris infiniti. per quam vnionẽ innumerabiles & excellẽtissimos gratiæ thesauros illi cõfert, omnesque eius potentias ijs diuinis virtutibus exornat, quarum singulæ sunt capaces: simulq; potestatem ei facit reddendi homines earum participes. & ideò descendit illa ad sanctissimum Sacramentum. Quare ingressa hæc sanctissima anima in hominem iustum, statim aperit primos thesauros gratiæ sanctificantis animas: tantamq; eius copiam vnicuique tribuit, quanta est communicãtis dispositio; & ita manent ambæ cum admiranda hac mutua similitudine cõiunctæ. Si enim, d *qui adhæret Domino,* (vt Apostolus ait) vnus spiritus est cum illo, etiam anima mea, si cum Saluatoris anima coniũgatur, manebit per gratiam facta vnus spiritus cum illa.

c *Ioan.* 1. 14.

d 1 *Cor.* 6. 17

Punctum 2

DEINDE, memoriam inspicies, & *intellectum* animæ sanctissimæ ipsius Saluatoris: e *in quo* (vt Apostolus dixit) *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Nam lumine gloriæ ꝙ habet, videt cum summa excellentia & perfectione ipsam Diuinam essentiam: & prætereà omnes scientias supernaturales, & naturales rerum omnium in omni perfectione habet, quæ cõpetit animæ diuino verbo & sapientiæ æterni Patris vnitæ: à quo sapientia omnis, scientiaq; dimanat. q̃ in Angelis & hominibus inuenitur. Et in ipso Sacramento venit, vt animabus tribuat eã sapiẽtię & scientię partẽ, quæ illis competit. Ideoque in ipso ingressu, cœlestis sapientiæ thesauros aperit, & admirandas illustrationes iacit: quibus sua tetigit arcana; sensumq; aperit, vt scripturas Diuinas intelligant; concedit altissimas contemplationes, & meditationum inundationes: & nonnunquam etiam raptus, suspensiones sensuum, & extases, ob luminis abundantiam, quam tribuit intellectui, iuxta dispositionem humilitatis & charitatis, qua quisq; cõmunicat. Et quẽadmodum Discipulorũ, cùm peruenerunt in Emaus f *aperti sunt oculi, & cognouerunt in fractione panis,* eum, qui priùs peregrinus videbatur, esse ipsummet Christum: ita in sacra Communione oculi aperiuntur animę, vt agnoscat præsentiam Domini, in ipsam, tanquam peregrini intrantis.

e *Coloss.* 2. 3.

Intellectus Christi lumen.

f *Luc.* 24. 31. 36.

CREDERE etiam debes sanctissimam hanc animã clarè, distinctèq; cognoscere res omnes præteritas, præsentes, atque futuras: ita vt nec cogitatio, nec verbũ, aut opus vllũ ex ijs, quæ aut fuerũt, aut futura vnquã sunt, illi occultari possit. Cũ. n. ipse Christus D. N. quà est homo, futurus sit omniũ Iudex; videt quicquid malũ, & quicquid bonũ est in omnibus; vt illud puniat, hoc remuneret. Cũ hocigitur spiritu licebit te in eius præsentia cõstituere,

Christus omnia videt.

atten-

attendendo eum nonnunquã quasi te sub Sacramẽti velo aspicientẽ, omnia intimè cognoscentẽ, quæ vel facis, vel dicis, disponis, aut cogitas in intimo cordis tui: iuxta illud q̃ in libro Canticorũ dicitur: g *ecce ipse stat post parietem nostrũ, respiciẽs per fenestras, prospiciẽs per cãcellos.* quę sunt species sacramẽtales. Quãre studendũ diligenter est, ne quid cogites, quod illi displiceat: aut eius præsentia sit indignũ. Nõnunquã attendes, eũ in *memoriæ* suæ thesauris recõdita habere omnia peccata tua, suo tempore punienda, sicut aliquãdo dixit populo suo: h *nõne hæc cõdita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* in eisdẽ verò thesauris omnia quoq; merita, bonaq̃; opera signata habet, suo tẽpore etiam remuneranda. iuxta illud Apostoli: i *scio cui credidi, & certus sum: quia potens est, depositũ meũ in diẽ illũ* nouissimũ *seruare.* Quarè cùm cõmunicas: supplex ora, vt tua peccata dimittat, & amoueãtur ex ipsius thesauris, in quib⁹ cõdita erãt, & signata; augeat verò opera bona, vt ętern ũ durẽt in deposito thesauri eius. O dulcis Iesu qui es ętterni Patris thesaurarius, nosterq̃; depositari⁹, vt serues, q̃ ipsemet nobis largiris: dita, quęso, me thesauris tuis: eosq̃; benigna tua protectione per sanctissimũ hoc Sacramẽtũ cõserua, vt in die vltimæ rationis diuitem in tua præsentia esse me inueniam. Amen.

g *Cant.* 2. 9.

h *Deut.* 32. 34.

i 2. *Tim.* 1. 12. *Duplex thesaurus in memoria Christi.*

HINC perges ad sanctissimæ huius animæ *voluntatem* intuendam, eiusq̃; sanctitatis & virtutũ thesauros: nam eius cor instar est fornacis accensissimæ, in qua ardet amore Dei & proximorũ, tuiq̃; ipsius inter reliquos. pari verò passu cum charitate reliquæ virtutes pergũt in summa excellentia: sunt enim exemplar, ex quo homines discere debeant: ipseq̃; potestatẽ habet, eas inter ipsos distribuendi. Et ob hanc præcipuè causam venit ipse ad Sacramentum. Nam quemadmodum cibus, cum comedẽti coniũctus, qualitates ei suas impartitur: Ita Christus D. N. in Communione animam suam cum Iusti anima per charitatis intimam vnitionem coniungit; suasq̃ue diuinas virtutes ita ei impertit, vt ex vtraque voluntate vna fiat, & vnum ex vtroque corde. vt mirificè locum hic habeat, quod Scriptura diuina dicit: k *quod anima Ionathæ conglutinata fuerit animæ Dauid, & dilexerit eum Ionathas quasi animam suam, & expoliauerit se Ionathas tunica sua, qua erat indutus, & dederit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum suũ, & vsque ad baltheum.* Quemadmodum supra retulimus. O anima Iesu sanctissima, coniungere meæ, eamq̃; pretiosa tuæ gratiæ tunica, & præclaris virtutũ tuarũ vestimẽtis, donorũq̃; cęlestium armis indue: vt vterq; simus cor vnũ, & anima vna, siquidẽ tu es anima meæ animæ, vitæq; meæ vita, per quam ego sum, & viuo. Ex tunc dicã cum Apostolo: *Viuam iam non ego, quia viuit in me Christus.*

Punctum 3

Voluntas Christi virtutibus ornata.

k *Re.* 18. 1. 4

Tract. 2. c. 2.

l *Gal.* 2. 20.

SED supereſt adhuc aliquid in sanctissimæ huius animæ voluntate videndum. Sunt enim in ea etiam thesauri cœlestium delitiarum: quia bibit ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei, vsq; ad summam desideriorum suorũ

Delitiæ S. Sacramẽti.

saturitatẽ, & in tanta plenitudine ; vt quod supereffluit ex ea, replere possit omnes lætitia. Illa verè est Manna absconditum, cum dulcedine immensa, in qua sunt sapores omnes, modique omnes suauitatis possibiles, ad delicias & solatia Iustorũ: quibus statim atque in eos per sacram Cõmunionem ingreditur, eã partem communicat, quam illorum dispositio meretur. Optimè enim illi adaptatur, quod Patriarcha Iacob de filio suo ASER dixit. m *ASER pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Quis autem est ASER, qui diuitiæ interpretatur; nisi Christus D. N. in quo sunt inæstimabiles diuitiæ gratiæ, quas diximus ? & quis eius est panis, nisi diuinũ hoc Sacramentum, quo Iustis indulget & oblectat, qui veluti Reges sẽ ipsos gubernare nouerunt? &, quod amplius est, sumentibus impertit animũ & generositatẽ Regũ, ipsiusmet Regis generositati similẽ, qui in hoc cibo venit occultus. O Rex supreme, cuius conuiuiũ est conuiuiũ regale, dignum splendore & magnitudine tua! da mihi, quæso, cor, sicut tuum generosum, vt dignus sim qui mensæ tuæ assideam, & ineffabili tua suauitate ac dulcedine fruar, Amen.

m *Gen.* 49. 20.

Pro Feria quinta.

Consideratio quinta de infinitis Christi D. N. meritis & satisfactionibus.

Punctum 1.

ALII quoque thesauri inspiciendi sunt in hoc diuinissimo Sacramento. Pro cuius rei fundamento attendendus est *modus* ille, quo Christus D. N. in ipso statim suæ Incarnationis instanti, quoad meritum se habuit. Videns. n. ea omnia, quæ facturus & perpessurus erat vsque ad mortem in cruce, promptissimè obtulit sese ad ea omnia, vt patri suo æterno placeret; nostrãq; reparationẽ perficeret. Ex qua prima eius voluntate omne nostrũ bonum est ortũ. Nam (vt ait Apost.) a *in ea voluntate sanctificati sumus per oblationẽ*, quã ipse fecit *corporis sui.* Quis verò nouerit dignè id expendere, quod hæc voluntas complectebatur? Ipse. n. Christus D. N. in ipso primo instanti, non solùm vidit, quæ facturus erat, & perpessurus vsq; ad mortem; sed etiã post illam. vidit. n. vulnus lanceæ lateri suo post mortẽ infligendum; sepulchrũ sui corporis; animæ suæ ad limbũ descẽsum resurrectionẽ suã, & quæcunq; cũ suis Apostolis acturus erat per 40. illos sequentes dies; ascensionẽ in cælũ ex quo Spiritũ S. in suos discipulos erat missur?: vidit quoq; gratias oẽs ac dona, quæ erat hominibus ad finẽ vsq; mundi largiturus: opera etiam gloriosa quæ per eosdẽ facturus erat, cũ ijs auxiliis, quæ dare eis cõstituebat per sanctas inspirationes & Sacramenta: sed & oẽs blasphemias, iniurias, & persecutiones in ipsum, suamq; doctrinã, euangelicã legẽ, discipulos & amicos suos, à Iudæis, Gentibus, Mauris, Hæreticis, & ipso Antichristo eiusq; ministris vsq; ad finẽ sæculi, exorituras vidit. Quę omnia in illo instanti generosissima volũtate acceptauit, quæ volũtas fuit propterea maximi & excellẽtissimi meriti in cõspectu æterni Patris: quemadmodum meritoria est

Oratio Christi concepti.

a *Heb.* 10. 10

Christus omnia præuidit.

volun-

voluntas hominis, multa bona opera in suo testamento constituentis. Nam licèt eo tempore, quo bona illa opera executioni mandantur, iam ipse in eo statu sit constitutus, vt nihil promereri possit: ipsa tamen opera, indicia sunt, quòd in eis constituendis multum fuerit promeritus.

Christi merita in S. Sacramento communicatur.

HINC fit, quod Christus D. N. in illo instanti promeritus fuerit omnes gratias, dona, & fauores cœlestes, quæ hominibus conceduntur; & omnia illorũ merita, siue proueniant ex ijs, quæ patiuntur; siue ex bonis & sanctis operibus, quę præstant: hæc inquam omnia tunc fuit promeritus Christus, offerendo pro eis omnia aduersa vitæ suæ, passionẽ ac mortẽ. quem pretiosissimũ meritorum thesaurũ secum affert ad sanctissimũ hoc Sacramentum, vt eo nos ditet: applicando nobis merita sua, vt nostra plurimũ augeantur. Cum igitur ad sacram Communionem accedis, cogita te immensum meritorũ huius Domini mare accepturum, vt tuorum suppleas defectum; tuaq; ipsa cum illis coniungas, vt gratiora apud Deum reddantur: Et voluntatem ipsam tuam ipsius voluntati coniunges, vt tua per eam sanctificetur; teque ipsum offeres, ad amplectendum, quicquid ipse vult; & faciendum, ac tolerandum, quicquid ipse iusserit, & inspirauerit.

2. Punctum.

Christus incarnatus S. Sacramentum nobis disposuit.

SED magis adhuc in particulari considerandus ast meritorum thesaurus, quem Christus D. N. per hoc diuinum Sacramentum comparauit. eò quòd talis consideratio magnæ sit voluptatis & consolationis argumẽtum. Nam in primo illo suæ incarnationis instanti vidit, possibilem esse modum hunc, conuiuium tale pro hominibus instituendi: in quo carnem & sanguinem, quem pro eis assumebat, in cibum & potum eisdem præberet. Quare generosa quadam voluntate sese obtulit, statuitq; hoc beneficium illis præstare, quando esset ex hac vita migraturus: & totis illis triginta tribus vitæ suæ annis semper ardentissimum hoc habuit desiderium, sicut etiam semper desiderauit b *Baptismo* sui sanguinis *Baptizari*, & suæ passionis calicẽ bibere & propterea in nocte vltimæ cœnæ dixit: c *desiderio desideraui hoc pascha*, siue agnum hunc paschalem *manducare vobiscum anteqnam patiar*. Quid autem est dicere *desiderio desiderasse*, nisi ostendere, tale desiderium & antiquum fuisse, & semper continuatum, & valdè intensum?

b Luc. 12.50
c Luc. 22.15

Christus prauidit iniurias suas.

SED si nosse vis, quàm meritorium fuerit hoc desiderium, & hæc voluntas talem cibum & potum nobis præbendi: attende quas difficultates eodẽ tempore deuorauerit, quo illam obtulit. nam, quemadmodum in instanti, quo illam obtulit, innumera bona vidit, quæ per hoc Sacramentum erat suis seruis concessurus; & illustria opera erga eos, & pro eis facturus: ita etiã innumeras vidit iniurias, & contẽptus, quos in eodem Sacramẽto erat perpessurus, tam à Iudæis & Hæreticis ipsum negantibus, ac dicentibus esse merum panem; quàm à peccatoribus, & improbis Sacerdotibus, qui ipsũ in

mortali peccato accipiunt,& irreuerenter tractant:quod totum magna, & generosa voluntate hic Dominus tunc acceptauit: qua magna illa bona est promeritus,quæ nobis fecit,& verò quotidiè facit in recto eiusdem Sacramenti vsu.Quando igitur ad sacrã Communionẽ accedis, offeras ei, in particulari thesaurũ meritorum,quibus bonam ad communicandũ dispositionem,bonamq; ipsam communionem,& eius fructus fuit promeritus: supplexq; orabis, vt ipsa sua merita tibi dignetur applicare, & ita te ad ipsum suscipiendum disponere,vt illi placere,fructusq; optatos colligere possis.

Punctum. 3

Thesaurus Indulgentiarum.

EVNDEM in modum considerandus est infinitus satisfactionum Christi D. N. thesaurus quibus omnia nostra debita siue culpæ siue pœnæ persoluit: ex quibus thesaurus conficitur, quem Ecclesia tam viuis quàm defunctis per *indulgẽtias* distribuit: licèt efficaciùs per *Missæ* sacrificium applicetur: cuius est proprius effectus,pœnas pro nostris culpis debitas dissoluere.Quare,dum sacrũ Missæ audis, meritò simul cũ ipso Sacerdote diuinum illud sacrificiũ offeres, cum maximo quo fieri poterit cordis feruore:vt magnã aliq̃ thesauri illius partem tibi aut aliis siue viuentibus,siue vita functis accipias.Quò enim maior erit feruor charitatis, quo illud offertur, eò maior erit pars satisfactionis, quæ offerenti applicatur. Sed & ipsa communio (teste S.Thoma) multùm cõfert ad hanc ipsam satisfactionem dum in nobis ipsis feruentes illos actus excitamus, quibus illa fieri solet. Ideoq; dum communicas,debes tuas satisfactiones coniungere cum ipsius Domini,quẽ suscipis, satisfactionibus:vt cum illis vnitæ sint efficaciores. Admirabere quoq; infinitam Dei liberalitatem, volentis, cibo adeò delicato persolui, adeò pœnale debitum;&,eadẽ operâ, qua cum tanta tui oblectatione, & in tuæ animæ nutrimentum comedis, pœnas exsoluere, quarum, ob admissa peccata in tuo corpore delicatè tractando,reus existebas.

3.p.q.79. a.5.

Dulcis pœna.

Pro Feria sexta.

Consideratio sexta quis virtũtes Christus D.N. in hoc Sacramento exerceat

Punctum. 1.

Humilitas.

INTER virtutum & meritorum IESV Christi D. N. thesauros prædictos expedit,nominatim considerare heroicas *virtutes*, quas idem Dominus in hoc Sacramento ad nostrũ exemplũ, & vtilitatẽ exercet: siquidem & ipsæ sunt pars quædam eorum, quæ ipso Sacramento continentur. Sit ergo prima virtus heroica, eius HVMILITAS, qua actu ipso seipsum hic demittit,tegens gloriã omnem & splendorẽ,quem aliàs habet, tegumento adeò vili & abiecto: qualia sũt panis & vini accidẽtia:vt primo huius Tractatus capite expendimus. Nam quemadmodum in præsepio positus non verbo sed opere clamabat:a *discite à me, quia mtis sum & humilis corde:* ita in sanctissimo hoc Sacramento idem ad omnes Christianos clamat; & ad te ipsum,cùm cõmunicas: vt discas,te ipsum occultare,& optare non agnosci,

a *Matt.31. 29.*

& hu-

& humili ac decenti habitu vti, præcipuè cùm, ad ipsum in sacra Communione suscipiendum, accedis. Ingratitudinis enim quoddam & inurbanitatis genus est, leuibus & profanis ac superbis vestibus indutum, ad eum suscipiendum accedere, qui humili adeò velo tectus venit. *Absit superba communio.*

DEINDE, quemadmodum in hodiernum vsq; diem humiliter & mansuetè tolerat iniurias, quę ipsi inferũtur, contẽptus, opprobria, & inciuiles mores: nã etiãsi in vltimo loco ponatur, nõ conqueritur, neq; vlciscitur; sed, quasi nõ videret, vel audiret, omnia dissimulat: ita clamat etiã ad te vt si eius velis esse discipulus, & particeps gratiarum & fauorum, quibus ipse in hoc Sacramento humiles & mansuetos prosequitur; idem facias. Ad quas voces si aures obtures, est certè, cur erubescas, pudeatq; te tantę tuę superbię in præsentia Domini adeò humilis. b *Fili hominis* (ait DEVS Ezechieli) *ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam & erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Quod nam verò templũ verius est quàm sit hoc diuinum Sacramentum, in quo ipsemet DEVS & CHRISTVS eius manet? huic templo conformari oportet omnes iustos, qui viua sunt Spiritus sancti templa: vt eisdem virtutibus sese ornent, quibus ipse Dominus; eoque modo, quo ipse illas exercet. Tu autem diuinum hoc templum aspice, & ob tua scelera confundere. meditare ac perpende fabricam eius adeò intus gloriosam, exteriùs verò adeò humilem: vt pudeat te, vitam agere adeò ab eius vita remotam & alienam: discasque te ipsum humiliare ob tuam saltem superbiam, in præsentia extremæ adeò humilitatis. *Humiliatio expellenda.* b Ezec. 43. 10.

PERPENDES deindè, quàm ibi præstet heroicam OBEDIENTIAM, ad quam sponte se voluit obligare: cùm constituit, semper se, cùm Sacerdos verba consecrationis dicit, è cęlo descensurum, & se sub accidentibus panis & vini collocaturum: id quod perfectissimâ obedientiâ cum omnibus cõditionibus adimplet, quas illa in supremo suo gradu exigit. Est enim ad nutum, *celeris*, & ita in instanti, vt nec ad momentum quidem differat ad Sacramentum venire; est *vniuersalis*, ad quoscunque *Sacerdotes* etiam improbos, & mala intentione, pessimoque fine consecrantes, quia non attendit ipse ad prauum consecrantis animum; sed ad finem sanctum, quem ipse respexit, dum hoc se facturum constituit. Est etiam vniuersalis quoad *locum & tempus*, ita vt in quocunque loco, & quocunque tempore consecratio fiat, ipse adsit. Est *constans*, ac perseuerans: quia etiam sæpius veniendo, nulla defatigatione aut tædio afficitur; nec Sacramentum ipsum deserit, etiamsi irreuerenter & indignè tractetur: ita vt, quamdiu species ipsæ durant, constanter sub illis maneat: sicque facere perget vsque ad ipsius mundi finem. Nam & ibi asseuerat: Ioan. 6. 38. *descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me* *Punctum. 2.* *Obedientia.* *Celeris.* *Vniuersalis.* *Constans.*

& ex

& ex eodem loco exemplo suo clamat; vt, si velis eum dignè suscipere, exornes animam tuam obedientiâ quadã ipsius obedientię simili; dicens cum Sponsa: *lectus noster floridus.* Nam, vt Sanctus Bernardus ait, complacet sibi, dum requiescit in lecto cordis, floribus obediętiæ exornato; horret verò illum, in quo spinę, actus scilicet proprię voluntatis, nascũtur. Quod si hospitio eum sicut Martha excipere velis: vt ille spiritualem tibi, sicut sorori eius Marię, refectionem prębeat: oportet, animam tuam esse *Bethaniam*, quã, domum obedientiæ interpretantur: ita vt eum offeras, ad obediendum in omnibus ei qui, vt plurimis gratijs suis te ditaret, factus est ipse obediens.

d *Cant. 1. 16 Serm. 46. in Cant.*

Punctum. 3. Charitas.

TERTIÒ perpendes heroicam eiusdem Domini CHARITATEM & MISERICORDIAM, qua seipsum omniaque sua cuiuis hominum generi, etiam vilibus & contemptis sese tradit: vt eorum necessitatibus subueniat; famemque qua tenentur, exsatiet: reipsa enim præstat hic ipse, quod suasit quidam, ipsum ad prandium inuitanti. e *Cum facis* inquit, *prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitent & fiat tibi retributio: sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos: quia non habent retribuere tibi.* O ineffabilem supremi nostri Redemptoris misericordiam, qui de cœlo venit, vt inuitet; simulque sit conuiuium, non solùm Regum, Principum, & nobilium huius mundi, sed etiam se ipsum tradit pauperibus, mancipijs, & ipsis Æthiopibus, & vniuersæ terræ contemptissimis, absque personarum acceptione, aut horum ab illis differentia: &, quod amplius est, etiam maximis peccatoribus, modò de suis peccatis pœnitentibus, & confessis, se ipsum nõ denegat; nec horret ingredi, sed potiùs oblectatur in ea domo habitando, quæ latronum fuit spelunca, basiliscorum habitatio, & hospitium Dœmoniorum.

e *Luc. 14. 12*

Liberalitas

QVO verò LIBERALITATEM & misericordiam suam magis manifestet, statuit, mensam hanc Sacram, præparatam, & semper in promptu esse: manet enim ipse deliberato animo per dies multos in ipso Sacrario, expectans, vt aliquis ex huiusmodi pauperculis accedat: vt, quam petit, refectionem ei præbeat: omnes enim vocat; &, vt ad suum conuiuium veniant, inuitat: nec rem gratiorem illi præstare possumus: quam ad nos vocantem accedere. Quod n. nobis est valde vtile, gaudij sui materiam reputat: atq; si ipsius proprium esset commodum. Hoc enim apertè insinuat benenola illa suauisq; vocatio, quã Isaias eius nomine proponit, dicens: f *omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentũ properate, emite, & comedite: venite, emite absq; argento, & absq; vlla cõmutatione vinũ & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborẽ vestrum non in saturitate? audite audientes me, & comedite* BONVM, *& delectabitur in crassitudine*

f *Isai. 55. 1. Deus congaudet nobis.*

anima

anima vestra. Quæ verò illa est esca, quæ eminenter appellari potest Bona? respondeat alter Propheta eodem spititu: *quid enim,* ait. Bonvm *eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum generans virgines?* O anima, quæ desideras particeps esse bonitatis Dei tui, & pulchritudinis Domini tui, & torrente deliciarum eius inebriari: comede magno appetitu hunc panem, magnoque desiderio hoc vinum cœleste: siquidem gratis & absque vllo pretio tibi offertur: & si quod exigitur, ipsemet Dominus illud tibi largitur, vt comparare panem & vinum hoc possis. noli tam anxie h *cibum* quærere *qui perit;* sed eum, *qui permanet in vitam æternam: quem filius hominis dabit tibi,* vt suis donis te ditet, bonisque tua satiet desideria.

g *Ezech.* 9. 17.

S. *Communio* Bona.

h *Ioan.* 6. 27.

Consideratio septima de Christi D. N. persona ac diuinitate, quam Pater & Spiritus Sanctus comitantur.

Pro die Sabbathi.

Quoniam in Dei conuiuijs optimus bolus vinumque pretiosissimum in finem conuiuij seruatur: ideò vltimo loco degustãdus & ruminandus in hoc sanctissimo Sacramento est omniũ pretiosissimus ipsa videlicet diuini verbi persona, corpori, sanguini, & animæ ipsius Saluatoris coniuncta, a *Manna* dulcedinis infinitę, ac b *verè Deus absconditus:* eò quod c *lucem inhabitet inaccessibilem,* cui etiã cõmodè aptatur id quod Moyses populo dixit de altero illo d *Manna* patribus eius *ignoto, quod egreditur de ore Dei.* Hæc enim diuina persona, in hoc Sacramento latens, est verbum ipsius Dei viuum, æternum, & infinitum; quod egressum est, egreditur & egredietur in æternum ex ore Patris æterni, manens etiam intra ipsum cum omni diuinitate, sapientia, & omnipotentia, quam ipse Pater æternus habet. Hic Dominus est verbum ipsum omnipotens, per quod omnia sunt creata, & conseruantur; &, cùm sit æternum, descendit in vltimis temporibus è cælo, vt carnem nostram indueret: & sic e *Verbum caro factum est*; eaque indutum *habitauit in nobis.* Hic Dominus est, qui verbo ex ore suo procedente, morbos curabat, mortuos reuocabat ad vitam, peccatores conuertebat, transmutabat corda, suisque donis ea replebat. Verbo suo tranquillitatem turbato mari adferebat, ventis imperabat, dæmonia è corporibus expellebat. hostes suos deijciebat in terram: denique omnia eius verbo parebant. Hoc itaque diuinum verbum cum sua tota omnipotentia latet tanquam absconditum Manna in hoc Sacramento, vt in anima eum suscipiente ea faciat, quæ dum in terra versaretur, faciebat. Verbo enim suo interno, gratiaque suæ efficacitate spiritualiter sanat infirmos, exsuscitat mortuos, commutat voluntates, animosque turbatos tranquillat, tentationes reprimit, Dæmones fugat, ac de suis omnibus hostibus triumphat. Quem si viua fide

Punctum. 1.

a *Apoc.* 2. 17
b *Isai.* 45. 15
c 1. *Tim.* 6. 16.
d *Deut.* 8. 4. *Verbum Dei.*

e *Ioan.* 1. 14

fide suscipias, *omnipotentiam* eius verbi in his omnibus experieris. Ideoque Ecclesia à diuino spiritu instructa, iubet nos ante ipsam Communionem dicere: f *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum sed tantum dic verbo, & statim sanabor.* g *Dic animæ meæ, salus tua ego sum*, & statim sana erit: dic vt in ea h *fiat lux*, & tota statim illustrabitur: iube in me quod volueris, statim enim, quod iusseris, perficietur.

f *Matt.* 8. 8.
g *Psal.* 34. 3.
h *Genes.* 1. 3.

Punctum. 2.

DEINDE perpendes, & PATREM æternum ibidem adesse, comitantem filium suum: quia non possunt ab inuicem separari: vbicunque enim est filius, ibi est Pater: Ita enim ipse dixit: i *Si quis diligit me, pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: & sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris:* &, k *verba quæ ego loquor vobis à me ipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera: quia ego in Patre, & Pater in me est:* & l *quæcunque ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Ibi æternus Pater intra seipsum filium suum generat: quia semper illum generat, suamque diuinitatem illi communicat. Et quemadmodum pro nostra reparatione misit illum in mundum: ita in hoc sacramento missionem illam continuat. Quamobrem aspicientes, quæ ibi geruntur, verè ac propriè dicere possumus: sic m *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui* fide viua eum receperit, *non pereat, sed habeat vitam æternam.* O supreme Pater: quas tibi gratias reddemus pro immenso hoc dono, quod mundo largiris, non semel, sed millies quotidiè illud renouando, vt omnes eius esse possint participes! Quò potuit vlteriùs charitas tua peruenire, quàm vt ipsummet filium tuum, panis accidentibus obuelatum, nobis traderes; quò nobis inuisceratus nos tecum per amorem vniret.

i *Ioan.* 14. 23.
k *c.* 14. 10.
l *Ioan.* 5. 19.
PATER.
m *Ioan.* 3. 16.

NVLLA nobis superest dubitandi ratio, quin nos adhuc diligas; qui optimum, quod habes donum, quotidiè nobis largiris. Quod si de tua charitate ambigere non licet, nec de immensa tua liberalitate licebit. n *Qui* enim *proprio filio suo non pepercit*, sed illum dat nobis in cibũ: *quomodo non etiam cũ illo omnia nobis donabit?* qui nobis dat quod maius est, quomodo quod est minus negabit? qui filium suum æquè bonũ atque ipsemet Pater bonus est, dat; quomodo bona non dabit, quæ a b eo petimus, vt eisdem obsequia ei præstemus, tanquam filij talis Patris? o *Quis* (inquit) *ex vobis patrem petit panem, nũquid lapidem dabit illi? si ergo vos cum sitis mali, nosse bona* vobis *data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quomodo autem dabit, nisi panem hunc supersubstantialem dando: in quo proprij ipsius filij spiritus manet?

n *Rom.* 8. 32.
o *Luc.* 11. 11.

Punctum. 3. *Spiritus S.*

HINC progredieris ad considerandum, quod in hoc diuino sacramento etiã SPIRITVS S. patrem & filiũ comitetur: omnes enim tres personæ diuinæ sunt vn⁹ Deus; & vbi vna est, simul est etiam altera: &, quod vna facit

in crea-

in creaturis, reliquæ etiam faciunt: ita vt in cæleſti hoc myſterio iuxta literam impleatur, quod S. Ioan. dixit: p *Tres ſunt qui teſtimonium dãt in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt.* Nam in ſanctiſſimo hoc ſacramento tres diuinæ perſonæ conueniunt, ad reddendũ ei, qui communicat, teſtimonium internũ excellentiæ panis viui, quem ſuſcipit. Nam *Pater* omnipotentia ſua facultates animæ corroborat in obſequio diuino; renouatq; teſtimonium, quod ipſe dedit in Baptiſmo & Transfiguratione, dicẽs. qui hic latet q *eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite*: Ipſum excipite, & complectimini, gratiamque & ſtudium, quod vobis hic exhibet, in veſtrum vſum conuertite. Accipite eum in Magiſtrum, Ducemq; vitæ veſtræ, in ſalutem & remedium animarum veſtrarum. Ipſemet *filius* Dei infinita ſua ſapientia eundem communicantem illuſtrat; &, quid facere debeat, edocet; illaq; teſtimonia renouat. quæ, dum in terris verſaretur, de ſeipſo reddebat. Aliquando enim ait: r *Ego ſum via, veritas, & vita*: ego *exemplar* ſum, quod in veſtris actionibus oportet vos reſpicere, & imitari: vt vobis aditus pateat in cælum. Ego ſum *veritas*, quam debetis credere & in qua ſpes vobis eſt collocanda: vt quietem & ſolatium habere poſſitis: ſum etiam *vita* æterna, & beatitudo, quam procurare debetis. ſ *Ego veni* ad animas veſtras, *vt vitam habeatis*, & quidem vitam *abundantiorem*, & bonis omnibus quæ ad ſatietatem veſtram & quietem poteſtis deſiderare, refertam. Præterea verbum diuinum cum Patre ſuo, qui ſunt principium *Spiritus ſancti*, illum, dignè communicanti animæ, tribuunt. Quare, cùm ad ſacram communionem accedis, cogitare debes, te accedere ad ipſum Spiritus ſancti datorem ſuſcipiendum, ipſummet ſcilicet Dominum, qui Samaritanæ dixit: t *Si ſcires donum Dei, & quis eſt*, qui ad tuam domum accedit, *tu ab eo peteres* bibere, *& ipſe daret tibi aquam viuam*; diuini ſcilicet ſpiritus donum: qui cum eodẽ Chriſto Domino in animã tuam ingreſſus, ſuum quoq; pro more teſtimonium præbet diuinę ſuę præſentię: nunc enim tanquã *columba* innocentia & puritate, quam efficit; gemitibus teneriſq; ſenſis excitatis teſtimonium præbet: nunc tanquam *ignis* feruentibus amoris affectibus zeloque, quem accendit, idem facit. Omnium autem trium teſtimonium vnum eſt: tendit enim ad vnionem charitatis ita inter Deum & animam efficiendam, vt per intimam ſimilitudinem & conformitatem vnus ſpiritus fiant.

SVVM quoq; teſtimonium præbent tres illæ res terrenæ, quæ in ipſi⁹ Saluatoris noſtri humanitate ſunt vnitę: SPIRITVS ſcil. animaq; eius ſanctiſſima: precioſus SANGVIS & AQVA, quæ ex eius latere effluxerunt; fas .n. eſt credere, eã aquã ſimul cũ ſanguine in eundẽ locũ fuiſſe reſtitutã, quẽ in ſacro

p 1. *Ioan.* 5

Pater.

q *Matt.* 3. 17 & c. 17. 5.

Filius.

r *Ioan.* 14. 6

ſ *Ioan.* 10. 10

Spiritus S.

t *Ioan.* 4. 10

Columba Ignis.

Aqua lateris Chriſti.

cro eiꝰ corpore retinebatːin cuiꝰ ſignũ miſcetur in calice, aquæ pars aliqua ipſi vino, quod poſtea conuertitur in ſanguinem. Idque totum ſuum præbet teſtimonium, efficiendo in communicante verum Chriſti ſpiritum, lauacrum perfectum, & animæ puritatem, magnumque cordis feruorem. O ſupreme Paſtor, quàm verum eſt teſtimonium, quod de te ipſo dediſti. dicensːu *Ego ſum paſtor bonus. Bonus Paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis. Ego ſũ oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.* Verè bonus es paſtor, qui oues tuas diligis, vocas, & vt ſequantur allicis; quibus temetipſum in eſcam & potum præbes: per te ingrediuntur, in te & per te etiam exeuntːingrediuntur, vt te agnoſcant, tibiq; vniantur; per te exeunt ad laborandum, obſequij tui cauſaːid quod præſtant gratia & viribus, quas illis hoc tuo paſtn communicas. Si te paſtorem habeam, quid mihi deeſſe poteſt? Dominus, vt ait Dauid) x *regit me, & nihil mihi deeritːin loco* enim fertiliſſimæ *paſcuæ me collocauit*, vbi omnibus bonis me paſcit, quę in cælo ſunt & in terra: vt eiſdem gaudens per fidem in terra, fruar poſteà clara viſione in cælo, Amen.

u *Ioan.* 10. 11. 9.

x *Pſal.* 22.1.

CAPVT IV.

EX EFFECTIBVS ET FRVCTIBVS SANCTISſimi huius Sacramenti, eius excellentiam agnoſci illudque ad omnium diuinarum vocationum perfectionem obtinendam, conferre.

ALTER modus cognoſcendi excellentias diuini huius Sacramenti eſt, ex *affectibus*, quos efficit in animabus. quemadmodum arbor ex fructibus, quos profert, agnoſcitur: qui tamen effectus duplici alia via deprehenduntur, ſimili illis, quas ſuprà poſuimus: altera via eſt per ea, quæ ipſa fides docet, & meditatio cœleſti lumine illuſtrata aſſequiturːaltera verò per ea, quæ quiſque, cùm dignè communicat, in ſe ipſo experitur. quoniam verò prima via medium eſt, quo veniamus ad ſecundam, (nam fructuum cognitio ad eorundem æſtimationem ac deſiderium permouet) deſiderium verò nos excitat ad eoſdem procurandos: aperiemus priùs, per meditationem; quod fides de ſuprema Sacramenti huius efficacitate nos docet: nam quò illud in exteriori ſpecie eſt minùs, eò eſt in virtute interna maius: ob tot, adeoq; cœleſtes res, quas in ſe includit, ex quibus tanta eius prouenit efficacitas. Quo nomine dicere licet: iure optimo Chriſtum Dominum Noſtrũ dixiſſeːa *Simile eſſe regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit*

o *Matt.* 13.31

in agro

in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

Cvi autem magis aptari potest hæc parabola, quàm sanctissimo altaris Sacramento, in quo ipsemet Rex cælestis manet, cum omnibus diuitijs, quas habet in suo regno, & omnibus titulis ac medijs ad illud nobis comparandum? nam sacræ hostiæ particula aliqua, quantitate minor, quàm sit granum sinapis, missa tamquam sementis in cor iusti, stupendam habet virtutem ad efficiendum, vt is crescat, fiatq; arbor eius altitudinis, cuius sunt cedri libani; variosque virtutum proferat ramos, in quibus etiam ipsi Angeli recreentur, & exultent. Hoc diuinum Sacramentum est, quod conseruat, adauget, perficitque gratiam, quam cætera sacramenta tribuunt. Nam teste S. Dionys. *non contingit aliquem perfici perfectione Hierarchica, nisi per diuinissimã Eucharistiam*, per eius scil. vsum: per eam .n. omnes Christianæ perfectionis gradus obtinentur: eò quòd in ipsa contineatur omniũ eorum author: qui eos communicanti largiri desiderat. Nam, qui sanctitatis & perfectionis fontem largitur: quomodo nascentes ex eo effectus, sanctitatis gradus non communicabit? Ex quo fit, diuinas ad omnes Christianæ perfectionis gradus vocationes, de quibus hactenus fuit sermo, & in posterum fiet, omnes suam excellentiam & finem, in quem tendunt, obtinere per diuinum hoc Sacramentum, quo illæ adiuuantur, ad executionem eorum omnium, quæ hoc sacramentum inspirat: quemadmodum per earum præcipuas discurrenti apparebit.

Eucharistia semen & fectionis.

de Eccles. hierarch. c. 3

§. *I. Sacram Communionem augere Fidem & Spem.*

Qvoniam prima Christiani hominis vocatio est, ad firmissimè credenda omnia fidei Catholicæ mysteria, ex quo vita eius & solatium spirituale dependet, cùm b *iustus ex fide viuat*: ideò primus diuini huius Sacramenti fructus est, hanc vocationem perficere, & fidem augere: id quod duabus perficit vijs. non enim sine causa, per excellentiam appellatur Mysterivm Fidei.

b *Haba. 2. 4 Heb. 10. 38.*

Primvm, quia sanctissimum hoc Sacramentum veluti summa quædam est, in qua præcipua mysteria, & articuli diuinitatis, & humanitatis Seruatoris nostri continentur: & quoniam vnaquæque virtus viuit, conseruatur, & augetur, propriorum actuũ exercitatione, ideò in hoc diuino Sacramento inuenit fides vitæ suæ nutrimentum, eò quòd magnam in eo occasionem habeat actus suos excellenter exercendi: abnegando proprium iudicium. Quare in eius præsentia constituto, extimulanda tibi est fides, & cum Sancto Petro dicendum: c *Tu es Christus filius Dei viui*; & cum S. Martha: d *vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui*, qui, nostræ reparationis

I. *Fides.*

c *Mat. 16. 16* d *Ioan. 11. 27*

causa, *in hunc mundum veniſti*. Tu meus es creator, meus ſaluator, & glorificator: tu es qui Spiritus ſancti opera fuiſti conceptus & ex ſanctiſſima ſemper Virgine Maria natus, crucifixus, & mortuus; qui reſurrexiſti; & aſcendiſti in cælum; qui venturus es ad me iudicandũ, & nũc venis in hoc ſacramẽto meæ ſalutis cauſæ. e *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael: O ſanna*, ſalua me *in excelſis*.

e *Matt.21.9*

IISDEM fidei actibus ſumitur etiam ſpiritualiter hoc ſacramentum; iuxta illud eiuſdem Chriſti: f *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet : & qui credit in me, non ſitiet vnquam*. Crede, inquit S. Auguſt. & manducaſti. Nam fide viua & amabili eum credẽs, immittis ſpiritualiter in tua viſcera, eiuſq; admirabiliũ virtutũ particeps efficeris; credens & amãs eius humilitatẽ, tuã illã facis; credẽs & amans eius obedientiã & patientiã, eas tibi apprehendis.

f *Ioan. 6. 35. Tract. 25. in Ioan.*

Caro Chriſti fidem perfi. cit.

SI cum hac animi diſpoſitione ad communicandũ accedas, ipſa communio fructum illũ ſpecialem profert, vt fidem adaugeat, & illuſtrationes tribuat, quibus illa plurimum clarificatur: talesq; ſpirituales guſtus, & interna ſenſa communicat, vt plurimũ eam confirment. Hoc itaq; myſteriũ, quod difficilè adeò eſt creditu, efficere ſolet, vt reliqua facilè ſuauiterque credamus, vt ita impleatur illud Dauidis g *guſtate & videte*. Nam guſtatus ipſe viſionẽ clarificat. Et quoniã fidei veritates colligatæ ſunt, & connexæ, vnius earũ guſtatus valdè certam reddit reliquarum ſoliditatẽ. Et quemadmodum diſcipuli euntes in Emaus, h *cognouerunt Chriſtum* Dominũ noſtrum, etiamſi peregrini habitu indutũ, *in fractione panis*, qui erat hoc diuinũ ſacramentum: ita cõmunio oculos aperit, ad cognoſcendũ, quod prius erat valdè occultũ. ad hoc enim ait Theophyl. magnam, & indicibilem vim habet caro Chriſti. Nec (quemadmodũ S. Auguſt. ait) alienum eſt, vt credatur, ſathanam impedimento fuiſſe illis diſcipulis, ne magiſtrum ſuum agnoſcerẽt, id ipſo Domino permittente, donec ad ſacramentũ panis peruẽtum eſt: vt intelligeretur, ſumptione ſanctiſſimi eius corporis obicem remoueri, vt poſſit ipſe agnoſci. & quemadmodum ſtatim atq; Ionathas mel guſtauit i *illuminati ſunt oculi eius*, & recepit ſplendorẽ ac vires, quas amiſerat: ita ſumptione diuini huius ſacramenti internus animæ aſpectus reparatur, vt videre poſſit, quod antea non nouerat; aut certè modo alio multo viuaciori, quàm antea. Accede igitur ad ſacrã communionẽ, dicens eidem Domino, quem ſuſcipis: k *Domine adauge mihi fidẽ*: illumina tenebras meas, meq; diuinis tuis ſplendoribus repleEt tunc confide, quod ingreſſus dicet: l *fiat lux* in hac anima: & ſtatim fiet.

h *Luc.24.30*

In eum locũ. Lib.3. de conſenſu Euang.c.:5. Videlanſen. tbi.

i *1.Reg.14 27.*

k *Luca 17.5.*

l *Gen 1.3.*

2. *Spes.*

SECVNDA VOCATIO, quæ cum priori coniungitur, vt confirmetur & augeatur virtus SPEI, quæ ob noſtram puſillanimitatem debilitari ſolet. Quæ virtus, cùm innitatur Dei promiſſis; quæ fallere non poſſunt; & eorum pignoribus, quæ ab illo habemus: creſcit mirabiliter ex hoc diuino ſa-

cramen

cramento, cui Christus Dominus noster *sex* adiũxit insignes promissiones, in quib. velut compendio continentur omnes aliæ, quæ ad salutẽ & perfectionem nostrã spectant. Ait enim Ioan. 6. cap. *Qui manducat meam carnẽ, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo: Sicut ego viuo propter patrem, qui manducat me, viuet propter me; Non esuriet, nec sitiet vnquam: Qui manducat ex hoc pane, non morietur: sed viuet in æternum: Et in se habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quę possunt promissiones his esse splẽdidiores? & quę pignora maioris momenti ad ear i firmitatẽ & securitatem dare nobis potuit, quam diuinum hoc sacramentum? nam quod in eo latet, tantũ valet, quantũ omnes illæ. Cum huiusmodi ergo promissis ac pignoribus non concipies spem firmam, quod Deus tuas exaudiat orationes, à tuis liberabit periculis, donaq; concedet, quæ in his tibi promissis offert (quod si de tua imbecillitate dubitas, ipsum sacramentum ad hoc tibi datur, vt & illa reparetur.

m *Ioan. 6. 57. &c.*

§. *II. Idem Sacramentum gratiam augere, & feruorem in bonis operibus.*

Tertia Vocatio perfectior, est ad Gratiæ & Charitatis vitam recipiendam, quæ per Baptismum tribuitur; aut per pœnitentiam reparatur: imò interdum per ipsam cõmunionẽ reficitur: quando peccator non potens confiteri, & existimans, se habere cõtritionem, ad hoc sacramentũ accedit cũ eo tantũ dolore, quem Attritionem vocamus. tum. n. gratiæ vitam suscipit virtute cęlestis huius escæ, quæ, quòd Sit nouę legis sacramentũ, potest in aliquo casu, contritionis defectũ supplere. Ad eum modum, quo Philistæi; existimantes se magnũ honorem Arcæ Testamenti deferre, n *eam statuerunt iuxta Dagon* idolũ suũ: ad quam eam tũ intentionem respiciens Deus, nõ destruxit ipsam aram; nec voluit ipsam Arcã euanescere; nectamen voluit tam indignũ comitem eam habere: sed idolũ ex ara deiecit, & *abscisis capite & duabus palmis manuum, truncum iacere super terram.* Ita quando bona intentione diuinũ hoc sacramentũ in altari cordis tui collocas, in quo idolum est peccati mortalis, te id sine culpa non aduertente: non irascitur ipse Dominus, nec euanescet ex anima tua, sed idolum illud deijciet, abscindens eius insolentiam, ne tibi ampliùs noceat.

S. Thom. 3. p. 1. 80. a. 4. ad 5. Gratia & Charitas.

n *1. Reg. 5. 2. 4.*

Sed huiusmodi casibus omissis, vtpote raris, proprius Eucharistiæ effectus est, hanc vocationem perficere, cõseruando. vt S. Thom. ait, & augendo gratiam, quam alia sacramenta tribuerunt: In quo multùm adiuuat sacramentum Confirmationis, vt cum firmitate in perfectione crescãt: quàm qui illud suscipiunt, profitentur. Siquidem absque sacra communione non poterit, ad eius fastigium perueniri: Iuxta ipsius Saluatoris sententiam dicentis: o *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinẽ*

3. par q. 79. a. 1.

o *Ioan. 6. 54.*

habet

habet vitam æternam. Quemadmodum enim corporis vita absque cibo & potu corporali conseruari non potest: ita spiritualis animæ vita absque carne & sanguine, quæ in diuino hoc Sacramento ad eius nutritionem datur, conseruari non poterit: cum eo autem poterit vsq; in vitam æternam: quia à morte, quæ ob culpam incurritur, præseruat. Quod pulchrè expendit Sanctus Cyrillus, dum prędicta verba exponit: Quoniam caro (inquit) Saluatoris vnita est verbo diuino, quod est ipsamet vita, fit, vt nos illa viuificet, cùm eam sumimus. Ob eam enim causam, cùm Christus Dominus noster mortuos resuscitaret, non solùm verbo & imperio tanquam Deus vtebatur; sed nonnunquam eos etiam sua carne tangebat. nam filiæ Archisynagogi p *tenens manum* dixit: *Puella surge*: vt intelligeretur, etiam eius corpus vitam dare posse. si igitur mortui, tactu corporis eius resurgunt: quomodo non viuemus nos carnem eius manducantes? quemadmodum aqua, quamuis natura sua sit frigida, cùm tamen igni coniungitur, frigiditate reiecta, ignis calore feruet: ita nos quamuis natura corruptibiles, tamen participatione vitæ, quam nobis viuifica Domini nostri caro confert, erimus immortales. Quare æquum fuit, vt non solùm anima beatam vitam per Spiritum sanctum consequeretur; sed corpus etiam hoc terrestre, gustu & tactu eius visibilem hunc cibum percipiens, immortalitatem obtineret. Quis Hæbræos à morte præseruauit, cùm omnia Aegypti primogenita perierunt? an non id factũ propterea est, quòd illi agni carnes comederint; eiusque q *sanguine vtrumque postem & superliminaria* domorum, in quibus comedebatur, tingebant? an non figura hæc erat vitæ? quam dat nobis caro & sanguis Christi Domini, quem agnus ille referebat? hæc ferè Cyrill. Ex quibus diuini huius sacramenti efficacitas cognoscitur, in conseruanda ac perpetuanda spirituali animæ vita; & suo tempore etiam corporis. Id quod amplius ipse Christus Dominus exposuit, cùm dixit Iudæis: r *Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt: si quis* verò *manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Quamuis enim Mãna esset cibus medicinalis, & à morbis eos præseruaret, qui illud in deserto comederũt, iuxta illud Dauidis: s *Et non erat in tribubus eorum infirmus*: non tamen ex senectute & morte eos liberauit. Hoc autem diuinum sacramentum potens est animam à tribus his spiritualibus miserijs liberare. A *morbis* scil. quæ sunt peccata leuia, siue ex malitia, siue ex consuetudine, & à *senectute*, hoc est torpore, & virtutis tædio; & à morte, quam S. Ioannes *primum* appellat, & à *secunda*, quæ est mortale peccatum, & infernus: ac proinde potens est efficere tria bona tribus his malis contraria: salutem scil. animæ spiritualem, spiritus vigorem, & in gratia perseuerantiam, donec vitam consequatur æternam. Quam ob rem meritò potest comparari u *ligno vitæ*, *quod erat in medio*

para-

t ib. 4. in Ioan. c. 14.

p *Luc. 8. 55. Matt. 9. 25*

q *Exod. 12. 7*

r *Ioan. 6 49. 52.*

s *Psal 104. 37.*

t *Apoc. 20. 14. & 21. 8.*

Tria bona S. Eucharistia.

u *Gene. 2. 9*

paradisi terrestris, quod omnes hos effectus in corporibus efficiebat, præseruans illa à corruptione, & reparans (vt ait S. Thom.) naturalem eorum vigorem, ac iuuentutem renouans: qua ratione eorum vitam perpetuã reddebat, donec iustos Deus in cœlum transferret. Quid ergò mirum, si arbor hæc vitam det æternam, sanet, renouet, animasque confirmet, donec in cælis collocentur. Hoc Domini corpus (ait S. Bernard.) ægrotorum est medicina, peregrinantium leuamen, debilium confortatio, fortiumq; lætitia. Hic cibus est, quem Zacharias (vt LXX. verterunt) appellat x *frumentum iuuenũ, & vinum germinans virgines*, eò quòd spiritualem iuuentutem conseruet; & à senio & corruptione præseruet; ac puritatem & integritatem communicet in carne, & in spiritu. Ac propterea canit Ecclesia: *Introibo ad altare Domini; & sumam Christum, qui renouat iuuentutem meam.*

S. Tho. 1 p. q. 8 a. 3. & 4. Apud S. Tho. opusc. 59. c. 5.

x Zach. 9. 17

5.

Ex his apparet, quòd hoc diuinum Sacramentum plurimùm exaltet, perficiatque alteram illam vocationem ad bona opera exercenda: proferens nimirum fructus dignos pœnitentia, & dignos perfecto Christiano: & efficiens, vt omnes fructus sani sint, recentes, diuturni, ac valdè copiosi: quibus salus, renouatio, ac reformatio ipsius spiritus constanter ad finem vsq; vitæ conseruetur, & augeatur. Eius enim virtus est quasi arboris cælestis paradisi: de qua S. Ioannes ait, quod adferat y *fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum*, siue alij sint, atque alij; siue ijdẽ, singulis mensibus renouati: ne vnquam fructus recentes desint. quid autem hoc aliud est, quàm docere nos diuinæ huius arboris vim & efficacitatem in eo, qui dignè communicat? Nec hæreas propterea quod agnoscas te, ex te ipso esse arborem sterilem ac inutilem. Nam etiam z *oleaster* si *in bonam oliuam* inseratur, proferet (vt ait Apost.) fructus bonos, ac valdè copiosos. Cùm igitur Christus Dominus noster z *sit vitis, & nos palmites*; ille oliua frugifera, nos steriles & inutiles: inserere in hanc vitæ arborem, vt fauore & auxilio ipsius, fructus proferas, quos ille profert: nam verè omnes ab ipso proueniunt: ideoque ipsius potiùs sunt, quàm tui: cùm virtutem ab eo accipias ad eos proferendos. Aliquando proferet in te fructus recentes, inspirando tibi, teque extollendo ad nouos orandi modos, & internam cum Deo familiaritatem: nouaque exercitia, quæ priùs non erant tibi familiaria. Aliquando ordinarios quidem, & consuetos proferet fructus; sed renouatos ob nouam oblectationem, nouumque in eis exercendis feruorem, ita vt nunquam tibi recentes fructus desint: modò nõ te separes ab hac arbore, sed coniunctus illi permaneas per frequentem communionem: siquidem ipse dixit, a *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, ego scilicet opus in ipso faciam, ipseque idem faciet mecum, quia vterque vnus erimus spiritus, quemadmodum insertus ramus cum suo stipite.

y Apoc. 22. 2

z Rom 11. 24.

z Ioan. 15. 5.

a Ioan. 6. 57.

QVOD si scire velis, qui sint *duodecim* illi fructus, quos fœcundissima hæc arbor in te proferet, & quos tu cum eius auxilio producere debeas: memento duodecim illorum, quos Apost. b *fructus spiritus* appellat, in quibus reliqui omnes continentur: & intellige eos in sacra Communione valdè excellenter erumpere. Fructus eius est CHARITAS, quæ nos intimè cum Deo coniungit; GAVDIVM in Spiritu sancto, quod cor ipsum lætificat, atq; confirmat; PAX, quæ exsuperat omnem sensum, pacificans carnem & spiritum, & humanum spiritum cum diuino; PATIENTIA, quæ in laboribus & tribulationibus exultat; BENIGNITAS, quæ omnibus benefacit, etiam hostibus; BONITAS, quæ suauiter se reddit illis amabilem; LONGANIMITAS,, quæ diu sustinet, ac sperat; MANSVETVDO, quæ iram cohibet; FIDES, quæ certissimè credit, quod DEVS reuelauit; & confidit, se obtenturam, quæ idem promisit; MODESTIA, quæ omnes exteriores corporis motus componit, ac moderatur; CONTINENTIA, quæ passionum impetus intra legitimos limites continet; & CASTITAS, quæ corpus & animam angelica puritate sanctificat. Omnes deniq; virtutes & heroici earundem actus sunt huius sacramenti fructus. Nam quemadmodum vnus idemque cibus corporis, postquam sumptus est, & in stomacho coctus, est capitis, manuū, pedum, ac reliquarum partium corporis nutrimētū: quæ omnes, hoc recenti subsidio accepto, nouas sentiunt vires ad proprias actiones exercendas: ita spiritualis hic cibus spiritualiter, vt decet sumptus, est nutrimentum charitatis, humilitatis, obedientiæ; ac cæterarum virtutum; quas iuuat ad fructus suarum actionum cum renouatione quadam & perseuerentia producendos: ita vt nec, quòd continuentur, desinant esse recētes: nec quòd recentes sint, continui esse desinant in omnibus duodecim anni mensibus, totius videlicet vitæ decursu. Et hoc modo licet intelligere, quod Christus Dominus noster dixit, c *qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*, sc. in seipso: quia vitam quandam viuere potest, quæ sit imago æternæ & beatæ vitæ. eum in modum, quo ipsi beati cœlestem suum cibum semper sumunt absq; vllo tædio, sed cum recenti potiùs & cōtinua oblectatione: Quia semper vident Deum cum summo gaudio, nec vnquam ex eius aspectu defatigantur: potiùs recèns accipiunt gaudia accidentaria, vt eorum gloria aliquo modo renouetur: ita, qui, vt oportet, communicat, noua semper gratiæ augmenta obtinet; & nōnunquam recentes etiam spirituales sensus ac motus, quibus virtutum feruorem renouat.

b *Galat. 5. 22. S. Tho 1. 2. q. 70. a. 3 ad 4.*

c *Ioan. 6. 55.*

§. III. *Præbet etiam in omni spirituali conflictu auxilium.*

MAGNA etiam pars nostræ vocationis eò tendit, vt Christi Ducis nostri milites efficiamur, & aduersus Christianæ perfectionis ho-

stes

stes strenuè pugnemus: ad quod magnum præsidium confert sanctissimum altaris Sacramentum: dum reliqua sacramenta in proprijs eorũ munijs adiuuat. nam subsidium præstat ad reliquias peccatorũ lethalium, ac leuium, ipsasque sensualium appetituum passiones, & omnes Dæmonum impugnationes euincendas. Memento quod superius diximus: cùm d *clangerent buccinis sacerdotes* coram Arca testamenti, *muros Hiericho corruisse*, milites verò *ascendisse, & interfecisse omnia, quæ in ea erant*, quo facto significatur victoria, quam sacramentum confessionis obtinet, cùm sacerdotes absolutionis sacramentalis buccina clangunt: quam victoriam plurimùm adiuuat diuinum hoc sacramentum, Arcæ testamenti præsentia significatum: cuius virtute omnes dæmonis vires corrũnt, & inferni potestates tremunt: & ab eodem robur & fortitudinem accipimus, ad omnes eos vincendos: qui stant ab illarum partibus.

Tract. 3. c. 8. §. 1.
d *Iosue 6. 16. 20.*

Sed magis adhuc ad viuum depictum & expressum videbis huius victoriæ modum in eo, quod eadem Arca gessit, cùm eam sacerdotes portarent in Iordanem: nam e *ingressis eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ superiores descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescebant: quæ autem inferiores erant, in mare mortuum descenderunt vsquequo omnino deficerent. & sacerdotes qui portabant Arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Iordanis, omnisq; populus per arentem alueum transibat* ad alteram partem fluminis, vt promissionis terram ingrederetur. Quibus docet nos diuinus spiritus excellentem diuinæ nostræ Arcæ efficacitatem, ad peccata præterita omninò delenda; ea verò præuenienda, quæ de nouo nos aggrediuntur. Sensim enim mortificantur prauæ consuetudines, earumque reliquiæ: donec omninò consumantur: tentationes verò & calamitates, quę se se insinuant, & submersionem minantur, reprimuntur, & coërcentur, ne nos obruant: non quòd suo impetu nos non tangat: sed quòd nec submergere, nec nocere nobis possint, fauente nobis, & adiuuante sanctissimo hoc Sacramento, ad viriliter eis resistendum.

e *Iosue 3. 15.*

Constitve itaq; te coram hac diuina Arca tanquam altera Iericho, peccatorum & cupiditatum muro circumdatum, internisque hostib. plenum; & tanquam torrentem siue fluuium rapidissimum suarum prauarum inclinationum fluenta sequentem: & siquidem potestatem tibi facit absconditũ manna comedendi, comede demissè & confidenter: sperans, ipsius præsentia continendam tuarum passionũ furiã, tuisq; lapsibus finem imponẽdũ. Si terret dæmonis furia, eiusq; tentationũ terribilitas; hoc Manna comede q timores expellit, pusillanimes corroborat, magnumq; animũ in periculis addit. Si carnis passiones, & effrenis sensualitatis ardores te oppugnant: hoc Mãna comede, qui huiusmodi impet⁹ frãgit & ardores extinguit: vt spiritus

prævaleat,& victoriam obtineat. non enim absque mysterio, de antiquo illo Manna diuina refert scriptura: f *cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Manna.*

f *Num.* 11. 9. *vide Viegas in Apoc.* 2. *sect.* 10. 4. *Ros de nocte.*

QVID est autem aliud, descendere rorem *supra castra*, quàm de cælo descendere, vt esset pugnantium cibus, quos ad pugnandum confortaret, dulcique victoria remuneraret? Et quid aliud est *de nocte* descendere, quàm ad solatium dirigi eorum, qui tentationibus premuntur: (quas Dauid g *timores nocturnos* appellat) timidis animos addens, tristesque consolans: propterea enim fuit institutum in nocte passionis, quæ tota fuit tristitijs plena. Quid verò sibi vult, quod simul h *cum Manna ros descenderet* i *in similitudinem pruinæ super terram*, mollem scil. terram quasi pruina vel glacie operiens, ne ipsum manna terræ commisceretur & macularetur? O altissimum, & supremum Sacramentum: quod statim atque ingrederis animam, à carne & rebelli sensualitate oppugnatam, immittis congelatum rorem & glaciem quandam de cælo, qua eius ardores refrigerentur, tentationumq; importunarum vehementia temperetur.

g *Ps.* 90. 5.

h *Num.* 11. 9.

i *Exo.* 16. 14.

Manna mundum.

Hic est *ros* ille, quem k *Angelus similis filio Dei misit in fornacem* illam Babylonicam, in quam tres illi viri cõiecti fuerant, ne *ignis eos contristaret, aut molestiæ quidquam inferret.* Si igitur in media hac fornace constitutum te & impugnatum videris ab his flammis, stude tecum habere filium Dei viui, qui est in hoc sacramento, à quo cælestis hic ros fluet, qui eas extinguat, teq; refrigeret: ne tibi noceant, aut molestiam inferant. Scis benè: nolle eum, Mãna suum molli terræ commisceri: non enim benè cohærent solatia cœlestia cum terrenis delicijs: fi itaque has terrenas contemnas, descendet ros diuinæ gratiæ, quia eas dissipabit: vt sis tu capax cœlestium consolationum.

k *Dan.* 3. 50. 92.

Ros refrigerat.

DENIQVE si, vt oportet, communices, noli dæmones timere: ad te enim sentẽtia illa Ioannis spectat: l *vicisti Antichristum: quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Quid enim cogitas te facere, cùm communicas, nisi in domum animæ tuæ magnum quendam ducem, & infinitæ potentiæ bellatorem immittere: qui diuinæ suæ inspirationis gladio tuas passiones iugulet; fortemque armatum, qui eisdem te impugnabat, expellat? cogitandum itaque tibi est, cùm ad te ingreditur, eum tibi dicere, quod suis discipulis dicere consueuerat, m *nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam,* & cognatos & amicos ab inuicem: quando alter alterum à meo seruitio retrahit. Ne existimes, ô anima, quę me in communione suscipis, venisse me vt mundi huius pacem intra te constituerem: non ad pacem talem, sed ad pugnam ac diuisionem in te constituendam veni. meo enim auxilio aduersus inordinatas tuas af-

l 1. *Ioan.* 4. 4.

Christus bellator fortis.

m *Matt.* 10. 34. *Luca* 12. 51.

fectio-

fectiones, tibi pugnandū est;& ab eis,& personis, rebusque omnibus discedendum tibi est, quæ te à tua vocatione reuocare contendunt. Ego ipse gladius ero, quo sis pugnatura: cui si innitaris, vincere omninò poteris.

Ne autem nouum quid reputes, quòd hoc diuinum sacramentum simul sit *panis & gladius*, audi mysticum quoddam somnium, quod diuina refert scriptura de quodam milite, qui dicebat cōmilitoni: n *vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian* (qui populi Israel hostes erant) *descendere: eaq; percutere atque subuertere. Respondit autem is, cui loquebatur*, tanquam interpres: *non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius.* O sacramentum diuinissimum, quod simul es panis & gladius; Manna & framea valdè acuta: panis es, quia cor hominis confortas; Manna, quia spiritui indulges; gladius, quia virtutes à vitijs separas; & framea, quia occidis ac destruis omnes hostes animæ, ad quam ingrederis, passiones eius subijciens; tentationes superans, fugans dæmones; ac de tuis omnibus hostibus triumphans. Somniū, *eiusq; interpretationem cum Gedeon audiuisset*, (ait eadem scriptura) *adorauit; & reuersus ad castra Israel, ait: surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.*

n *Iudic 7.* 13. *S. Sacramentum panis & gladius.*

Quanto igitur magis est rationi consentaneum, nos magnum resumere animum ex veritate, quam hoc somnium significat? diuinus enim hic panis, gladius est veri Gedeonis, ducis populi Christiani: cuius virtute tradet tibi Deus omnia dæmonis castra; vt omnes te oppugnantes hostes disipes. & qui hunc panem comedunt (ait S Chrysost.) *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedunt, facti diabolo terribiles.* Ac propterea diuino præcepto obligamur, ad sumēdam communionem, vbi adest periculum mortis: quia enim tunc pugnæ sunt acriores; & media, quibus ad nos euertendos farhanas vtitur, magis tremenda; si nosipsos hoc viatico muniueri mus, fortiores ad eum vincendum euademus. Et propter eandem causam olim (vt S. Cyprian. aduertit) non permittebantur Christiani ad martyrij cōflictum accedere, quin prius hoc sacramento munirentur: vt Christvs Dominus noster & pugnaret in eis, & per eos vinceret Tyrannos omnes.

Homil. 61. ad pop.

S. Sacramentum viaticum.

Sed non est existimandum, diuinum hoc Sacramentum semper in prima communione hæc stupenda facere. Nam quemadmodum Arca testamenti diuerso modo, illa miracula, quæ supra retulimus, edidit: alterum in ipso primo accessu sacerdotum ad Iordanem. statim enim atque eorum pedes aquæ tetigerunt, absque vlla mora sunt in duas partes diuisæ: sed in altera, non statim atque Sacerdotes ad Iericho peruenerunt, muri corruerunt; sed postquam septies buccinis clangentibus ciuitatem circuiuissent.

Ex quo duos modos intelligemus, quib. Dominus noster vtitur ad indulgendum nobis in hoc sacramento. Aliquando enim immensa sua largitate vtens, vel in momento ditat pauperem, à periculo eripit, hostesque etiam in fugam conuertit, insultuum & conflictuum eorum vim & furiam compescendo. Vt plurimùm tamē hoc ipsum facit sensim, vt nostram probet perseuerantiam; augeatq; merita ex diuturnitate pugnæ, vt eò sit maior corona. Non itaq; abijcias animum, etiamsi frequenter confitearis & communices: & muros adhuc Iericho stare videas, carnisq; tentationes ac passiones adhuc viuere. Sed quemadmodum sacerdotes illi, etiamsi nullam in muris Iericho mutationem viderent primo die, nec secundo, aut tertio, nec ipso sexto: à circūeundo tamen non destiterunt: ita tu fideliter perseuera, communionem frequentando; & quamdiu DEVS voluerit, pugnam sustinendo: nam, cùm minimè cogitaueris, deijciet ipse hos muros, dabit tibi integram de tuis hosti bus victoriam. Quod si voluerit, hanc pugnam durare per septem dies omnes scil. tuæ vitæ, nec propterea animum abijcias, nam in ipso fine dabit tibi Deus pacem, simul cum æterna victoria.

Deus sensim sua dona largitur.

§. IV. *Etiam efficit perfectam cum Christo vnionem & similitudinem.*

VENIAMVS nunc ad supremam Christiani hominis vocationem, quæ in perfecta cum Christo Domino vnitione & similitudine consistit: quæ in summo gradu obtinetur per feruentem Communionem, cuius præcipuus fructus est, cōmunicantem transformare in ipsum dominū quem sumit, per intimam amoris vnitionē, cum eximia heroicarū eius virtutū imitatione, ita vt (quod etiam superiùs diximus (fiat *alter Christus*, non æqualitate, sed consummata similitudine. Nam quemadmodū (ait S. Chrysost.) Eliseus pro maxima hęreditate, Eliæ Melotem susc epit; & cum ea feruentem eius o *spiritum* quem scriptura *duplicem* appellat: *& erat posthac duplex Elias: & erat sursum Elias, & deorsum Elias.* vnus scil. in cœlo, ad quèm fuerat raptus; & alter in terra, spiritu indutus eius discipulus, qui & prophetabat, & miracula sicut ipse Magister edebat: ita etiam, quando CHRISTVS Seruator noster in cœlum ascendit, hæreditatem reliquit Ecclesiæ suæ, & cuius eius iusto, preciosissimam carnis suæ vestem: quamuis non propterea seipsum illa spoliauit, sicut Elias pallium suum dimisit: simul enim in cœlo est, & in terra in diuino hoc sacramento: cui⁹ sumptione facit nos alterū Christum similitudine: duplicem nobis spiritum tribuens, amoris scil. Dei, & amoris proximi; spiritum fugiendi malum, & bonum prosequendi; spiritum exercendi operà vitæ actiuæ, & opera vitæ contemplatiuæ; spiritum mortificationis, & orationis; spiritum faciendi, & docendi: denique spiritū gratiarum & virtutū in proprium nostrum commodum: & gratiarū gratis

Homil. 2 ad pop. in fine. 4. Reg. 2. 9. 15.

Spiritus duplex varius.

data-

datarum in commodum aliorum: ita vt per virtutem sacræ communionis discipulus fiat perfectus, sicut est magister eius; eaque faciat admiranda opera, quæ ille fecit. nam quemadmodum p *Eliseus pallio Eliæ diuisit aquas Iordanis*, sicut eius magister diuiserat; siccisq; pedibus transijt ad filios Prophetarum: qui videntes hoc signum, dixerunt: *requieuit spiritus Eliæ super Eliseum* ita etiam virtute carnis Christi, quam in communione sumimus, omnes difficultates superabimus, quæ occurrunt ad perfectionem obtinendam: adeoq; præclara opera faciemus; vt reliqui iusti propterea dicant verè spiritus Christi requieuit super hunc hominem: qui iam ipse non viuit; sed viuit in ipso Christus & per eum hoc tempore facit, quod per seipsum faciebat, cùm in mundo viueret. Sed quemadmodum idem Eliseus, priùs quàm Eliæ pallium acciperet, q *vestimenta sua diuisit in duas partes*: ita qui grandia huiusmodi opera facturus sit in virtute vestis Christi, eius scil. carnis sanctissimæ, diuidere debet ac mortificare suam propriam, ac rebus temporalibus & perituris renunciare: nam supra vestem carnis peccatis maculatam, & in suis passionibus integram, non potest aptari vestis purissimæ carnis Saluatoris: neque noui hominis & cœlestis Adami veste cooperire se potest, qui non lacerat exuitque vestem veteris hominis & Adami terreni.

p 4. *Reg.* 2. 14.

Spiritu Christi viuimus.

q *sup. ver.* 12

Exuendus vetus homo

Qvare ad perfectam hanc similitudinem spectat, vt quemadmodum Christus Dominus noster simul est in cœlo & in terra; hic tectus humili velo sacramenti; in cœlo verò detectus cum omni sua gloria & pulchritudine: ita etiam qui frequenter dignè cõmunicat, eò perueniat, vt etiamsi corpore sit in hac valle lacrymarum, tractando & agendo cum hominibus: spiritu tamen r *conuersetur* (vt ait Apost.) *in cœlo* & paradiso delitiarum, cum Deo agens & cum Angelis eius. Et similiter quo ad exteriora vitam ducit communem & ordinariam, in habitu humili & contemptui exposito: quo ad interiora verò vitam agit singularem valdè, & extraordinariam, luce & splendoribus plenam: ita vt, cùm sacram Communionem expectat, dicat illud, quod idem Apostolus subiungit: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, vt illud configuret corpori claritatis suæ.* Imprimendo scilicet carni nostræ & animę qualitates, & gloriosas carnis suæ proprietates: vt & caro nostra subiecta sit & vnita spiritui; spiritus verò firmissimè cum Deo suo coniunctus.

r *Philip.* 3. 20.

Intus magnus, foris paruus.

CAPVT

CAPVT V.

VISITATIONES CHRISTI D. N. IN SANCTISSIMO Sacramento, earumq; effectus: & septem considerationes circa eas.

VT MEDITATIO reliquos diuini huius Sacramenti effectus assequatur, cõijciendi sunt oculi in varios modos, quibus magnus noster Deus a, (*cuius delitiæ sunt, esse cum filiis hominũ*) dignatus est eos visitare, vt arctiorem cum eis familiaritatẽ cõtraheret. eos autem modos ad tres præcipuos reducere possumus. *Primus* fuit per Incarnationis mysterium: quãdo b *per viscera misericordiæ suæ* (vt dixit Zacharias) *visitauit nos oriens ex alto*, factus homo, vt cum hominib. conuersaretur: & per triginta trium annorum spatium multas in varijs locis visitationes fecit, in magnum eorum commodum, quos visitabat: Cùm autem necesse esset eum in cælũ ascendere, non potuit immensa eius charitas prætermittere; quin filios ac discipulos suos, quos in terra relinquebat, visitaret; modo licèt à priori illo valdè distincto, formam induens cibi in hoc diuino Sacramento, in quo omnes terræ prouincias, & loca visitat; & singulos etiam homines, qui suscipere ipsum velint: faciens in hoc visitationis modo effectus illos, quos faciebat in priori aduentu: cui tertium etiam adiungit aduentum inuisibilem, DEI, quà DEVS est, proprium: cùm scilicet animas visitat. non quòd veniat de nouo ad locum, in quo prius non esset: quia ipse immutabilis est, & in omni loco præsens: sed quòd de nouo in eis incipiat aliquos gratiæ suæ effectus producere, quos prius non faciebat: quemadmodum in alio loco ostendimus.

a *Prou.* 8. 31.

b *Luc.* 1. 78.

Tres visitationes Dei.

In Duris spirit. tract. 1. c. 20.

De his visitationibus intelligitur illud spõsæ: b *Ecce dilectus meus venit saliens in montibus, transiliens colles.* Veniens ad redemptionem, (ait S. Gregor.) quosdam saltus dedit. nam de *cælo* venit in templum; de *templo* in Aegyptum; de *Aegypto* in Nazareth; de *Nazareth* in *Iordanem*; & inde in desertum; ex *deserto* in ciuitates *Iudææ*; & *Galilææ*; & ex eis venit in crucem; ex *cruce* in *sepulchrum* & *lymbum*, vnde iterum redijt in terram; & ex *terra* ascendit in cœlum. Nec tamen ab his saltibus adhuc desistit: cùm quotidiè ex cælo saltet ad hoc sacramentum, nunc in hac Ecclesia, nunc in illa. & in ipso sacramento salit ad hominum diuersorum pectora, omnes visitans ad suum erga eos studium ostendendum, eosque ditandos. Quamuis autem dicatur *salire*, vt veniendi celeritas, & lætitia indicetur: simul tamen cum ea grauitate & quiete venit, vt tam diu apud singulos hæreat, quamdiu illis est vtile. de eo enim scriptum est: quod esset c *quasi colonus futurus in terra & quasi viator declinans ad manendum*: venit enim quasi peregrinus & viator,

b *Cant.* 2. 8. *Homil.* 29 *in Euang. circa finem.*

Christus exultat.

c *Ier.* 14. 8.

venit

quia propria eius habitatio non mundus est, sed cœlum: vnde ad terram descendit, tanquam transiens vt redeat in cœlum, iuxta illud quod dixit in nocte vltimæ cœnæ: d *vado & venio ad vos*; venit enim, cùm Sacramentum consecratur; vadit verò, cùm sacramentales species consumūtur; vadit quà homo est; sed manet, quà Deus; discedit interdum, quoad fauores sensibiles, manet verò, quoad gratias & dona virtutum, quas largitur. Et quamuis quoad externum apparatum veniat tanquam viator & peregrinus, sicut princeps, qui habitu mutato aliquò proficiscitur; secum tamen suos thesauros adfert, quos liberali manu ijs largitur, quos visitat.

d *Ioan.* 14. 28. *Christus vadit & manet.*

§. I. *Septem insignes Saluatoris nostri visitationes.*

QVOD in his sanctissimi Sacramenti visitationibus agitur, licet meditari ex ijs, quæ facta sunt in septem insignioribus visitationibus, quas CHRISTVS ipse Dominus noster in mortali hac vita peregit: circa quas septem subijciam considerationes, quæ vsui esse possint antè & post sacram Communionem, & Missæ sacrificium in septem hebdomadæ diebus.

I. *Annuntiatio.*

DOMINICA die considerabis primam verbi diuini visitationem, quando in vtero Virginis factus est homo: ad quam visitationem ipsa Virgo sanctissima se præparauit profundissima *humilitate*, ingenua *resignatione*, & perfecta *obedientia*, quam verba illa eius ad Angelum significant: e *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* cui verbum diuinum tantum gratiarum, donorumque cœlestium in primo illo ingressu communicauit, vt ipsa agnouerit maiestatem eius, quem in suo vtero concepisset. Qui statim illi inspirauit, *vt cum festinatione ascenderet in montana Iudæ, in domum Zachariæ.* vbi heroica præstitit *humilitatis* & *charitatis* opera. In hunc ergò modum præparare te debes, ad visitationem excipiendam, quam tuus Saluator facturus est, dum communicas: dicens illi: vnde hoc mihi, Domine, vt cùm vilis sim seruus, pane filiorum alar? sed, quia seruus sum, obedire me oportet: quare ad te suscipiendum, quia tu ita iubes, accedo. Et quoniam in ipsa Communione visitatio renouatur Incarnationis: renouabis & tu feruentes affectus, quibus antiqui sancti, & ipsa Virgo sanctissima illam desiderabāt, ac dices: f *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* g *Visitasti nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum*: vt bona scilicet experiamur, quibus tui electi fruuntur. h *Vtinam dirumperes cœlos & descenderes: à facie*, & præsentia *tua montes diffluerent* miseriarum mearum. Quòd si te Dominus ita benè dispositum inuenerit: fauores ac delitias tales visitatione sua tibi communicabit, vt ex eis facilè agnoscas i *virtutem Altissimi* venientis, vt *tibi obum-*

e *Luca* 1. 38.

SS. Patrum desiderium.

f *Psal.* 84. 8.

g *Ps.* 105. 4.

h *Isa.* 64. 1.

i *Luca* 1. 35.

obumbret. Et quò hæc dispositio magis crescet, eò & crescet fauor, & ipsius erga te studium : nam, quamdiu hic sol iustitiæ in breui Iusti mundo est, lux eius est ; illumque illuminat & accendit, vt luce & ardore fruatur, quem ipse secum adfert : opere ipso hic etiam præstans, quod Hieremias dixit, vt nos ad pœnitentiam impelleret, vt supra perpendimus : k *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Quid enim magis nouum, quàm hoc diuinum Sacramentum: in quo vir quidam nouus cum eadem magnitudine, qua est in cœlo, latet, panis accidentibus tectus ? & hac ratione ad te ingreditur in ipsa Communione, vt in virum alterum te conuertat. Et statim inspirat tibi, vt feruenter ascendas ad fastigium perfectionis, gloriosa obsequij ipsius opera exercendo. Nam quemadmodum cibus & potus corporis generat vitæ spiritus, qui operum naturalium sunt principium ; ita cibus & potus spiritualis, carnis & sanguinis CHRISTI, producit spiritus vitæ, non humanæ, sed diuinæ : inspirationes scilicet & illustrationes, à quibus opera cœlestia procedunt. Cuius cibi potusque spiritualis virtute ascendes sicut alter Elias l *vsque ad montem Dei*, celeriter pergens de virtute in virtutem vlq; ad culmen earum.

Tract. 3. c. 2.

k *Iere 31. 22.*

l *3. Reg. 18.*

2. *Visitatio.*

SECVNDA FERIA considerabis alteram visitationem, quam fecit Christus Dominus noster, cùm esset in vtero Virginis sanctissimæ: quæ instar lecticæ eum vexit in domum Zachariæ: vt tanquam Redemptor visitaret Ioannem infantem in matris suæ vtero manentem, suæque redemptionis fructus eidem applicaret, *septem* ei insignes & excellentes exhibens fauores. Mundauit enim eum à suo *peccato*; repleuit *spiritu sancto*; accelerauit ei *rationis* vsum, ita illum illustrans, vt diuinum verbum agnosceret *incarnatum*, à quo visitabatur, quamuis in vtero adhuc Virginis latente ; tantam ei attulit *lætitiam*: vt *præ gaudio exultaret in ipso vtero*; fecit illum suum *Prophetam*, qui statim cœpit opere ipso, quasi prophetare ac dicere: m *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, & eius causa etiam *matrem*, in cuius vtero latebat, Spiritu sancto repleuit: qui quasi per suæ matris os loquens, dixit verba illa: n *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me* ? cuius visitationis virtute sanctus est ipse *abstinens*, *pœnitens*, & *contemplationi* addictus, ac roboratus ad vitam admirabilem ducendam, quam prosecutus est postea in deserto.

7. fauores. Ioannis.

m *Ioa. 1. 29.*

n *Luc. 1. 43.*

Communi tantium dona 7.

SIMILES fauores gratiasque tibi exhibebit CHRISTVS Dominus noster, quando te in in hoc Sacramento visitabit, tanquam Redemptor: vt priuatim applicet tibi suæ copiosæ Redemptionis fructus. *Purificat* enim te ampliùs à tuis peccatis, & minimos quosque vitiorum nævos, quos humana fragilitas mole corporis prægrauata & præpedita faciliùs incur-

rere

rere solèt, tam piè delet, atque eradit, vt nihil omninò in anima tua prætermittat, quòd diuinæ suæ maiestatis oculos offendere possit, aut quo minùs ipse Dominus noster eam, magna cœlestium consolationum abundantia, inhabitet; Adhæc *Spiritu* sancto in ea plenitudine te replet, quam tua dispositio requirit; te *illustrat*, vt ipsum agnoscas, sentiasque, quantumuis occultus ipse maneat; *lætitiæ* spiritum cum tantis iubilis infundit, vt extra te ipsum effundere, & exire cupias; vt illi seruias & operibus prophetare, quòd ipse sit Agnus Dei, qui mundo dat vitam & salutem; & ex abundantia consolationis, qua tuus spiritus afficietur, ipsum etiam corpus adeò sanctificabitur; vt & o *cor & caro tua exultent in Deum viuum*: & vtrumque benè propensum & affectum maneat ad temperantiam, pœnitentiam, & orationem, reliquasque virtutes cum magna in eisdem constantia & firmitate.

o *Psal.* 83.3.

Sed quemadmodum Christus Dominus noster, quamuis per tres menses in domo Zachariæ manserit, ei tamen non statim eandem contulit gratiam, & fauorem; sed mutum reliquit, in pœnam incredulitatis præteritæ: quem tamen in fine etiam Spiritu sancto impleuit; eiusq; os aperuit, vt ob tantum beneficium, Deum laudaret dicens: p *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*: Ita aliquando aridum te, mutumq; relinquet idem Dominus in sacra Communione, in pœnam aliquorum defectuum antiquorum: sed oportunè replebit spiritu deuotionis: vt nouo feruore illum benedicas.

Gratia Dei aliquando differtur.

p *Luc.* 1. 67.

Denique quemadmodum Arca testamenti in domo Obededom relicta per tres menses, ei benedixit, totique familiæ ita liberaliter & copiosè,, vt Rex Dauid sancta quadam æmulatione dixerit: q *Ibo & reducam arcam Dei cum benedictione in domum meam*: ita quando viua noui testamẽti Arca per sacram Communionem ad feruentem iustum ingreditur: tot illum benedictionibus replet, vt alios ad eam suscipiendam alliciat, dicentes: volo me ipsum animare, vt ad Communionem accedam, quò dignetur hic Dominus suam benedictionem mihi etiam, quemadmodum aliis, impertire.

q 2. *Reg.* 6. 1

Æmulatio communicantium.

Feria Tertia considerabis tertiam Saluatoris nostri visitationem: cùm scilicet visibilis prodijt in *Bethlehem*, (quæ vox *domum panis* significat) ad mundum visitandum: vbi r *positus fuit in præsepio* inter duo animalia, vt intelligeretur venire ipsum tanquam cibum eorum, qui more bestiarum vixissent, vbi etiam fuit à *pastoribus*, & ſ *Magis adoratus*: & *militia cælestis* solennem illum hymnum cecinit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Quid igitur existimas, animã tuam esse, quãdo cõmunicas, nisi ipsam Bethlehẽ, ac domũ viui huius panis; de cælo descendentis? & quid pectus tuũ, nisi præsepiũ quoddã, in quo positũ est verbũ diuinũ

3.
Nativitas.
r *Luc.* 2. 7.

ſ *Matt.* 2. 11.

incarnatum, vt potentiarum sensuumque tuorum sit cibus & alimentum: hic enim locum habet, quod dixit Dauid: t *Animalia tua in hæreditate tua habitabunt: parasti in dulcedine tua* escam *pauperi, Deus.* In hæreditate enim Ecclesiæ tuæ habitant iusti, qui gregis tui sunt oues, & animalia gubernationi ac directioni tuæ subiecta: quibus tamẽ etiãsi ex se pauperibus, escam præparasti summæ dulcedinis, sacratissimum scilicet tuum corpus in hoc Sacramento. Accedant igitur omnes animæ tuæ facultates ad spirituale hoc præsepe, vt panem quo alantur, accipiant: hic enim Dominus est u *amicus* ille, qui *tres illos dat panes amico petenti:* qui (vt SANCTVS BERNARDVS interpretatur) sunt panes *veritatis*, pro intellectu, quem sanctis implet cogitationibus; & *charitatis* pro voluntate, quam effectibus feruentibus accendit; & *fortitudinis*, pro ipsa carne, quam ad pia opera præstanda corroborat: Ibi in societate Angelorum adstantium cantare licet ipsorum hymnum. Nam in sacra Cõmunione gloriam das in excelsis DEO; tibi verò pacem in terra obtines, bonamque voluntatem diuinæ in omnibus conformem. Eodem accedere debent ipsæ tuæ facultates cum Pastoribus ac Magis: vt Dominum in præsepio illo iacentem adorent, agnoscentes, summo honore eum esse dignissimum. Nullus enim (ait Sanctus Augustinus) carnem Domini comedit, quin prius eam adoret: de ea enim intelligitur illud Dauidis, x *Adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est*: & illud, y *edent pauperes & saturabuntur: manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Quasi diceret: attendite, quia diuinus hic panis, cibus est pauperum, ac diuitum, Pastorum, ac Regum: quos omnes oportet adorare, quando eum comedunt: quia sanctus est, summaque adoratione dignus. Quamuis (vt idem Sanctus Augustinus perpendit, saturitatem Dauid attribuit pauperibus, eò quòd auidiùs & maiori appetitu eum sumant; adorationem verò tribuit diuitibus, eò quòd magis in eis resplendeat ratio reuerentiæ. Siue autem pauper sis, siue diues; demisse comedas ac reuerenter, saturaberis, bonisque, quæ ipse Dominus te inuitans largietur, replebéris. Caue, (vt ait Sanctus Chrysostomus) ne Herodi efficiaris similis, & dicas: *vt & ego veniens adorem eum.* qui tamen interimere conabatur: huius etenim similes sunt, qui indignè abutuntur Communione mysterij: nam schemate quidem & externa reuerentia eum adorare videntur; reipsa verò, & quantum in ipsis est, eum interimunt, quem adorare se similant. & cùm Magi tam longo itinere cucurrerint, vt natum viderent, & adorarent, suaque munera offerrent: cur tu CHRISTVM DOMINVM in spirituali situm præsepio, altari scilicet, derelinquis? si te quispiam introducere pollice-

t *Psal.* 67. 11.

u *Luc.* 11. 5. *Serm de Rogat.*

Tres panes.

in Psal. 89.

x *Psal.* 98. 5

y *Psal.* 21. 27. 30.

Epist. 120. *ad Honoriũ c.* 27. *diuites adorant, pauperes saturantur.*

Homil. 7. *in Matth. vltra mediũ.*

retur

retur ad Regem, vndique coruscantem, atque inter varios suæ pompæ ornatus sedentem, an non magna propensione ad eum videndum accederes: etiamsi nullum tibi commodum ex hoc sequeretur? at verò ex hac mensa Regis cœlestis fons emanat spiritualium bonorum: quomodo ergò tu illam tam facilè relinquis? Quare, si mundus es, accede, adora, & communica: excute torporem. Hæc ferè Sanctus Chrysostomus.

Frequentanda S. Communio.

FERIA QVARTA, considerabis Visitationem quartam, qua Saluator noster ad Hierosolymitanum templum accessit: vt prophetiam impleret Malachiæ: z *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis*; & Aggæi dicentis: a *Veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria. Magna enim erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm prima.*

z *Mala.3.1.*

a *Aggæi 2.8.*

QVOD euenit, vt suprà insinuauimus, quando CHRISTVS D. N. templum illud sua præsentia honorauit. Statim enim atque ingressus est, æterno se patri obtulit *oblationem* purissimam pro salute humani generis: Sanctumque Simeonem suæ lucis radio illustrauit, vt eum agnosceret: qui agnitum cum ingenti amore & reuerentia in suas vlnas accepit. ex quo tantum gaudium & consolationem hausit, vt non cuperet amplius in hoc mundo viuere; sed dixerit: b *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum Verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quæ igitur magis propria imago esse potest eius, quod in sacra Communione geritur? ante illam enim permittit idem Dominus Angelum inuisibilem, diuinam scilicet inspirationem, quæ animam præparet, ipsum suscepturam: quasi ei dicens: quod canit Ecclesia: adorna thalamum tuum Syon, & suscipe Regem CHRISTVM, qui ad te visitandum, tecumque tanquam in suo templo manendum, venit: iuxta illud Apostoli: c *Nescitis, quia templum* DEI *estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

Oblatio Christi.

b *Luc. 2.29.*

c *Cor. 3.16.*

EIVS etiam præsentia erit gloria tua, multo maior, quàm fuerit templi Salomonis. Quando enim communicas, Angelum recipis noui Testamenti, omnibus gentibus desideratum: *quem* & ipsi *Angeli desiderant prospicere.* cuius aspectu beati efficiuntur. Est verò tanta eius charitas, vt non solùm potestatem tibi faciat, sicut Simeoni, in tuis vlnis & manibus ipsum suscipiendi; sed etiam, tanquam cibum in viscera tua traijciendi: vt hoc cibo ita satureris, vt viuendi desiderium, mortisque timorem de-

d *1. Pet. 1.12.*

ponas: efficit enim, vt, quidquid homines, terrenis immersi cupiditatibus, indefesso labore in hoc miseriarum, oceano consectantur, tibi prorsus vilescat, vsque eò, vt anima dolore afficiatur, si diutius horum inferiorum contemplationi, ob corporis terrenos affectus, immorari cogatur; ac proinde, anima sic iubente, & quodammodo impellente, vt ex hoc corporis carcere liberari dissoluiq; desideres, necesse est, sicq; eum clarè, & sine velo videre possis.

Homil. 24. in 1. Corint. »*Viaticum.* »» »» NOMINATIM verò effectum hunc efficiet vltima Communio, quæ pro viatico sumitur. Hæc enim mensa (ait S. Chrysostomus) fortitudo est animæ, & fiduciæ vinculum, quare si hoc cibo confortatus ex mortali hac vita decedas, cum magna fiducia ad cœlestem aulam ascendes, quasi veste pretiosissima, auro intexta ornatus. Portas enim tecum ipsum cœlorum Dominum: cuius intuitu Angeli te comitabuntur, & ad eius deducent thronum.

Lib. 6 de sacerdotio. e *Luc. 2. 34. Zelus honoris Christi.* SED & illud est aduertendum: etiam competere huic Sacramento, quod Sanctus Simeon beatissimæ Virgini de eius filio dixit: e *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum: & in signum, cui contradicitur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hæretici enim illi contradicunt, negantes quod recta fides confitetur; & peccatores tam exigua illum reuerentia sumentes, atque si merus esset panis vt meritò dicere liceat, *mors est malis, vita bonis.* Malis enim tanquam lethalis est casus, & petra scandali; bonis verò resurrectio est ad vitam, & panis nutritionis & consolationis. Si igitur hunc Dominum diligis, meritò animam tuam pertransibit doloris gladius: quod eum videas à tot hominibus contemni, studendo ex parte tua, magni, vt par est, illum facere, & cum sancto Bernardo dicere: quò vilior pro me es factus: eò eris mihi pretiosior, & charior.

Serm de Epipha.

f Isai. 19. 1. 19. 24. Fuga in Aegyptum. FERIA QVINTA licebit considerare quintam Saluatoris visitationem, cùm fugit in Aegyptum, de qua dixit Isaias: f *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum; & commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius. In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptii Dominum: & colent eum in hostiis, & muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent, & benedicet illis Dominus exercituum.* Id quod testibus Eusebio & Sancto Hieronymo impleri cœpit, quando verbum diuinum in purissima suæ humanitatis nube, & in vlnis excellentissimæ nubis Virginis eius matris ingressum est Aegyptum, in cuius ingressu simulachra & idola omnia Aegypti corruerunt: in signum quod ipse Dominus idololatriam esset è mundo extirpatu-

Lib 6. Demonstrat. Euang. c. 20 & lib. 1. c. 4.

rus;

rus; veram autem religionem ibidem plantaturus. Iure autem optimo (ait Sanctus Augustinus) caro Christi comparatur nubi, vt quæ diuinitatis solem obtegat: non vt obscuret, sed vt temperet immensæ eius claritatis splendorem. *Tract. 4. in Ioan.*

Christi caro nubes.

Ob eandem autem causam nubis similitudo aptatur meritò huic diuino Sacramento: in quo panis accidentia splendorem tegunt glorioſi corporis ipsius Christi. Vocatur autem *nubes leuis*, non quòd non sit immensarum gratiarum aquis onerata, ad irrigandas & fœcundandas animas; sed ob eius celeritatem, qua hinc inde mouetur, vt opus suum faciat. Quæ in animam ingressa, omnes vitiosas rerum mundanarum appetitiones, quæ illam à verò solidoque bono detortam & abactam, in omnium vitiorum turpitudinem præcipitare possent, exscindit, omnia idola, omnesque inordinatas affectiones deijcit, sicut g *Arca testamenti idolum Dagon ex eius altari proiecit*: inserit verò in eadem anima spiritum veræ religionis. g 1. Reg. 5. 3

Cogita itaque cùm sacram Communionem sumis, animam tuam esse Aegyptum; & cor tuum esse illud altare, in quo ipse Dominus hac nube tectus collocatur. Quare te ante ipsum prosterne, supplexque ora, vt detestanda tua idola destruere dignetur. Offer illi dona & vota tua: quæ vt reddas, ipse iuuerit, pete vt tibi benedicat, efficiatque vt via amoris eius h *dirumpatur* (vt idem Propheta ait) *Spiritus Aegypti in visceribus tuis*; & arescat spiritus amoris proprij. Et quemadmodum Virgo sanctissima, & Sanctus Ioseph nec laborem itineris sentiebant, nec mansionem in Aegypto: eò quod infantem illum secum haberent, qui tota erat illorum consolatio, & leuamen: ita eiusdem Domini in hoc Sacramento manentis societate, quietus & contentus eris: etiamsi humana consolatio & protectio tibi desint. Ipse enim summum bonum, vltimusque finis, ad quem obtinendum omnes nostræ contentiones, studiaq; referenda sunt; in ipso siquidem omnium consolationum & gaudiorum plenitudo, quæ vel desiderari, vel mente concipi possit perfectissimè obtinetur. h *Isai. 19. 3.*

Feria Sexta considerare licebit visitationes Christi Domini nostri tempore suæ prædicationis: quibus varia erga homines officia præstitit. Nam tanquam *Magister* discipulos suos visitabat, tanquam *pastor*, suas oues; tanquam *redemptor* eos, qui in captiuitate tenebantur; & præ cæteris tanquam *medicus*, visitabat ægrotos. Nunc enim ad ipsorum domus se se inuitabat, quemadmodum fecit cum *Zachæo*: in cuius domum ingressus, dixit: i *Hodie salus domui huic facta est*: nunc vocatus & rogatus, vt visitaret, libenter id faciebat: i *Luca 19. 9.*

6. *Prædicatio Christi.*

quem-

quemadmodum fecit cum k *Archisynagogo*: cuius domum ingressus, filiam eius mortuam vitæ restituit; & statim iussit *dari illi manducare*: ad significandum (vtait Sanctus Ambrosius necessitatem, qua vrgentur, resuscitati, sumendi cœlestem cibum, vt gratiæ vitam possint conseruare.

ALIAS non accedens infirmorum domum, omnipotentiam suam verbo, eis sanandis absens, ostendebat: vt fecit cum filio *Regulι*: præcipuè cùm illi ob modestiam & humilitatem indignos se existimabant, ad quos visitandos ipsemet accederet; sicut euenit t *Centurioni, cuius, puer iacebat in domo paralyticus.*

HVNC ergò in modum cogita, venire Saluatorem ad te visitandum, dum communicas: & nominatim venire tanquam medicum, iuxta illud Augustini: *Magnus de cœlo medicus aduenisti, quia magnus in terra iacebat agrotus.* Aliquando ipse inspirat, iubetque, vt ad suscipiendum accedas; aliquando vult, te id desiderare, & à te rogari. Ingredienti verò, mox cum animi demissione infirmitates tuas aperies: sua enim visitatione te ab eis liberabit. Si u *omnes infirmi, quicunque vel simbriam eius vestimenti tangebant, salui fiebant*: quanto magis (ait Sanctus Chrysostomus) ad id sufficiet, tangere & suscipere ipsummet Saluatorem in hoc Sacramento: ex quo virtus exeat, qui tuam infirmitatem sanet? Tange illum fide, & charitate, quemadmodum illum x *tetigit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur*, & experieris virtutem eius in reprimendo fluxu amoris proprij. Ne tangas eum sicut turbæ, *quæ illum comprimebant & affligebant*. nam (vt ait Sanctus Gregorius) qui minus reuerenter cum illo agit, quod in se est, illum affligit, & nullum ex eo tactu commodum refert. contra verò tanta est huius Domini liberalitas: vt, quando præ humilitate & reuerentia, aut ex alia iusta causa non possis illum suscipere, remuneret te fauore aliquo eorum, quos in ipsa Communione exhibuisset. Nam etiam absens solo verbo potest infirmos sanare; sic enim sanitatem nobis per Sacramenta impertitur: vt eius virtus non sit eis alligata.

7.

SABATHO visitationem eam considerabis, quam sanctissimi huius Domini anima fecit ad animas sanctorem Patrum, qui detinebantur in lymbo. de quo dicit Scriptura diuina: y *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes sperantes in Domino*, qua visitatione lymbum illum in paradisum conuertit: remunerans præteritos seruorum suorum labores, clara diuinitatis ipsius visitatione. Hunc in modum huius Domini anima nostram in sacra Communione visitat; & cor, quod erat instar lymbi in imaginem conuerrit paradisi; explens illud: quod promiserat per Isaiam,

dicens

k *Matt.9.18 25. Mar.5.22. 43. Luc.8.55.*
Lib.6.in Luc.
l *Ioan.4. 46.50.*
t *Matth.8.7.*
u *Matth.14 36.*
Homil 51.in Matth.
x *Luc.8.44.*
Reuerentia S.Sacramenti. lib.3.Maral. cap.11.
Spiritalis Communio.
y *Eccl.24. 45.*
Descensus ad inferos.

dicens: z *Tunc delectaberis super Domino & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui.* ipsomet: scilicet Christo, qui est electorum hæreditas; vt incipias in ipsa terra cibum illum delibare, quem tibi præparatum habet in cœlo.

z *Isai.* 58. 14

Mox licebit visitationes illas perpendere, quas post suam resurrectionem fecit Saluator. Quas aliquando, quasi habitu mutato, vt a *peregrinus*, *aut* b *hortulanus* faciebat: donec sensim protracta familiari conuersatione, quis esset ostenderet: aliàs verò statim se agnoscendum exhibebat suis Apostolis, quibus tum c *vulnera ostendebat*, & vt ea tangerent inuitabat; tum etiam, vt comederent de *fauo mellis*, & *pisce* tosto *super prunas*, & pane quodam prodigiosè facto, dicens eis, *venite prandete.* Quid autem hoc totum erat, nisi figura quædam eius, quod in sacratissimo hoc Sacramento geritur? in quo ipse Saluator, mutato quasi habitu, panis & vini figura tectus, ad te visitandum venit. Quod si in familiari cum ipso consuetudine per orationem perseueres: aperiet tibi oculos animæ, vt eum agnoscas, & præsentiam eius diuinam sentias; diuinique huius conuiuij præstantiam experiaris. in quo piscem tibi porrigit super prunas assum: qui (vt ait Sanctus Augustinus) Sacratissimum eius corpus significat, multis tormentis tostum? & fauum ipsius diuinitatis, cum omnibus suis admirandis perfectionibus: implens omnia tua desideria dulcedine, quam in se continet. Audi itaque vocem tui Magistri dicentis: *venite & comedite.* Et si esuris ac sitis iustitiam: diuinum hunc panem comede, & saturaberis: ille enim est sapientia tua, iustitia, sanctificatio & redemptio tua, illi sit honor & gloria in æternum.

Luc. 24. 16. 11.
b *Ioã.* 20. 15.
c *Luc.* 24. 42.
d *Ioan.* 21. 10. 13.
Apparitiones Christi.

Tract. 131. *in Ioan.*

§. 2. *Sanctissimam Eucharistiam lecticam esse Saluatoris, ad has visitationes faciendas.*

Explicemvs adhuc amplius harum visitationum Saluatoris nostri thesauros, ex ijs quæ liber Canticorum refert de mystico illo ferculo siue gestatoria sede, quam fecit sibi Rex Salomon, vt facilius posset per plateas Ierusalem deferri. a Fercvlvm (inquit) *fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.* quod totum præclarum fuit humanitatis Christi Domini nostri symbolum: quam diuinum Verbum sibi ipsi fabricauit, vt in ea inæstimabilis gratiæ suæ thesauros ostenderet. Fecit enim eam imprimis ex *lignis Libani* ob eius sublimitatem, puritatem, & incorruptibilitatem, quibus illam exornauit; columnæ erant *argenteæ*, ob gratias ac dona Spiritus S.

a *Cant.* 3. 9

Vide Martin. Delrio. qui refert. Alanum pro hac expositione.

quibus illa innitebatur; splendens prædicatione, operibus ac prodigijs, quæ passim edebat. *Reclinatorium* erat *aureum*: ob excellentissimam charitatem, & vnionem beatificam, qua beatissima eius anima fruebatur: *Ascensus* ipsaque sedes *purpurâ* erat induta; quia tota eius temporalis vita ex quo fuit incarnatus, donec exspirauit in cruce, cooperta fuit laboribus tita vt, quo magis ætate crescceret, eò etiam magis crescerent labores. Ipsum porrò *medium Charitas* occupabat, ipsum scilicet verbum Patris, quòd est verus DEVS, & ipsamet Charitas per essentiam: eratque in ferculo illo, ac throno quasi sedens; in quo ab vna in alteram partem deferebatur, vt *filias Ierusalem*, animas scilicet iustas recrearet, doceret, ac in bono promoueret. earum siquidem causa humanitatem hanc induit, vt illi afficerentur, eumque diligerent, sicut ipse illos diligebat. quod clarius exprimit alia lectio, quæ habet: *in medio est ipse, accensus vel combustus, ob filias Ierusalem. in medio* scilicet ipsius ferculi *est ipsemet* Salomon *accensus*; & ab amore ob filias Ierusalem *combustus*: quia eas desiderat accendere, eodemque amore vrere, vt ament, sicut amantur; gaudeantque videre, & obsequi illi, qui tantoperè illas amat, adeoque ingentia illis bona largitur. Sed cùm necesse esset, eum in cœlum ascendere; ne hic amor tepesceret, mirabili vsus est stratagemate: sic enim ascendit, vt voluerit etiam nobiscum manere, cooperiens ipsum ferculum, vt posset in eo per ipsum mundum circumferri, ita vt omnes videns à nemine nisi fidei oculis, videretur. Non enim aliud est sanctissimum Sacramentum, nisi ferculum, regiaque sedes veri Salomonis, velo illo externo cooperta, quod exterius apparet, cùm intus totum suum habeat ornatum.

Vide Ludouicum Legionensem.

S. Sacram. Lectica Christi.

1. *Cedrus Libani.*

QVEM si fidei oculis penetres: videbis tibi sacratissimam illam Humanitatem, tanquam *cedrum Libani*, tanti *candoris*, vt ipsa nix in eius præsentia, nigra videatur; tantæ *pulchritudinis*, vt stellæ ipsæ obstupescant; tantæ *incorruptibilitatis*, maiestatis & fortitudinis, vt Hierarchiæ cœlestes in eius præsentia contremiscant.

2. *Columnæ.*

IBI quoque sunt septem *columnæ* ex argento purissimo: quia secum habet *septem Spiritus S.* dona, omnesque gratias, scientias, & excellentias, quarum suprà fecimus mentionem.

3. *Reclinatorium.*

IBI etiam *reclinatorium* videbis ex auro purissimo: in quo diuinum Verbum reclinatur: excellentissima scilicet *vnio* diuinæ eius personæ cum sacratissima Humanitate: in qua quietem, & requiem suam DEVS inuenit, præ omnibus alijs creaturis: ex qua oritur vnio illa accensissimia moris, quo sanctissima illa anima verbo ipsi est vnita, factaque vnus spiritus cum eius spiritu.

4. IBI quoque est *Ascensus* ille *purpureus*, qui etsi tantùm pœnarum & i-

gnomi-

gnominiæ illi attulit, dum vixit in hac vita mortali : adeò tamen glorioſus & honorificus fuit in eius oculis : vt ipſemet velit quotidiè eius memoriam repeti, intra hoc ferculum : & in ſuo corpore ſigna illa manere, eò glorioſiora in ſuis pedibus ac manibus, quo maiorem eidem pœnam prius attulerant. *Aſcenſus purpureus.*

5.

Denique ſub iſto velo tectus manet ipſemet *Rex* Salomon, *accenſus & combuſtus* amore in ſeipſo, ob deſiderium accendendi, & inflammandi filias ipſas Ieruſalem, quæ ſunt ipſæ animæ, viua fide ipſum aſpicientes, cordisque pace & quiete eum contemplantes. Sed quis non accendatur amore cœleſtis huius Regis, ſi eum videat adeò ipſius amore accenſum & combuſtum ? Quodnam erit adeò frigidum cor, quod ferculi huius fabricam, vt oportet aſpiciens, reſiſtere poſſit igneis radijs, quos ipſe Saluator intus manens, ex ſe iaculatur ? b *O filiæ Sion, egredimini, & videte Regem Salomonem* in ferculo, quod conſtruxit, vt ad vos viſitandas veniret, vobiſcum verſaretur, præſentia ſua vos honoraret, gratiaque & inflammata ſua charitate locupletaret. Hoc idem ferculum eſt ſimul *thronus*, ex quo tanquam Rex vos gubernat; & *cathedra*, ex qua tanquam Magiſter docet; eſt *thalamus*, in quo tanquam Sponſus ſuauiter aciucundè vos recreat; *menſa* etiam eſt, in qua vos tanquam Pater alit. Inde tanquam *medicus*, vobis medetur; tanquam *dux*, protegit; vt *paſtor*, gubernat; & lactat, vt *mater*. *Amor Chriſti.* b *Cant.* 3. 1. *Chriſti tituli.*

6.

Quod ſi verò ſemel & ſimul audire cupias, quid in hoc ferculo lateat, vt magis ei afficiaris, qui tanto te amore proſequitur : intellige, ipſum propterea venire, vt c *ponat ſe quaſi ſignaculum ſuper cor tuum : vt ſignaculum ſuper brachium tuum* ; & in anima tua ſimilitudinem imprimat inſignium ſuarum virtutum : vt & ipſe eius ſis ferculum, in quo hinc inde per mundum deferatur. Quid exiſtimas eſſe te, ô anima, quæ dignè communicas, niſi veri Regis Salomonis *ferculum*, ſiue lecticam, in qua corporaliter ipſe manet, quamdiu perdurat Sacramentum ? poſtea verò manet etiam ſemper tuo ſpiritui per gratiam ſuam vnitus? Huius Domini præſentia, tanquam *cedrum* te facit montis *Libani*, *candidum* ob innocentiam ; *magnum*, ob animi magnanimitatem ; *incorruptibilem*, ob traditam tibi fortitudinem. Ipſe exſtruxit in te *columnas* argenteas ; exornans & corroborans te donis ac virtutibus ſuis Facit te aureum ſuum *reclinatorium* : quia ipſe in te requieſcit ; & tu in eo per intimam conſuetudinem ac dulcem contemplationem : qui, vt poſſit aſcēdere, tecumque ex inſtituto manere, *gradus* ſuos conficit, ac purpura induit, inſpirans, teq; adiuuans ad varia mortificationis exercitia obeunda, quibus patientia & obedientia tua perficiantur. indue ignominiæ eius pur- *Communicans eſt lecticæ Chriſti.* c *Cant.* 8. 6.

puram, vt eiusdem gloriæ purpurâ vestiaris; humilia te exterius, vt interiùs exalteris: super omnia autem ipsemet est intra te *accersus & combustus* amore, quem erga te habet; vt & tu simili amore in eum accendaris. Eucharistia (ait Sanctus Ioannes Damascenus) est pruna quædam accensa: quia caro Christi, diuinitatis eius igni est coniuncta: quam suscipimus, vt participatione diuini ignis igniamur, ac deificemur, ob insignem, quam ad Deum acquirimus, similitudinem. Et quemadmodum scintilla, si abscondatur in stramine totum in ignem conuertit, ita (ait Sanctus Cyrillus) diuinum verbum incarnatum in nostra natura absconditum, illam deificat, sibique reddit similem in amore & puritate. LXX. Interpretes vertunt: *intimum eius lapidibus constratum.* & vox, qua hic vtitur Scriptura, significat *lapides* instar *prunarum* splendentes, quales sunt carbunculi. vnde etiam alia vox deducitur, quæ significat *panes prunarum*, hæc est inter eas coctos.

Lib 4. Fidei cap. 14.

Lib 4 in Ioan. c. 5.

Carbunculus & panis prunarum.

O diuina Eucharistia, & Carbunculus, tanquam ignis splendens, verus prunarum panis, qui comedentem accendis, suscipientem ditas, teque tangentem purificas! tu Carbunculus ille es tanquam pruna, *quem* vnus *Seraphyn forcipe tulerat de altari, tangensq; os Isaiæ, abstulit iniquitatem eius, & peccatum mundauit.* qui reuera & nos mundas, & accendis; facisq; in ardore similes ipsis Seraphynis, vt etiam in terra participes efficiamur vnitionis amoris, quo illi fruuntur in cœlo, in æternum, Amen.

Isai 6 6. Ita LXX. & S. Hieronym. ibid

CAPVT. VI.

GENERALIS ET SPECIALIS AD FREquentem Communionem vocatio: variæ rationes, signa, ac documenta.

ACCEDAMVS nunc ad *alteram* rationem & viam cognoscendi excellentias sanctissimi Sacramenti ex admirabilium affectuum experientia, quos efficit in recipiente: si tamen, quomodo oportet, recipiatur: nullus enim est cibus adeò pretiosus, & delicatus, qui saporis sui præstantiam omnibus sumentibus vniuersim communicet; sed iis tantum, qui palato sunt sano, & ad percipiendum saporẽ proportionato. Sed, cùm cibus hic de cœlo descendat, necesse etiam est inde prouenire id, quod nos facit dignos, qui eius saporem percipiamus. &, cùm ipsemet DEVS mensam hanc sternat, ac præparet: idem nos ad eam inuitabit, a *veste*q; *dabit nuptialem*, qua dignè ad eam in eius præsentia accedamus.

a *Matt. 22. 3. 12.*

b *Omne*

b *Omne enim datum optimum & omne donum perfectũ de sursum est, descendens à Patre luminum*: quod autem datum melius est eo, quod hoc diuinum Sacramentum præbet? & quodnam donum perfectius ea perfectione, quã idem communicat? id autem totum de cœlo venit, ex liberali cœlestis nostri Patris munificentia, qui nos & vocat, & iuuitat ad ipsum suscipiendum: eaque nobis inspirat, quæ præstare debemus, vt tanto beneficio fruamur. iuxta illud, quòd ipsemet Dominus dixit, in eo sermone, quo mysterium hoc promulgauit, dicens: c *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum; & nisi fuerit ei datum à Patre meo*: diuina. n. vocatio impedimenta remouet externa & interna huius sumptionis: famem adfert ac desiderium eam delibandi; auxilium præstat ad procurandas dispositiones necessarias, vt digne huic mensæ possis assidere; efficitque vt re ipsa eam sentias, eiusq; copiosis fructibus fruaris. Nam per hanc vocationẽ d *Rex* cœlestis manu dilectæ suæ sponsæ arrepta, *introducit eam in cellaria sua, & in cellam vinariam*, vbi donorum suorum dulcedinem & efficacitatem offert delibandã. Quod si hæc vocatio necessaria est ad reliqua Christianæ vitæ excellentia opera præstanda, vt supra est dictum? quanto magis ad hoc opus erit necessaria, in quo omnium perfectio, quasi compendio cõtinetur, estque ad eam perfectissimè obtinendam via & medium? quam ob causam diuina sapientia, postquam sibi ædificasset domum Ecclesiæ, cum ea pulchritudine & diligentia, quam Tractatu primo descripsimus: & vocaret, qui in ea habitarent; expressè meminit diuini huius Sacramenti dicens: e *venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Quis autem hic panis est, & quodnam hoc vinum, (ait S. Cyprianus) nisi quod in sancto Missæ sacrificio offertur? vocat autem, suum, quia idem ipse, qui nos inuitat, est ipse panis & vinum, quod nobis porrigit. Et quoniam quod maximè pretiosum est ac delicatum, id etiam maximè allicit, attrahitque ad se cor humanum: ideò hoc cibo & potu, vtpotè pretiosissima ac delicatissima re totius Ecclesiæ, nos inuitat ad eam ingrediendam, & altissimam euangelicam perfectionẽ, quam illa profitetur, procurandam: ita implens, quod Propheta dixit: f *in funiculis Adã trahameos, in vinculis charitatis, & declinaui ad eos, vt verecerentur*: funiculi Adami & vincula charitatis sunt fauores & beneficia, quæ in sublimi hoc conuiuio nobis exhibet, quibus ad suum obsequium fortius suauiusque nos trahit, quam alijs donis: quia non solùm cũ sponsa post Christum g *currimus, odorem* percipientes *vnguentorum eius*; sed etiam corpus & sanguinem eius degustantes, ac dulcedinem percipientes, quæ ex eis prouenit. Si homines illi, quibus Christus Dominus ex quinque panibus, quos habuit in deserto, cibum dedit, miraculum admirati: & suauitatem, quam ex hordeaceo illo pane eius manibus multiplicato sentiebãt, attoniti, eum

b *I. c. 1. 17. Deus disposuit ad S. Sacramentũ.*

c *Ioa. 6. 44. 66.*

d *Cant. 1. 4. & c. 2. 4.*

Suauis Dei vocatio.

Prou. 9. 5.

Epist. 3. lib. 2

f *Osea. 11. 4*

g *Cant. 1. 3.*

h *Ioan.6.27.* sequebantur: quid mirum, si post eundem eant, qui ex eius manu hunc vitæ panem suscipiunt, qui ita alterum illum excedit, sicut id quod viuit, excedit depictum? & ideò ipse CHRISTVS Dominus illis dixit: h *operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*

§. I. *De Generali ad sacram Communionem vocatione.*

SED vt hic modus innotescat, quo DEVS nos ad hoc conuiuium vocat, & allicit: præmittendum est, vocationem ad huius Sacramenti vsum esse duplicem. Generalem alteram, omnibsque Christianis communem: alteram specialem & electorum propriam, in casibus magis particularibus.

Ioan.6 à versu.32. I. PRIMA vocatio innititur ijs omnibus, quæ dicit Christus D. N. cùm Sácti huius Sacramenti necessitatem & excellentiam proposuit, omnes inuitans ad eius carnem comedendam, & bibendum sanguinem. Quum vocationẽ explicare licet eo modo, quo idem Dominus vocauit homines; cùm dixit: i *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos.* quæ enim refectio magis est necessaria & vtilior hac, quam in hoc cibo & potu ipse nobis præbet? eâ enim iugum eius suaue fit, & onus valdè leue. In illis autem duobus verbis: *laboratis & onerati estis*, duo insinuat causarum & motiuorum genera: hanc refectionem sumendi; vt bonorum operum labor, & pœnalitatum onus commodè portetur, iuxta illud, quod dixit per Oseam, k *ero eis quasi exaltans*, & subleuans *iugum*, quod *super maxillas* portant, & *declinabo ad eos, vt vescantur.* Quemadmodum enim solicitus agricola cùm videt boues arando defatigatos, pabulum eis præbet, quo vires nouas recipientes, laborem prosequantur; sic enim vix iugum, & onus eius sentiunt: ita misericors DEVS noster solicitus est, vt laborantes in iugo legis eius portando, alleuiet ac recreet: se ipsum humilians, ad præbendum suauissimum corporis sui cibum, vt comedant: cuius virtute iugum redditur suaue, & labor leuis ac facilis. Eius enim misericordia ipsum vrgere videtur; vt verba illa suauissima nobis dicat; quæ suis discipulis dixit, cum quatuor millibus hominum cibum præbuit, ex septem panibus: *misereor* (inquit) *superturbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via.* Illi (ait S. Remigius) triduo sustinent Christum, qui ad eius obsequium per veram pœnitentiam sunt conuersi, cogitatione scilicet, verbo, & opere; contritione, confessione, & satisfactione pro suis peccatis. Quos si ieiunos dimitteret, deficerẽt in via: quia opera illa valdè sunt laboriosa. ideoque, vt eos reficiat, animumque ad progrediendum addat, subuenit illis cibo diuini sui corporis, conuiuio illo *septem* panum adumbrato: quatenus eorum cor septem Spiritus S. donis, & septem præcipuarum virtutum Theologicarum & Cardinalium augmento corro-

k *Oseæ 11.4.*

Marc.8.2. Matt.15 32.

Apud S.Th. in Catena Matt.

borat.

borat. Non est Christus D.N. sicut crudelis ille m *Dominus Amalecita, qui dereliquit puerum suum, in ipso itinere, quia agrotare cœperat: vbi mãsit per tres dies, nec comedens panem, nec bibens aquã*; ideoq; erat in periculo mortis: sed similis potiùs est misericordiæ Dauidis, qui videns puerum illum in tanta miseria constitutum, iussit pueros suos, *dare ei panem & aquam: & reuersus est spiritus eius & refocillatus est.* Nam si n *aruit cor tuum* ac defecit, *quia oblitus es comedere panem tuum*, pijssimo huic Domino cura est monere te, vt accedas & comedas; refocilleris, & non pereas.

m 1. Reg. 30. 13.

n Psa. 101 5.

2.

CLARIVS adhuc expressum hoc apparebit in Elia, cùm tristis ac defatigatus, & ex persecutione Iezabelis afflictus, tædio vitæ affectus, o *petiit anima sua, vt moreretur; & cum porrexisset in desertum viam vnius diei, sedit subter vnã Iuniperũ, & obdormiuit in vmbra Iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eũ dixitq; illi: surge, & comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. reuersusq; est Angelus Domini secundo, & tetigit eum, dixitq; illi: surge, comede: grãdis enim tibi restat via. Qui cũ surrexisset, comedit, & bibit; & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* vbi solatium inuenit suorum laborum. An non igitur hoc totum figura fuit & imago cœlestis vocationis per Angelum illum custodem? is enim, cùm tristem te videt, ac desolatum ob tentationes vrgentes; aut tædio affici virtutis ob torporẽ te opprimentem; ac defatigatum proijcere te ad dormiendum, & quærere solatium aliquod tui laboris: tunc (inquam) ille te excitat, suisque inspirationibus suadet, vt surgas, & ad vnicum omnium horum malorum remediũ confugias, ad sanctissimum scilicet hoc Sacramentum, igne charitatis coctũ, & extremæ humilitatis cineribus coopertum. Sed quoniam vnica comestio ordinariè non sufficit ad omnem tristitiam, torporemque depellendum: secundò te excitat, ac sæpius: inspirans, vt sæpiùs eundem cibum sumas. nam, si cum spiritu id facias, ille somnum ac tædium, quo afficeris, expellet, animumque addet ad perfectionis iter prosequendum, donec ad eius fastigium peruenias: in quo plenum tui laboris solatium inuenies.

c 3. Re. 19. 4.

3.

Ex quo apparet, quod vocatio diuina inuitet nos ad supremi huius Sacramenti vsum, in omnibus periculis, & magnorum laborum & pugnarum occasionibus: nam, vt supra est dictum, egregium tribuit robur animique fortitudinem; ad strenuè nos in eis gerendum. Memento illius temporis & occasionis, qua Christus D.N. Apostolis suis dixit: p *Accipite & comedite*: & inuenies, id factum nocte suæ passionis, cùm scilicet magnas tribulationes expectarent. his eos armis munire volens, ne deficerent. & ipsemet DOMINVS, ad nostrum exemplum, eodem viatico se muniuit, præbibens sanguinis sui calicem tanquam dispositionem &

p Mat. 26. 5. Cor. 11. 24.

muni-

munimen, ad passionis calicem ebibendum. Nihil enim est, quod facilioré reddat afflictionum, & tribulationum calicem: quàm diuinus hic calix, qui bibentium inebriat corda. q *O quam præclarus est* (dicit Dauid) *calix meus inebrians.* quemadmodum enim homo; nimio vino ebrius, non sentit contéptus, & ignominias; nec onera etiam grauia curat: ita si calice hoc tuæ salutis inebrieris: magno animo, passionis calicem etiam amarissimum exhauries. Nam si paululum r *farinæ*, quam *Eliseus misit in ollam* carnium, tanquam mortem amaram, satis fuit, vt *nihil amaritudinis in olla remaneret*: quomodo panis hic cœlestis non sufficiet, ad dulcorandam omnem huius vitæ amaritudinem?

q *Psal.* 22. 5.

Sobria ebrietas.

r 4. *Reg.* 4. 41.

§. 2. *Summa rationum, quæ persuadent frequentiam Communionis.*

Frequenter communicandum.

VT EXACTIVS capiatur vis generalis huius vocationis; operæ pretium fuerit, breuem quandam rationum summam hic ponere, quibus illa nos inuitat, persuadetque frequentiam sacræ Communionis. PRIMA Ratio, cui reliquæ innituntur, est; quod ea sit voluntas Christi D. N. eiusdem diuini Sacramenti authoris: cuius voluntatis omnia signa habemus, quibus diuina volũtas solet nobis innotescere quam vbi agnoscimus: illa sola pro ratione sufficit; meritoque alijs rebus omnibus est præferenda. Hæc signa seu indicia eius voluntatis perspicientur in reliquis rationibus, quas adferemus.

1. *Quia Deus vult.*

IDEOQVE SECVNDA ratio est, quòd idem ipse Dominus in precatione quotidiana, (vt ait S. Cyprianus) iubet, diuinum hunc *panem supersubstantialem petere, vt quotidie detur.* Et quemadmodum *panem quotidianum* appellat, quo corpus nutritur; ita eodem nomine nutrimentum animæ appellat, vt sic ostendat desiderium, quo tenetur, vt eum ab ipso petamus: & vt eadem frequentia vtrumque sumamus. Ac propterea S. Ambrosius dicit: si panis est quotidianus, cur illum post elapsum annũ suscipis? Sume quotidiè, vt quotidiè tibi prosit. Huc accedit TERTIA ratio ex materia, qua hoc Sacramentum fuit institutum: ex pane scilicet & vino, ordinario & quotidiano hominum cibo: qui etsi cibos alios pro diuersis temporibus habeant: (nam aliquando carnibus, aliquando piscibus vtuntur) at panis & vinum est quotidianum alimentum, quod cum omnibus alijs cibis sumitur: ita etiam licèt anima varios habeat spirituales cibos, quibus alatur, & Scriptura diuina b *panis & vini* nominibus eos appellet, eò quòd sint ordinarium eius alimentum: peculiari tamen ratione voluit ipse Saluator, hoc Sacramentũ in reali & vera panis & vini forma & specie instituere: vt intelligeremus, debere esse ordinarium & quotidianum nostrum alimentum. Huc accedit QVARTA ratio, eò quòd animæ necessitas, continua sit

2. *In expositio. Orat. Dom. a Matt. 6. 11. Luc. 11. 3. quia panis quotidianus Lib. 5. de Sacram. c. 4.*

3. *Quia panis est ordinarius cibus.*

b *Prou. 9. 5.*

4.

& quo-

& quotidiana, quemadmodũ est ipsius corporis: cuius substantia & humidum radicale habet intra se continuam quandam vim, calorem sc. naturalẽ, qui ipsum consumit, ac destruit: nisi, quod à calore ipso consumitur, continuò nutrimento reparetur. In hunc modum, quoniam etiam anima intra se se ipsam habet, quod continuè virtutem eius consumit, *amorem* scilicet *proprium*: frequenti indiget reparatione, sumptione scilicet panis huius cœlestis. nam licèt alij sint cibi, quibus hæc iactura reparari possit, nullus est tamen æquè, atque hic ad id potens. Et verendum ait Sanctus Cyprianus) ne, qui sacro hoc cibo priuatur, etiam omninò deficiat: deficientibus aũt viribus spiritus, facilè vincetur à suis passionibus. c *aruit enim cor meum* (ait Dauid) *quia oblitus sum comedere panem meum*: Hoc ipsum valdè confirmatur ratione QVINTA, ob continuos scilicet conflictus, quibus à Dæmone, mundo, & carne vrgemur; & ob continua pericula, quibus versamur, in grauia peccata incidendi. Cùm igitur pretiosum hoc Sacramentum, fortissimus sit Clypeus contra omnes hostes; & efficacissimum Antidotum, ad præseruandum ab omnibus spiritualibus morbis: vult noster hic supremus Dux, ac medicus, hisce armis, & hoc præseruatiuo Antidoto nos munire, & præparare, ita frequenter illud sumendo, sicut opus est, vt ex his conflictibus salui euadamus. Est PRÆTEREA eiusdem Dei voluntas, vt quotidie in virtute crescamus; & in eius obsequio non retrocedamus, hæreamus, aut lento passu pergamus: sed vt alacriter progrediamur. erit igitur diuinæ eius voluntati valde consonum, vt Communionem sacram frequentemus: cuius effectus est, non solùm conseruare, sed etiam augere spiritus feruorem: quemadmodum cibus magnæ substantiæ, non solùm corpus nutrit, sed etiam impinguat; & facit, vt crescat: quando in ea est ætate, vt crescere possit. SEPTIMA ratio desumitur ex fine, quem Saluator noster respexit, cùm diuinum hoc Sacramentum instituit: memoria scilicet suæ passionis, & beneficiorũ, ac gratiarum, quas nobis contulit. Cùm igitur sit æquissimum, quotidiè nos esse memores plurimorum, quæ nostri causa est perpessus; & quotidiè gratias agere ob beneficia, quæ quotidiè accipimus: æquissimum quoque erit, quotidiè offerre illi diuinum hoc sacrificium, aut eidem assistere, & sanctissimi huius Sacramenti participes fieri: vt nostra memoria recentior sit, & viuacior; gratitudoque magis deuota: dum ei coniungimur, qui tantum bonum nobis confert. Signum est enim, quod & ipsum benefactorem, & eius beneficium parui æstimemus: nisi ea frequentia eoque modo gratos nos exhibeamus, quo ipse optat, ac petit.

OMNES hæ rationes confirmantur OCTAVA ratione, consuetudine scilicet Ecclesiæ primæuæ tempore Apostolorum, qui optimè nouerant Christi D.N. voluntatem: valdeque gaudebant, quod ea executioni

Quia necessitas continua.

In expos. Orat. Dom.

c *Psa.* 101. 5.

5. *quia tentatio & certamen continuum.*

6. *quia proficere debemus.*

7. *vt sit Eucharistia perpetua.*

8. *a primitiua Ecclesia.*

mandaretur: quam vt explerent, d *erant perseuerantes in communicatione fractionis panis*: ex quo tantus proueniebat fructus, vt vel ex eo satis appareret, à Deo esse eam consuetudinem, quæ tales fructus proferret: Quam sub grauibus pœnis iussit seruari S. Anacletus Papa, eò quòd inciperet iam aliquis tepor obrepere. Hvc accedit, quod SS. Patres, & insigniores Ecclesiæ Doctores, per quos Dominus noster nos alloquitur, suamque aperit voluntatem, suadeant (vt refert S. Thomas) hanc frequentiam Communionis, & ad eam exhortentur. æquum autem est, filios sequi, & amplecti consilia Patrũ; & non reprobare, aut reijcere consuetudines, quas illi approbarunt: quia facilè esset incidere in periculum, labendi in errores ministrorum Antichristi: qui hoc maximè agunt, vt laudabilem hanc consuetudinem, ac iuge sacrificium ab Ecclesia tollant.

d *Act. 2. 42. In Epist. de cret. c. Episcopus §. 1. de consecra. 9.*

3. p. q. 80 a. 10 vbi allegat SS. Ambros. & August infra citandos. SS. Patres.

DENIQVE nihil tutiùs facere potest Christianus, qui viuum sit Christi membrũ & Ecclesię: quã si desideria & actiones suas, cum sui capitis, eiusq; Ecclesiæ Catholicæ actionibus cõformet, per quã ille nobis eas proponit, ac manifestat. Cùm igitur ipsa Ecclesia per sacrum Tridentinũ Cõcilium dicat, se desiderare, vt fideles in sacro Missæ, cui intersunt, frequenter cõmunicent, nõ spiritualiter tantùm, sed etiam sacramentaliter, ad maiorẽ profectum ex ea suscipiendũ: rationi omninò est cõsentaneum, eius membra idẽ desideriũ habere; magnoq; feruore ac diligẽtia illud executioni mãdare. Ne tñ ex his rationibus occasionẽ aliqui accipiãt, in alterũ extremum incidẽdi, quotidiè pro arbitratu suo cõmunicandi, operę pretiũ est declarare, in quibus occasionibus illæ locũ habeãt. *Primũ* itaq; locũ habẽt rationes prædictę in ipsis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit, diuinum hunc panem sibi & alijs consecrare: illi enim, & sacrum Missę facere, & cõmunicare quotidiè deberẽt, quemadmodũ suo loco dicemus. Ac præterea, q̃ in ipsis est, debent semper pro alijs fidelibus pręparatũ illũ habere: optantes & operã dãtes, vt frequenter illi cõmunicent. nã quemadmodũ nõ decet, panẽ filiorũ mittere canibus; ita est periculosum ipsis filijs cùm pętunt, (si tamen vt oportet, petant) illũ denegare. Locum deinde habent eædem rationes in reliquis fidelibus, qui magnam propter eas propensionem habere deberent, frequenter communicandi. Non vt seipsos ex eisdem tantùm rationibus gubernantes, quotidiè cõmunicent; aut ita frequenter, sicut propriũ illis iudiciũ suggerit: quia in hoc posset sæpè magnus error ac deceptio euenire, contra spiritum Christi D. N. Qui quemadmodum voluit seculares homines non consecrare hoc Sacramentum, nec proprijs illud manibus sibi sumere; sed per manus Sacerdotum, quibus solis & consecratio, & distributio competit; ita etiam voluit eosdem sæculares in ea frequentia dirigi iudicio prudentum Sacerdotum & Confessariorum, qui illorum conscientias gubernant. Et

Sacerdotibus hac maximè dicta.

10. *Concil. Tridentinum. Sess. 13. c. 8. & sess. 23. c. 13.*

& laicis. sed cum consilio.

S. Tho. 3. p. q. 80. a. 10. ad 4.

quemad-

quemadmodum intolerabilis esset error, ex prædictis rationibus deducere, quod expediret, tres Missas quotidiè facere, aut ter communicare, sicut corpus ter in die sumit refectionem: (nam Ecclesia ipsa, eiusdem Christi spiritu edocta, maiorem ducens rationem reuerentiæ tanto mysterio debitæ, quàm voluntatis eius, qui vult communicare: non obstantibus prædictis rationibus, decreuit: neminem, nisi semel in die communicare, exceptis quibusdam casibus ab ipsa notatis) ita etiam ad eandem Ecclesiam pertinet per suos ministros, Pastores scilicet, & Confessarios singullis præscribere, qua frequentia communicare debeant, ne in extremum nimietatis incidant. Nec vim contra hoc habet, si quis dicat: Confessarium eo ipso, quòd pœnitentem absoluat, eundem approbare, dignumque, qui communicet, iudicare: siquidem per absolutionem maximum communionis impedimentum, quod est peccatum lethale, remouetur. Non, inquam, id valet: alioquin si carnalis peccator, qui ante horam cum muliere peccasset, id nunc confiteretur, posset arbitratu suo statim absque maiori aliqua necessitate ad Communionem accedere; idemque os cum purissima hostia consecrata coniungere, quòd paulò antè adeò maculatum fuisset, & sordidum. Scimus præterea, sanctos Patres præter peccata lethalia, quædam alia impedimenta assignare frequentis communicationis: vt ea cum reuerentia, ac decentia debita suscipiatur: cùm dixerit Apostolus: e *multa mihi licent, sed non omnia expediunt,* nec decens est, eum, qui ex confessione discedit animo permanendi in multis peccatis venialibus, etiamsi sit iustificatus, æquè tamen frequenter communicare, atque eum, qui statuit ab omnibus illis abstinere. Nec ipsemet Saluator contentus est generali vocatione, qua omnes ad frequentem communionem inuitat, sciens nimirum, non omnibus eandem frequentiam conuenire. Ideoque cum vnoquoque iusto specialibus alijs vocationibus vtitur, quibus efficaciter eum permoueat ad eam frequentiam, quæ illi magis conueniat.

Mediocritas vbique seruanda.

Absolutio sola non sufficit.

S Tho. sup. a. 7.

1. Cor. 6. 12.

§. 3. *De speciali ad frequentiam sacræ Communionis vocatione.*

SPECIALIS suauiorque vocatio, qua Christus D. N. electos suos ad maiorē huius Sacramenti frequentiā inuitare solet, vt plurimùm incipit, postquam illi, dies permultos in sanctis operationibus se exercuerunt; vultque ipse singulare suum erga eos studium & fauorem ostendere; bonaq; illa opera remunerare; & spiritū addere, vt prosequantur, & in perfectione virtutum omnium proficiant: vt apparet in ea vocatione, cuius mentio fit in libro Cnaticorum, cùm dixit ipse: a *veni in hortum, messui myrrham*

a Cant. 5. 1.

rham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo. comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Qua sententia ordinem explicat, quem eius electi in ipsius imitatione tenere debeant, ad ipsum sumendum. Primum enim metenda est myrrha, mortificationis cum qua simul virtutes colligant: quæ tanquam species aromaticæ, sanctorum operum fragrantiam exhalent. quod vbi copiosè valdè (vt metendi verbum indicat) præstiterint: illos inuitat, vt fauum cum eius melle comedant, aut (iuxta LXX. Interpretes) eius panem cum eius melle; eiusque vinum cum eius lacte bibant. Per panem hunc & vinum (vt S. Ambrosius explicat) Sacratissimum suum corpus & sanguinem intelligens, quemadmodum in hoc Sacramento est, cum ineffabili illa dulcedine, quam in eo communicat. Ad hunc cibum & potum inuitat suos amicos, ac dilectissimos, vt qui ament & amentur: desiderans, eos comedere ac bibere; tantoque amoris excessu saturari, vt inebrientur: quasi plus biberint, quàm debilis eorũ natura ferre posset. Nam (vt ait S. Gregorius) sic inebriari, est, mutare iudicium in eo, quod antea sentiebat, nouumq; animi robur concipere, ad præstandum, quod ante non poterat, sensa ac dictamina huius mundi in ea commutando, quæ sunt Christi; & carnis fortitudinem, in eam, quæ est spiritus: Qui tamen etiamsi inebrientur, non tamen saturi manẽt, aut tædio affecti; sed esuriunt ac sitiunt magis. Nam vna Communio, est noua quædam vocatio, & inuitatio noua, quæ nouam famem, nouamque sitim excitat alteriùs. Nam si magni amatores corporalis huius vini, postquam multum hauserunt, dicunt: (vt Salomon ait) b *quando euigilabo, & rursus vna reperiam*, quibus amplius exsatiet? quid mirum, si iusti cœlesti hoc vino inebriati, postquam sanctæ contemplationis somno illud digesserint, excitentur dicentes: quando iterùm concedetur mihi, vt vinum hoc hauriam? &, si homines illi quos Christus D. N. in deserto pauit, cùm insinuaret se illis daturum panem alterum, c *qui permanet in vitam æternam*: ipsi, antequã illum degustarent, *dixerunt: Domine semper da nobis panem hunc*: quid facient, qui iam experti sunt panis huius suauitatem, fauumque & mel, quod sumẽtibus communicat? simul enim saturi sunt, & famelici: saturitate scilicet famelica, & fame satura. Quia neque cibum alium huic contrarium esuriũt; neque hoc sumpto, sentiunt se saturos: nam etiam tunc cùm comedunt, dicunt: Domine *semper da nobis hunc panem*: nam ipsemet panis, quem comedunt, quia panis viuus est, inspirat illis, vocatque vt eundem amplius comedere desiderent, & ab ipso petant. Ideò enim ait Scriptura: d *qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.*

Præparatio ad S. Communionem.

In Cant. 5. & lib. 5 de Sacra. c. 3.

Hom. 10. in Ezech.

Delectat non satiat.

b *Prou. 23. 35.*

c *Ioa. 6. 27. 34.*

d *Exod. 24. 29.*

Ex His apparet, vocationem specialem ad frequentem Communionem non aliud esse, quàm famem hanc, internumq; communicandi desiderium,

ab ipso

ab ipsomet Domino, qui nos inuitat, inspiratum: quia ipse esurit, vt ipsum sumamus; & ipsius fames nostram excitat; & nostra saturatio est etiam ipsius: nostram enim comestionem, suam reputat. Ac propterea, cùm dixisset: *comedi fauum cum melle meo*, statim subiunxit: *Comedite amici.* Tunc enim ipse Christus comedit, quando eius amici comedunt, ob vnionem amoris, quo cum illis est coniunctus.

I. *Feruidos Deus vocat ad S. Commun. Lib. 5. de Sacram. c. 2. Cant. 1. 1.*

QVARE primùm indicium, quòd appetitio communicandi sit vocatio & inspiratio Dei est, quando eam sentiunt, qui huic Domino sunt amicissimi, eiusque voluntati addictissimi; adeoque feruentes, vt operibus ipsis manifestent, se & amare & amari. Et propter mutuum hunc amorem desiderant illi semper esse cum Christo: & Christus cum eis. Ideoque S. Ambrosius verba illa in initio Canticorum: *Osculetur me osculo oris sui*, vtrique accommodat. Nam possunt hæc esse verba Christi, animam ad ipsum in hoc Sacramento suscipiendum inuitantis: eademque esse etiam animæ petentis, vt ipsemet Christus ad eam visitandam, seque cum ipsa vniendum veniat. Vis (ait S. Ambrosius) hæc verba ad Christum aptare? nihil gratius: vis ad animam tuam? nihil iucundius. vtrumque autem verum est. in hoc enim conuiuio vterque amans esurit, & vterque se mutuo inuitat. Et propterea idem Dominus in Apocalypsi dixit: c *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Tunc te vocat, quando vt communices, inspirat, cui si aperias, admittens eius inspirationem, ingreditur: & tu cum illo cœnas, quia præbet tibi suauissimos Spiritùs affectus: ille verò cœnat tecum, oblectans se feruore, quem tu ostendis in rebus obsequij ipsius.

c *Apoc. 3. 20*

2. *Experientia remedij.*

SECVNDVM specialis diuinæ vocationis signum solet esse, cùm excitatur fames ex propria necessitate, & experientia remedij, quod in ipsa Cõmunione inuenitur. Nam si afflictus, si tentatus, pusillanimis, & infirmus experiuntur, benè sibi rem succedere hoc Antidoto sumpto; ac propterea vehementer illud desiderant: signum est cœlesti medico placere, vt frequenter illo vtantur: vt sic à suis malis eripiantur, & præseruentur. Et quoniam diuinum hoc Sacramentum est vniuersale nostrarum omnium miseriarum remedium; ideò omnes ad illud suscipiendum nos impellunt. Nam in Christo (ait idem S. Ambrosius) omnia inuenies. si vulnera tua curari desideres, ille est *medicus*; si nimio labore æstues, ille est *fons*; si peccatis es oneratus, ille est *iustitia*; si tenebras fugis, est *lux*; si cibum quæris, ipse est *alimentum*: & quoniam totus ipse est in hoc Sacramento: ideò pro omnibus in eo remedium inuenies.

3. *Experientia fructus.*

HINC oritur *tertium* indicium specialis vocationis, quando fames excitatur ex proprij spiritualis profectus, & copiosi fructus, quem ipsa Com-

munio profert, experientia. Nam si ex ipsa communione creicit humilitas, & reuerentia, & reliquæ virtutes: iudiciũ magnũ est, D. N. infundere desideria illa cõmunicandi, vt potè ex qua finis ille obtineatur, in quẽ ipsa Cõmunio dirigitur; modò præparatio desiderio ipsi correspõdeat. Et propterea S. Basil. dicebat, frequẽter cõmunicare: rem esse gloriosã, valdeq; vtilẽ: *quis enim ambigit, quin frequẽs vitæ participatio nihil aliud sit, quã pluribus modis viuere?* in Cõmunione. n. sũt oẽs modi cõseruãdi & augẽdi vitã, tã actiuã quàm contẽplatiuã, & ex vtraq; mixtã, ad multorũ commodũ. Et ita ait, in Ecclesia sua communicasse fideles quater in hebdomada: Dominica scil Feria 4. 6. & Sabbatho; & reliquis Sanctorũ Festis diebꝰ. Sed S. Chrysost. vlteriùs progreditur, dicens: Noli, diẽ Solemnẽ expectare: vera. n. solemnitas in animæ puritate cõsistit. Quæ si adsit, semper celebrare poteris solemnitatẽ: & semper accedere: Et propterea S. Ambros. (ex quo id accepit S. August.) ita (ait) viue, vt possis quotidie cõmunicare: nam panis hic est quotidianꝰ, &, si præpares te ad dignè sumendũ, dicere licebit: panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nam quotidie erit tibi HODIE: si quotidie ad eum sumendũ te disponas. Sed quoniam ordinariè præparatio nostra parua est, & vitæ occupationes multæ, ac tepiditas magna: pauci sunt tanta frequentia digni, habita ratione reuerentiæ, quæ Maiestati Saluatoris, nos visitantis debetur.

S. Communio frequentanda. Epist. ad Casariam Patritiã. apud Canisium de Eucharist. q. 9. Homil. 28. in 1. Corint

Lib 5. de Sacram. c. 4. Homil. 28. verb. Domini.

§. 4. *Documenta aliquot circa frequentem Communionem.*

EX hactenus dictis satis apparet, si ordinariam hominum dispositionẽ attendamus, duo posse esse extrema, circa frequentiam Communionis vitiosa: alterum eorum, qui rariùs, quàm par esset, accedunt: alterum eorũ, qui nimis frequenter: in qua re difficilè est mediũ attingere, nam (vt S. Bonauent. ait) quemadmodum diuersa sunt hominũ studia, variæque, vt suæ conscientiæ cõsulant, & ad cœlestem hanc escam se præparent, curæ: ita meritò diuersa debet esse ad eam accedendi frequentia. Subiungit verò ipse communem quandam & vniuersalem in hac re seruandam regulam, his verbis. Vix aliquis ita Religiosus esse videtur & Sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare: nisi specialis causa quandoq; vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas solennis, vel inusitatæ deuotionis feruor & intemperata desiderij sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit, amanti animæ ardorem refrigerare: Et quia talis ardoris impetus non nisi ab Spiritu S. vt creditur, infunditur: ideò legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur. Sicut aliquos quandoque vidimus, licèt paucos, quibus viuere Christus erat: ita vt si non frequentius pane vitæ reficerentur Sacramentaliter, quasi videbãtur vita corporis iam velle deficere; patentibus indicijs hunc defectum prodentibus. & qui ante tam debiles erant,

Consilium de frequenti communione.

quòd

quòd nec incestum debitum habere poterant: post susceptionem illius Sacramenti in tantum confortabantur, quasi nullam antè sensissent debilitatem manifestè apparentē: iuxtà illud, f *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quia nullus cibus materialis, vel potus posset sic celeriter, & efficaciter non solùm corpus; sed etiam animā recreare. Hæc S. Bonauent.

f Ioan. 6. 56.

Ex quibus quatuor breues regulas ad rem præsentē colligere possumus. PRIMA est: quòd personæ in diuino obsequio feruentes (præcipuè si in statu sint continentium) possint semel in hebdomada ex ordinaria consuetudine communicare. Quę regula in multis Religionibus obseruatur, eamque tradidit Angelus Sancto Pachomio, statuens, vt eius Monachi diebus Dominicis communicarent: & Cassianus reprehendit Monachos Communionem vlterius sub propriæ indignitatis prætextu protrahentes. Quos (ait) maiorem arrogantiæ præsumptionem incurrere, quia vel tunc, cùm eam percipiunt, dignos se eius perceptione dijudicant. Multò enim iustius esse cum hac cordis humilitate qua credimus & fatemur illa Sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere; singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarū ęgritudinū sumere, quàm vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione nos esse credere.

1. *Semel in hebdomada communicandum pijs. Pallad c. 35. Collat 23. c. 21.*

SECVNDA regula est: posse aliquas personas excellentis adeò virtutis ac sanctitatis esse, adeoque diuinum hoc Sacramentum appetere, & esurire; vt meritò debeat eis sacra Communio ter aut quater singulis hebdomadis concedi: imò aliquibus, etsi raris, etiam quotidiè, si personæ sint Dei obsequio omninò dedicatæ, & à Matrimonij oneribus, ac sæculi occupationibus liberæ. Nam si conditiones, quas Sanctus Bonauentura insinuat, sufficientes sunt; vt octauo quoque die communicanti, extraordinaria aliqua Communio ob extraordinariam necessitatem, & famem concedatur: si vehemens hæc fames, sit ordinaria, vitaque excellens, licebit maiorem frequentiam etiam ex consuetudine addi. Et cùm hic panis sit quotidianus, fas est credere, esse etiam hodie in Ecclesia personas aliquas, præter Sacerdotes, quibus dari possit Communio ita frequenter. Et quemadmodum in primæua Ecclesia Apostoli eam quotidie multis fidelibus porrigebant: ita est credendum, esse etiam nunc paucos aliquos, quibus idem meritò concedatur: Siquidem g *nec manus Domini est abbreuiata*, nec sanguis Christi ita refrixit, vt non ferueat ita nunc in paucorum aliquorum cordibus, quemadmodum tunc in multorum. Et Palladius in vita Sancti Apollo Abbatis (qui Pater erat quingentorum Monachorum) refert: eos, qui cum illo erāt, nunquā consueuisse corporalem cibum priùs sumere, quàm communicassent: eò quòd eorum vita adeò præcelleret, vt quotidianam hanc portionem mererentur: nam obsequia extraordinaria

2. *Aliquibus sapius licebit.*

Etiam quotidie.

g *Isai. 59. 1. Cap. 48.*

digna

digna sunt extraordinarijs fauoribus, & gratijs. Et tunc locum habent rationes suprà positæ.

3. *Alij singulis mensibus. Apoc.22.2.*

TERTIA regula sit: reliquas personas Deum timentes, sed grauibus statûs & officij sui oneribus occupatas, si modestæ sint, ac prudentes, posse decimo quinto die aut singulis mensibus cõmunicare, celebrantes tunc perfectum quoddam nouilunũ cum sacra Confessione, vt suprà diximus: & hoc cœleste conuiuium animę suę exhibentes, vt sint sicut arbores siue *ligna vitæ in vtraque parte fluminis Paradisi, quæ adferunt fructus duodecim, & per menses singulos reddunt fructum suum.*

4. *Consilium Confessarij sequendum.*

SED quoniam in trium prædictarum regularum vsu deceptio esse potest: QVARTA est regula certior ac securior, quam prudens Sanctusq; aliquis Confessarius præscripserit, habita simul ratione dignitatis Sacramentio, & necessitatis eius, qui communicat & vocationis ac inspirationis Dei ex tribus prædictis signis. Debetque qui communicat, ita exactè seruare & continere se intra huius prescriptionis limites, vt nec rariùs sumat: sub pretextu maioris humilitatis; nec frequentiùs ob indiscretum feruorem, ex prætextu & titulo maioris profectus. Nam & hoc extremum esset valdè noxium, vtpotè quòd animum proderet parum humilem, & potius arrogantem, & inobedientem. Eueniet enim tibi, quod Hebræis: qui ex cupiditate plus ex Manna colligebant, quàm esset præscripta mensura à Moyse: & reseruabant contra eiusdem præceptum, in diem sequentem: *cœpitq; scatere vermibus, atque computruit*: vt intelligatur, non prodesse Manna cœleste, si mensuram excedat: quam dispositio & status communicantis requirit; & terminum à prudente Confessario præscriptum. Nam si nimius corporis cibus ipsi corpori nocet, & vomitum prouocat: non mirum est, si idem faciat cibus spiritualis, si indiscretè nimius sumatur. Quamobrem dixit Salomon: *mel inuenisti, comede quod sufficit tibi: ne forte satiatus euomas illud.* Estque praua dispositio ad vtilem Communionem, si cum inobedientia accedas. Cùm enim Dominus, ad te visitandum veniens, adeò gratam habeat obedientiam, vt ne ipse illam perderet, vitam potius obtulerit: quomodo sua dona ei communicabit, qui contra obedientiam ad ipsum accedet? Attende igitur, quod quemadmodum non placet ill *ieiunium* in quo *propria voluntas inuenitur*, ita nec placet sacri huius cibi sumptio: sed in vtroque debes præscriptum ab Ecclesia ordinem sequi, & iudicium eius. qui te dirigit, amplecti.

Exod.16.20 *Melior est obedientia quam victima.* *Prou.15.16.* *Isai.58 3.*

CAPVT

CAPVT VII.

QVAENAM DE PECCATIS, ET ANIMI PERturbationibus, nobis ſ. ipſis victoriæ ſint obtinendæ, vt cum perfectiſſima præparatione ad Communionem accedamus, & ingentia præmia iis victoribus in eadem Communione reddi.

DVPLEX ſanctiſſimi Sacramenti prædicta cognitio, per Meditationes ſcil. eius myſteriorum, aut per experimentum affectuũ eius in ſacra Communione, animas requirit puras, & corda mũda: nam a *in malevolam animã non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*: & b *Beati ſunt mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt*; non in altera vita tantùm, ſed etiã in hac perfectã ſcil. illã cognitione, quæ in ea cõceditur, tam in Meditatione & Contẽplatione, quàm in ſuauitate, & experimento eius, quod ſuſcipitur. Ex quo fit, vt prima diſpoſitio, quæ procuranda eſt ad has glorioſas cognitiones obtinendas, (ſecundâ ſubſequẽte per experimentum in ipſa Communione) debeat eſſe conſcientiæ puritas, cordiſque mundicies. Nam ſi Manna communis iuſtorum ac peccatorum cibus, non cõmunicabat præclaram *omnis ſaporis ſuauitatem*, niſi iuſtis; quorum voluntati palatoq; ita ſeruiebat, vt eum perciperent, quem volebant: eò quòd illi Dei voluntati, palatoque ſeruirent: quantò magis credendum eſt, Manna hoc cœleſte non communicare mirabilem ſuorũ ſaporum fructuumq; ſpiritualium multitudinem, ac varietatem, niſi *iuſtis*, qui ſeipſos diuinæ voluntati exequendæ addicant, & mancipent? Neque enim abſque myſterio, tantum dixiſſe credendus eſt Dominus: *neminem ſcire* hoc Manna, *niſi qui accipit*. non verò addidiſſe: quemcunque recipientem, illud cognoſcere: Nam ſi malè paratus aliquis illud accipiat, non gaudebit eius diuitijs ac theſauris. Ac propterea promiſſio huius Manna ſolum facta eſt *Vincenti*, ſuos ſcilicet hoſtes, ſtrenuè contra eos pugnando; & quò magis erit ſtrenua pugna, & victoria glorioſior; eò maior erit menſura huius Manna, & ſuauitatum, & fructuum, qui cum eo præbentur.

a *Sap. 1. 4.*
b *Matt. 5. 8.*
c *Sap 16. 21. Iuſtis & Vincentibus vtilis Sacræ Communio*
Apoc. 2. 17

§. 1. *Triplex victoria ſacram Communionem præcedere debet.*

AD huius rei declarationem eſt aduertendum: triplicem victoriam nos diſponere perfectiſſimè ad Manna (quod iuſtorum eſt cibus) de-

1. *Victoria peccatorum mortalium.*

gustandum: neminem verò dignè illud degustare posse, qui minimùm non obtinuerit primam, quà maximos suos hostes, omnia scilicet peccata capitalia, per Sacramentum Pœnitentiæ vicerit. Quemadmodum enim Manna non fuit Israelitis datum, donec ex Ægypto discederent, rubrumque mare traiicerent, in quo ita omnes eorum hostes submersi sunt, vt a *nec vnus* quidem *superfuerit ex eis*: ita diuinus hic cibus non priùs peccatoribus datur, quàm malum suum statum deserant; omnesque iniquitates & peccata in pœnitentiæ mari demergant. Nam priusquam Dominus noster vincenti promitteret Manna absconditum, dixit Episcopo, cum quo loquebatur, vt b *pœnitentiam ageret* de suis peccatis, & repelleret hostes suos: nam sine hac victoria ipsum non fore dignum tali cibo: ideoque obtulit ille ipse Dominus se contra eos *pugnaturum gladio oris sui*. Non enim satis est, eos in pœnitentiæ mari demergere, sola peccatorum contritione; sed necesse est, vt idem ipse Dominus per os Sacerdotis eos iugulet gladio sui diuini verbi; absolutione scilicet Sacramentali, quã præcedat omnium integra Confessio: iuxtà præceptum quod Apostolus intimauit, cùm dixit c *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini*, nec illud ab ordinario pane discernens. Cùm autem dixit probet, & examinet *seipsum*: significat, (quemadmodum Catholica Ecclesia sentit, & in Concilio Tridentino declarauit) eam probationem necessariam esse, quæ fit in Sacramentali Confessione: quam Christus Dominus in eum finem instituit, nisi in aliquo rãro casu: quo & Communicatio vrgeret, & non adesset Confessarius, quia tunc Contritio sufficeret; aut talem diligentiam ad eam consequendam adhibere, vt prudenter existimaret se eam obtinuisse. Alioquin, si ad cœleste hoc conuiuium accedas, apertè tibi conscius quod non habeas Dei gratiam: dicet tibi Dominus, quod infelici conuiuæ illi: d *amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? meritoq; contremiscere potes: ne statim iubeat ministros suos, *ligatis manibus & pedibus, mittere te in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium*: eò quòd immundis dentibus tuis ausus sis sumere panem vitæ, & simul iudicium tuæ condemnationis æternæ: sicut fur & homicida aliquis, qui in suam domum iudicem inducit, in cuius conspectu aliud crimen edit atrocius. Sic enim ipsemet ad se adducit eum, qui ipsum suspendet; puniendo pro meritis delictum illud cum cæteris. Memor esto e *Arcam* testamenti, quæ prodigiosè aliàs Hæbræum populum in bellis & pugnis protegebat, cùm in Dei sui gratia & fauore manerent; eandem fuisse maioris eius ruinæ occasionem, cùm illam in castra sua adferri curarunt, existentes peccatores, vt intelligas: quemadmodum com-

munio

a *Exod.* 14. 28.

b *Apoc.* 2. 16

c 1. *Cor.* 11. 28.

Sess. 3. c. 7.

Confessio.

Vel certe Contritio.

d *Matt.* 22. 12.

e 1 *Reg.* 4. 31. 10.

munio benè sumpta ministrabit tibi arma ad vincendos Dæmones ita eandem malè sumptam fore occasionem magnæ ruinæ, & vt ab illis deuasteris.

QVOD si copiosiori diuini huius Manna dulcedine frui velis : alij quoque eius hostes sunt depellendi. qui etsi adeò magni non sint, valdè tamen sunt noxij : multitudo scilicet peccatorum *venialium*, & inordinatæ carnis *passiones*, ad voluptates & delicias quinque sensuum propendentis. Si enim huiusmodi sensuum oblectationibus te subijcias: etiamsi Sacramentum sumas, manebis aridus, & speciali refectione priuatus, quam benè sano & purgatæ animæ palato, ipsum recipientibus solet communicare. Recordare quod antiquum illud Manna, non fuit datum Hæbræis statim atque mare rubrum transierunt, sed postquam tota farina, quam ex Ægypto secum acceperant, erat consumpta. noluit enim DEVS vtroque cibo eos simul vesci. Quis enim iustus est, qui cùm aliquo tempore in captiuitate Ægyptiaca tanquam Diaboli mancipium propter peccatum manserit, etiamsi inde per pœnitentiam liberetur, non secum farinæ aliquid acceperit, qua per dies aliquot quasi pascatur? Farina Ægypti sunt odores & vestigia, quæ remanent ex vita præterita; & res illæ delectabiles, quibus amor proprius fouetur & nutritur: quales sunt loquacitates, ioci, & profana solatia. Quam farinam si adhuc retinere velis, cogita te huius Manna suauitatem non experturum; aut si hac refici & recreari velis : necesse esse, farinam illam proijcere & consumere. Nam (Sanctus Bernarnus ait) non posse in eodem corde coniungi carnis & spiritûs delicias; nec mundi farinam & Manna cœleste; nec vult DEVS ancillæ filium in domo serui sui Abraham ludere cum Isaac : quæ vox risum significat; ac propterea dicit f *eiice ancillam & filium eius.* Quæ autem est hæc ancilla nisi ipsa caro? & quis eius filius; nisi amor proprius? vterque autem propendet ad farinam suam, sensuum scilicet delicias : sed necesse est vtrumque ex animæ domo eijci, si remansurus in ea sit Isaac, risus scilicet & lætitia spiritus. Et quamuis Abrahamo graue esset hoc exequi : dixit tamen illi DEVS : *non tibi videatur asperum super puero & ancilla tua, vt illos à te separes : quia ego sum qui id fieri præcipio.* & statim, (quod esset ad obediendum promptissimus) voluntatem propriam vicit, vt expleret diuinam. Vince tu quoque tuam, quæ adeò inclinat ad indulgendum carni; & amoris proprij illecebras; vt particeps esse possis illius Manna quod tibi communicabit DEVS in hoc conuiuio.

2. *Etiam venialium & passionum.*

Farina Aegypti.

Serm. 2 de Ascensione.

f *Gen. 21. 9.*

Mundus cum Deo coniungit nequit.

3.

SED vlteriùs adhuc est tua victoria progressura : dando operam, vt cordis etiam *distractiones* vagationesque vincas : quæ valdè etiam

Denique distractionum g *Prou.* 23 1.

impediunt saporem illius Manna, eò quòd relaxent, & effundant meditationem, ad illum percipiendum disponentem: Nec minus importuni hostes esse solent *stultæ cogitationes*, quàm affectiones inordinatæ. De vtrisque enim dixit Sapiens: g *quando sederis vt comedas cum principe: diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam; & statue cultrum in gutture tuo.* quasi dixerit: cum accedis ad comedendum cum Principe cœlesti in mensa huius sanctissimi Sacramenti, diligenter attende, quem illud intra se continet, penetrans ad id quod in illo Manna est absconditum; & cultro discretæ Meditationis illud diuide: neque enim integrum debes deuorare, sed simul tamen mortificationis cultrum immitte in guttur tuum, vincens teipsum, distractiones tuas & affectus inordinatos, & sensuales carnis tuæ appetitiones iugulans: vt dignus sis suauitatem degustare huius cibi cœlestis qui est alimentum hominum mundo mortuorum; sed viuentium Deo mortuorum amori proprio; sed viuentium diuino, mortuorum sibi ipsis; sed Christo viuentium: vt locum in te habeat, quod Sanctus Paulus ad Colossenses scripsit: h *mortui estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo:* Si enim CHRISTVS Dominus noster absconditus est, & quasi res quædam mortua, & in pso Sacramento sepulta, vt tuus fiat cibus: æquum est, vt teipsum etiam tanquam mortuum geras, per tuijpsius mortificationem: & abscondas te per meditationem cum ipso Christo in DEO: vt abscondito eius Manna frui possis.

h *Coloss.* 3. 3. *Cum abscondito Christo te abscondo.*

§ 2. *Victoriæ aliæ magis particulares.*

HÆ sunt victoriæ quæ in genere præcedere debent sacram Communionem; quæ eò vtiliores erunt, quò fuerint magis particulares. harum itaque aliquas magis in particulari indicabimus. *Prima* erit vt ipso die sacræ Communionis studeas ita gulam superare, vt omninò ieiunus ab omni cibo & potu accedas: vt intelligas Christum Dominum nostrum debere esse primum ac præcipuum animæ tuæ cibum: pro cuius amore & reuerentia renunciare debeas cuicumque carnis delectationi.

1. *Ieiunus.*

DEINDE eodem die singulari cura ac diligentia debes *sensualitatis* stimulos vicisse; ita vt à præcedenti nocte nulla præcesserit culpa, quæ corpus & animam maculet. Dedecet enim eodem die ad Communionem accedere, quo graue aliquod lethale peccatum est admissum, & quidem multò magis si fuit inhonestum. Imò suadent sancti, expedire, vt etiam à Communione abstineatur, quando præcedente ipsa nocte aliqua huius generis, etiam sine culpa, accidissent. Purissimi enim & castissimi agni caro, nec contingenda est, nisi à pura & casta carne. licèt in hoc merito amplectendum sit prudentis Confessarij consi-

2. *Mundus.*

S Thom. 3. *p. q.* 80 *ar.* 7.

lium.

lium. Esset verò magnum quid semper ad Cõmunionem nõ solùm à corporalibus cibis ieiunum accedere, sed etiam à peccatis venialibus, ita vt illo die in nullum ex malitia, & sciens ac volens incidisses.

3. *Humilis.*

ACCEDENDVM est etiam omnibus mundi pompis deuictis, & punctis prophani honoris quoad locum, vestes, & externum apparatum, qui vanitatis potiùs, quàm religionis intuitu adhibetur. nam in præsentia Dei viuentis, quicumque magnus est, debet se paruum iudicare, & qui magis est humilis, ille est maior, & qui tunc puncta & respectus huius mundi obseruat, non adfert secum dispositionem quæ Christo placeat. Cum autem conuiuium hoc exhibeatur ex eodem pane, eodemque Sacramento interiùs & exteriùs, vt omnium inter se vnio & coniunctio conseruetur: rationi consentaneum est, eo modo ad aliud accedere, vt huic vnioni nihil deroge-
a *Eccl 3.20.* tur; sed diligentiùs tunc seruetur, quod dixit Ecclesiasticus. a *quanto magnus es, humilia te in omnibus; quoniam magna potentia Dei solius, & ab hominibus humilibus honoratur.* si itaque in mundo quidem sis magnus, sed in tuis oculis paruus, honorabis DEVM: Deusque ex te honorabitur, non ob tuam magnitudinem, sed ob humilitatem, quam cum illa coniungis.

4. *Cœlestis modestia.*

ACCEDENDVM etiam est ad Communionem sacram, ita deuicta mutabilitate & inquietudine corporis, vt toto tempore, quo ibi sit manendum, antè & post Communionem sit quis in corpore & spiritu, cum ea decentia & reuerentia interna & externa, quam & conuiuium, & princeps ipse, qui inuitat, requirunt: nam & hoc ad humilitatem pertinet. Propterea enim dixit ipse Saluator, b *cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.* recũ-
b *Lu. 14.10* bere enim quietem significat; nouissimus verò locus reuerentiam & humilitatem prodit. Hæc autem ostendenda est actibus adorationis externæ; flectendo scilicet, aut prosternendo se, saltem spiritu; coniunctis manibus, & oculis nunc in terram defixis, sicut ille publicanus; nunc in ipsum Dominũ iam iam appropinquantem. Hæc omnia collegit S. Ioannes Damascenus hisce deuotissimis verbis: cum omni timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & veneremur ipsum omni puritate animæ & corporis. Accedamus ei desiderio ardenti, manus in crucis modũ formantes, crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos, & labia, & frontem; diuinũ carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem, comburat peccata nostra; & illuminet corda nostra, vt participatione diuini ignis igniamur & deificemur.

Lib 6. q. Fidei 14.
"
"
"
"
"
"

5. *Pura intentio.*

DENIQVE vincendæ sunt omnes tentationes, non solùm quæ verè tendunt in malum, sed etiam quæ in imperfectum: quærendo in ipso Sacro & Communione non tuum honorem aut præmium præcipuè; neque propriam delectationem, etiam spiritualem; sed ipsius Dei gloriam, & vnitio-

nem charitatis cum ipsomet Domino, tuisque proximis: peccatorum tuorum teniam, ventationum victoriam, à lapsu præseruationem, & in virtutibus omnibus augmentum, & vsque ad mortem perseuerantiam: Communionem ipsam iam ad vnum, iam ad alterum horum finem; aut omnes simul applicando. Vt verò omnes hos fines memoria retineas, vti poteris septem petitionibus precationis Dominicæ, in quibus septem hi fines valdè excellenter continentur.

Septem petitiones.

Victoria sui. c Cant. 5. 5.

OMNES hæ victoriæ in ea generali includuntur, qua quis *seipsum vincit* & abnegat perfectissima mortificatione: qua exornauit se sponsa, vt exiret obuiam dilecto suo, cum ille pulsaret peteretque aperiri sibi. nam, cùm illa ex aliqua ignauia à surgendo se excusaret, eam tandem vicit: tantaque myrrhæ abundantia sese inunxit, vt ipsamet diceret: *c surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* His verbis significans omnes eius potentias, ac sensus suauissimè produxisse perfectissimę mortificationis opera: vincendo ipsam, non solùm in rebus magnis, sed etiam in minimis, quæ à perfectione Christiana aliquo modo degenerēt: imò etiam in multis licitis, quas sine culpa potuisset accipere, illas tamen etiam eo solo nomine, vt se ipsam vinceret & abnegaret, adeò repudiat, vt ipsi digiti vsque ad extremitatem pleni essent myrrha: ac proinde summam haberent puritatem; non solùm ab aliqua macula, sed etiam à ruga & imperfectione omni. In cuius signum etiamsi Sacerdotes manus lauerint, ac digitos, antequam sacrum inchoent; iterùm in medio sacri, digitorū extremitates abluunt, vt ea cæremonia (quemadmodum ait S. Dyonisius) prædictam puritatem & munditiē significent, quæ continuanda est & augēda, vsque ad dilecti ipsius ingressum. vt ipsa domus & hospitium, quo recipitur, adeò sit mundum & fragrans: vt in eo habitando oblectetur.

De Eccl. Hierar c. 3. Ablutio manuum.

§. 3. *Quæ præmia ijs reddantur, qui cum prædictis Victorijs communicant.*

VT magis animeris ad pugnam, & prædictas victorias obtinendas, audi præclarissima præmia, quæ Christus Dominus noster vincenti promittit, ac reipsa dignè communicanti impertit. Nam cùm dixisset *a Vincenti dabo Manna absconditum*, subiungit, *& dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptū, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Quis autem est iste calculus candidus & pretiosus, nisi ipse Christus? qui simul vicem subit ipsius Manna, quatenus cōuiuas suas nutrit, ac delectat; & calculi candidi, ob spem, quam præbet æternæ vitæ, innitentem diuitijs spiritualibus, quas communicat? Ad cuius intelligentiam est aduertendum, consueuisse olim Iudices, sua suffragia dare candidis & nigris calculis siue lapillis: Candidum dabant in fauorem Rei, quādo absolutum & liberum dimittebant; ni-

a Apoc. 2. 17. Vide ibi Riberam, & Vtegas. Calculus candidus.

gro

gro verò contrarium ferebãt ſuffragium. Et eodem modo in Electionibus ad officia & dignitates Reipublicæ, lapillis & calculis huiuſmodi vtebantur: imò etiam ad ipſos computus: proſperos item dies cõputabant candidis calculis; triſtes verò & aduerſos nigris. Ita Perſius: *Hunc Mainne diem numera meliore lapillo, Qui tibi labentes apponit candidus annos.* Quæ res, cùm omnibus fidelibus illius tẽporis cognita eſſet: voluit Chriſtus D. N. ea ratione declarare ſtudium & fauorem, quem vincentibus exhibiturus eſſet, dans illis calcalum candidum ſimul cum Manna: ſe ipſum ſc. quaſi pignus certum, quod quantum in ſe eſt, ſententiã proferat abſolutionis, & approbationis, beneuolam valdè ac fauorabilem; qua peccata illis condonat; & æternas inferni pœnas remittit; ipſoſque eligit & approbat ad ipſi in cęlo corregnãdum. Ac propterea etiam datur tanquam calculus *computatorius*, vt infinita ipſius merita & ſatisfactiones, tanquam titulum allegare poſſint, ad præmia donaque cęleſtia impetranda. Cuius merita quia non ſunt ſufficienter remunerata, ſeipſum hic nobis tradit, vt ea poſſimus æterno eius Patri proponere, petentes, vt in nobis illa remuneret. Datur etiam candidus lapillus tanquam in ſignum, quod recipiens, proſperos ducet dies, annoſq; fœlices: expendens eos in Dei ſui obſequio cum magna cordis lætitia, & pace, ac ſecuritate conſcientiæ, cuius b *teſtimonium* (vt Apoſtolus dixit) *eius erit gloria* & ſolatiũ, tanquam pignus habens, q̃ ſit à Chriſto approbatus, & ad cœleſtis regni hæreditatẽ acceptus: iuxta illud Eccleſiæ: *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et quamuis hoc diu perduret, ac perſeueret, non eſt tamen dies magis proſper ac dignior, qui candido lapillo notetur: quàm ipſa dies fœlicis alicuius communionis, quando ſcilicet ipſemet Saluator actualiter eſt intra ipſum cor, hoc munere fungens, vt ſuum conuiuam ſecurum reddat. tunc.n. optimè impletur illud Salomonis: c *ſecura mens quaſi iuge conuiuium.* Huc accedit q̃ Chriſtus D.N. ſimul det tale pignus q̃ nõ obtinget illi *niger* calculus, qui ſolet improbis, qui à Dæmone ſuperãtur, obtingere, in ſignũ reprobationis, vitęq; infeliciſſimę, & calamitioſiſſimę, quã ſunt ęternu ducturi; & quorũ dies futuri ſunt triſtes & ęrumnoſi: ratio deniq; vltima, quã reddituri ſunt, adeò miſera: vt propter eã incurrant tẽporalẽ & æternã mortẽ: &, cùm peccatores in die Iudicij, in totius mũdi cõſpectu nigrũ recipiant ſuæ dãnationis calculũ: eò q̃ hoſti ſuo ſe ſubiecerint: Iuſtus tale pignus habeat, q̃ ſit recepturus abſolutionis ſuæ calculũ candidũ, & q̃ ſupremus Iudex tribuet eis d *regnũ* q̃ *p* ſuis Electis *præparatũ eſt ab origine mundi.* O victoriã cęleſtẽ, q̃ad tale diſpoſuit cõuiuiũ! ò fęlicẽ comeſtionẽ, qua fœlix adeò calculꝰ accipitur! ò anima, quæ præ timore dãnationis tuæ es anxia, & vt tuã ſaluationẽ ſecuriorẽ reddas valdè ſollicita, ſi certiſſima eius pignora, q̃ in mortali hac vita haberi poſsũt, habere deſid eras: vince te ipſã, vt digna efficiaris, quę diuinu m

Satyra. 2.

1.

b 2. *Cor.* 1. 12

c *Pro.* 15. 15. *Calculus niger.*

d *Mat.* 25 34

uinum hoc Manna sumas, cum quo dabitur tibi calculus candidus, qui de vita æterna, ad quam suspiras, securam te reddat. Ipsius enim Domini illud est verbum; e *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & qui manducat meam carnem, iam habet vitam æternam*; quam non auferet tibi, si perseueraueris, sed & auxilium dabit ad perseuerandum.

e Io. 6. 52. 55.

SED quoniam hæc adeò glorioſa, non ipſi ſoli Chriſto Domino Noſtro, eiusque ſolis meritis ita innituntur, vt noſtra excludant, & induſtriam ac laborem noſtrum: fit, vt ſimul cum diuino hoc Manna alius etiam nobis detur calculus candidus, qui ſemper permaneat in anima Iuſti vincentis, puritas ſcilicet vitæ, candor caſtitatis, & ſplendor gratiæ ſimul cum innocentia & ſanctitate: quæ virtutes omnes ac dona, quæ illam comitantur, efficiunt. Quis autem cãdidior poteſt eſſe calculus, *aut* pretioſior, quàm ſit f *charitas*, quæ *finis eſt præcepti*, & obedientiæ, qua illi paretur? in qua fundatur ſẽtentia, quæ pro noſtra ſaluatione fertur: Hæc enim dat nobis interiora pignora ad eam obtinẽdam, nomine & titulo bonorum operum, quæ tanquã lapides ſunt computatorij: propter quos dabitur nobis cœlum: totque gloriæ gradus, quot illæ habent meritorum. Hæc ſpem nobis facit, quod ſimus bonam rationẽ reddituri; cùm à nobis exigetur, facitq; dies noſtros lætos, annos hilares, & conſolationes valdè ſolidas, ac cordiales. Hæc nos à nigris calculis liberat, repellens à nobis praua opera, inconſtantiam ac timiditatem, quæ nos tentationibus ſubijciunt. Hæc denique (vt S. Auguſtinus ait) diſcernit inter Filios Dei, ac Filios Dæmonis; & qui illam habent, g *ſicut nix ſunt candidi*, & qui illa carent, ſicut carbones ſunt nigri.

2. f 1. *Tim.* 1. 5. *Charitas.*

Tract 5. *in Epiſt.* 5. *Ioa.*

g *Thrẽ* 4. 7. 5.

Epiſt. ad Damaſcũ quæ incipit LXX.

Lib. 33. *c.* 7.

SED multò adhuc plus candidus hic calculus ſignificat: nam ex mente S. Hieronymi & aliorum Doctorum, eſt pretioſus lapis CARBVNCVLVS, de quo iã diximus. qui (vt Plinius refert) ſolet eſſe candidus, ſicut candet ferrũ, cùm valdè accenditur in foco: & refert Chriſtum D. N. qui g *lapis eſt* valdè *probatus & pretioſus*: qui admirando lumine niteat, ardetque inuictæ charitatis igne, qui, cum ſacra Communione animæ coniungitur, eam ditat pretioſo alterius carbunculi dono: forti ſcilicet charitate, ardente, & ſplendente, valdeque ſimili ipſius Chriſti charitati: ita vt h *aquæ multæ non poſſint extinguere* tantam *charitatẽ, nec flumina obruere illam*: quia adeò erecto & infracto animo ex hoc ſumpto cibo erit: vt cùm Apoſtolo dicat: i *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*? ſiue ab ea, qua ipſe nos perſequitur; ſiue, quam nos ad illum habemus. Et quis diuiſionem faciet inter cibum ſumptum, & eum qui ſumpſit, poſtquam ex vtroque factum eſt vnum? ſi igitur Chriſtus in ſacra Communione me fecit vnum ſecum; quis nos ab inuicem ſeparabit? certus ſum ob hæc pignora, quæ ipſemet Dominus in hoc cibo mihi tribuit, quod creatura nulla poterit me ſeparare à charitate, quam mihi cum illo

g *Iſa.* 28. 16. 1. *Pet.* 2. 6.

h *Cant.* 8. 7.

i *Rom.* 8. 35. *Carbunculus amoris.*

com-

communicat, ad ipsum enim spectat hanc vnionem conseruare, quam ipse met fecit. Aliqui etiam Doctores, per calculum hunc candidum intelligunt margaritam, seu gemmam, cuius pretium olim erat inæstimabile: præcipuè cùm duæ valdè similes inueniebantur, quas VNIONES appellabant. Et quamuis certum sit Christum D. N. esse vnicam k *margaritam* singularem infiniti precij & valoris, cum qua nulla alia in omnibus æquari possit: est tamen eius charitas adeò immensa, vt veniat ad Sacramentum ad faciendos vniones adeò excellentem sanctitatem communicanti iusto tribuens, vt in ea valdè ipsi assimiletur; & per vnitionem amoris fiant vterque tanquam duæ margaritæ & vniones valdè sibi similes. Quamuis præcipuè huiusmodi vniones in magna æqualitate & similitudine faciat inter ipsos iustos; hos cum illis ita vniendo, vt sint tanquam cor vnum & anima vna, propterea quod panis, quem sumunt, sit vnus; & Manna, quod gustant, vnum; & vnus lapis viuus, à quo omnes hanc vnitionem accipiunt.

SED vlterius adhuc extendit se magni Dei nostri liberalitas, dum vincentibus promittit, simul cum Manna & calculo candido, se daturum l in calculo *nomen nouum* scriptum tantæ excellentiæ, quod nemo scire possit, nisi qui accipit. Et quoniam nomina, quæ DEVS imponit, non sunt inania, sed plena excellentia, quam significant: pro eodem reputatur dare illis *nomen* & dare excellentiam, qua illos honoret. Sed videamus quænam hæc sint nomina, vt ea & æstimare nouerimus, & procurare; nosque dignos reddere, qui illa accipiamus.

QVOD vt intelligas, aduerte; in calculo candido verbi diuini incarnati, præcipua tria nomina admirabilia esse scripta. Primum est nomen m *Iesu*, quod significat *Saluatorem*; quemadmodum Angelus declarauit beatissimæ Virgini & n *S. Iosepho*, quod nomen etiam fuit illi in Circumcisione impositum; eò quòd sanguine suo pretioso saluos erat facturus, & redempturus homines, liberando eos à suis peccatis; & pœnis æternis, quas illis erant promeriti. Secundum nomen fuit CHRISTI quod *vnctum* significat; quo nomine illum prophetæ compellarunt, eò quòd futurus esset supremus Rex, & summus sacerdos & omnibus gratijs o *Spiritusq;* diuini donis sine *mensura* vnctus: Tertium nomen fuit illi FILII DEI; ob vnionem Hypostaticam, ob quam primogenitus est, & in omnibus æterni Patris hæres. quemadmodum eius Pater declarauit in Baptismo, voce illa de cœlo, qua dixit p *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Hæc tria nomina sunt noua, quia nullus ante ipsum Saluatorem, in ea qua ipse excellentia illa habuit. Quæ excellentia adeò est infinita, vt ipsemet solus, qui ea accepit, eam cognoscere & æstimare possit. Sed quamuis nomina sint tria, aliaque innumera sub eis lateant ex omnibus ta-

p *Plinius lib. 9. c 29.*

k *Ma. 13. 46.*

Charitas Dei & proximi.

4.

l *Apoc. 2. 17.*

m *Luc. 1. 31. & c. 2. 21.*

n *Matt. 1. 21*

IESVS.

Christus.

o *Ioan. 1 14. & c 3 34*

Filius Dei.

d *Mat. 3 17.*

men fit vnum nomen, ſicut vnus eſt is, cuius illa ſunt. nam vnumquodque illorum alia duo in ſe includit : & cum omnibus ad ſanctiſſimum Sacramentum venit: Iuſtisque in ſacra Communione ſeſe tradit, vt participes eos faciat magnalium, & excellentiarum, quæ in his nominibus continentur; ita vt & ipſi eorundem nominum ſint participes.

.1 q 1. *Cor* 1.30

IESVS.

NAM primùm ibi datur nobis calculus candidus cum dulciſſimo nomine IESV, facit enim officium Saluatoris, ſalutem & ſanctitatem, quam nobis comparauit, nobis applicando. Ita vt ibi ſit nobis q *iuſtitia*, & *ſanctificatio*, & *redemptio*; & modo quodam proprium ipſum nomen nobis attribuit, quatenus cooperatores ſuos fecit, ad ipſam noſtram ſalutem. Quamuis enim ſolus ipſe Ieſus ſit præcipuus noſter Saluator ; at cum eius auxilio & & gratia vnuſquiſque ſaluat ac r *ſanctiſicat ſeipſum* : poteſtque ſalutem & ſanctificationem aliorum adiuuare.

r 1. *Ioan.* 3. 3. *Eccl.* 2. 20.

2. *Catechesi Myſtagogi ca* 4. *Chriſtus* ſ *Deus* 122. 13 *Pſal.* 80. 17

FACIT etiam nos participes nominis CHRISTI, à quo omnes vocamur Chriſtiani : & per Communionem (quemadmodum ait S. Cyrillus Ieroſolymitanus) vocamur Chriſtophori : quia Chriſtum ferimus. Cuius nomen propter *vnctionem*, quam ſignificat, eſt quaſi vnguentum per omnes animæ potentias effuſum, quas donis & virtutibus, oleoque deuotionis ac lætitiæ ſpiritualis vngit. Nam ex viua ſ *petra* quæ in hoc Sacramento eſt, *oleum & mel fluit*, quod recreat & vngit ſuſcipientes : vt fiant ſpirituales Sacerdotes, Reges, & Prophetæ in virtute eius, quem intrà ſe ipſos gerunt.

3. rr *Ioan.* 3. 1 *Filius DEI.*

DENIQVE participes nos facit ſupremi nominis t FILIORVM DEI, quod tanti facit S. Euangeliſta Ioannes, cuius excellentias indicauimus initio primi Fractatus; & eius indicium eſt hæc Sacramẽti ſumptio, ſiquidẽ datur nobis panis proprius Filiorum, qui conſiſtit in amore, reuerẽtia, & obedientia erga cœleſtem noſtrum Patrem : Qui complacet ſibi in nobis, quemadmodum in Filio ſuo naturali , propter quem accipit nos in Filios adoptiuos.

u *Iſa.* 62. 2. *Sponſa Chriſti.*

PRÆTEREO noua ſponſæ & amicæ nomina, quæ idem Rex cœleſtis animabus ipſum ſuſcipientibus attribuit : illud in ſingulis earum adimplendo, quod de ſua Eccleſia dixerat : u *vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & Diadema regni manu Dei tui : non vocaberis vltra Derelicta : ſed vocaberis voluntas mea in ea.* Vbi autẽ melius hoc expletur, quàm in feruenti cõmunione, quando anima tanquam ſponſa, cum ſuo ſponſo coniungitur ? qui honori ſibi ducit coronam ſuam ei tanquam Reginæ, ac victrici imponere: & vt intelligat ſe ab ipſo amari: ac proinde ſe teneri ad ipſum omni ſuo affectu & voluntate redamandum. illud verò maiorem adfert admirationem, quòd hæc nomina ſemper dicantur noua, nam quotieſcunque fit Communio, modò cum ſpiritu fiat,

ca re-

ea renouat hic Dominus tanta animi lętitia: atque si tunc primùm ea imponeret, confirmans & augens excellentias, quas cum illis tribuit. 4.

OMNIA denique illa præclara, quæ de hoc diuino Sacramento eiusque nominibus hactenùs diximus, adeò sunt excelsa & stupenda, & desiderium, quo ipse Saluator tenetur, vt eorum participes efficiamur, adeò est vehemens, vt, ad nos ad idem studium ac desiderium animandos, adiecerit illa verba: *nemo scit nisi qui accipit*: quasi diceret, date operam diligentem, vt ea obtineatis: ipsa experientia percepturi, quantùm illa valeant, absque luce enim & amore, qui cum illis communicatur, impossibile est ea integrè cognoscere, sicut dictum est.

CAPVT VIII.

CAVSAE ET RADICES NON PROFICIENDI ex frequenti Communione, & earum remedia.

INCREDIBILI Sathanas prosequitur odio sacram Communionem, cùm cernit insignes fructus, qui ex eius frequentatione possunt prouenire, & hacira excitatus renouat contra eos, qui illā frequentant, persecutionem, quam excitauit in ipsum Christū D.N. cum per eius hostium os protulit illa verba: a *Mittamus lignū in panē eius, & eradamus eum de terra viuentiū*: quasi diceret (vt declarat S. Hieronymus) siquidē seipsum viuū panē appellat: venite, crucifigamus panem hunc ligno: vt ibi moriatur. quasi qui toxicū, ꝙ est venenatæ cuiusdam arboris succus, in panē mittit, vt comedentem occidat. Quid itaq; existimas, Sathanā facere, cùm agis de Communione sumenda: nisi quod trabem quandam, siue crucem in pane ponat, quem sumere disponis: omnem mouens lapidem vt amarum & insipidum eum tibi reddat, & præparationē ipsam grauem faciat, ac onerosam, vt vel omninò abstineas, vel ita malè præparatus sumas, vt qui aliàs est panis vitæ, occasionem tibi præbeat mortis: quemadmodū Iudæ: de quo scriptū est, quòd b *post buccellam introiuit in eum Sathanas*: vt eum penitus perderet, si tamen superiùs posita documenta seruaueris: in caput hostis eius consilium conuertes. coniūgens scilicet lignum crucis Christi, cum hoc diuino pane. nam considerans, quanta ille pro te pertulerit in cruce: panis hoc ligno transfixus vitam tibi adferet, salutem & fortitudinem: & sic adferet commodum. At si crucem Christi horreas, laborem fugias, c *finem* (vt Apostolus ait) tibi *venter Deus* nō mirū erit, si horrorē & fastidiū panis hui⁹ cōcipias, qui mortē crucis repræsentat, aut ita sumas, vt nihil sumendo proficios. Et hinc incipies agnoscere occultas causas, & radices vnde exigu⁹ adeò ꝓfectus & fruct⁹ tibi ꝓueniat,

Sathanæ odium in Sacram Communionem.

a *Ier. 11. 19. Ibidem.*

b *Ioa. 13. 27*

c *Phil. 3. 19*

qui solet aliàs vberrimus ex frequenti Communione prouenire: quæ adeò potens est ad stupendos prædictos effectus proferendos. multi enim in eam miseriam deueniunt, de qua Aggæus dixit. *ponite corda vestra super vias vestras.* d *seminastis multum & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum*: In quibus verbis deprehendemus simul depictas diuini huius Sacramenti proprietates; & radices, cur eius fructus non percipiantur. Nam Communio ipsa simul est *sementis, manducatio, potus, vestitus,* & *negotiatio diuitiarum*: & maxima pars hominum mille impedimenta habet ne ex ea proficiat: eò quòd aliqua ex his tribus illis desint; aut scilicet *animæ puritas,* aut *meditatio & oratio,* aut *mortificatio* suiipsorum. quemadmodum paulatim explicabitur per quatuor hasce comparationes, quibus vsus est hic Propheta.

d *Agg.* 1.5.

Tria impedimenta.

§ 1. *Explicantur hæ tres radices.*

PRIMVM diuinum hoc Sacramentum est a *granum* illud *frumenti* quod *cadens in terram & mortuum plurimum fructum adfert*: Christus enim D. N. mortuus pro nobis in cruce, & sepultus, glorioſus resurrexit: cuius meritis, mundi conuersio est facta: & ipsemet se in hoc Sacramento posuit, vt in animabus iustorum seminatus, copiosos in eis fructus proferret, in aliquibus quidem b *Fructum trigesimum,* in alijs *sexagesimum,* in alijs *centesimum* iuxta dispositionem terræ, in quam mittitur. omnibus enim & in omnibus statibus vitæque rationibus prodest: Sæcularibus, Ecclesiasticis, & Religiosis; coniugatis, continentibus, Virginibus, & Doctoribus, Tyronibus in virtute proficientibus, & perfectis; ambulantibus viam purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam: singulis tantam refectionem tribuens spiritualem, quanta illis opus est, vt in suo statu proficiant. Quod cum ita sit: vnde proueniet vt seminantes multum, colligatis parum? sumatis frequenter diuinum hoc granum in vestris animabus; & exiguum ex eo fructum habeatis? Defectus puocul dubiò non sementis ipsius est; sed prauæ dispositionis terra; eò quòd non sit bene culta, sed spinis & vrticis plena; quæ bonã semeutis vim & efficacitatem impediunt, atq; retundunt. Solùm enim attenditis vt Communionem sumatis, non cogitantes vt cordis vestri duritiem emolliatis, carnis passiones mortificetis, nimias vestras cupiditates moderemini; quæ spinarum instar animam pungunt, cruentant, & maculant; indignamque reddunt, quæ sumat hunc vitæ panem. quare nisi hos obices remoueatis: granum manebit solùm, nec proferet in vobis fructus copiosos. Attendite quid DEVS dicat per Ieremiam: c *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas: circumcidimini Domino & auferte præputia*

a *Ioa.* 12.25.

Mortificatio necessaria.

b *Matt.* 13.8 23.

1.

Terra est inculta.

c *Ierem.* 4.3

cordium

cordium vestrorum, viri Iuda, & habitatores Ierusalem: quasi diceret, quid iactatis vos, quod fidem Catholicam profiteamini, & sitis habitatores Ierusalem, verique ciues Ecclesiæ; agite, circumcidite dura corda vestra, & superflua eorum abscindite, malitiam eorum auellite: nolite pretiosam adeò sementem inter spinas mittere: alioquin vestri laboris fructum facilè amittetis. nouate prius terram, in qua illa est iacienda, & d*seminate vobis super opera sanctitatis & iustitiæ: & tunc metetis in ore misericordiæ.* in hoc enim diuino Sacramento est ipse Saluator, qui est ipasmet misericordia, habetque os apertum, vt annuat omnibus vestris petitionibus, iuxtà bonam dispositionem, cum qua accedetis, *offerte* illi e *vasa munda*, à malis liquoribus vacua, & ille *infundet oleum* suæ misericordiæ & gratiarum, donec illa repleantur.

Osea. 10.

4. Reg. 5.

HINC licet ad secundam miseriam progredi, quàm refert Propheta dicens: *comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati*; cùm enim sit certum, quod hoc sanctissimum Sacramentum cum omni proprietate sit cibus & potus efficacissimus ad sedandam famem, sitimque animæ extinguendam, donec (vt suprà est dictum) diuinorum donorum abundantia f eã inebriet. Vnde igitur proueniet, vt ex tanta cibi & potus frequentia tam exigua proueniat vitutis fortitudo, atque si non comedisses? adeoque esurias ac sitias, & in eisdem hæreas necessitatibus, atque prius? vnde etiam proueniet: quod cùm diuinum hoc vinum adeò sit fortè, nunquam tamen, eo hausto inebrieris, nec mutes errantia iudicij tui dictamina, quæ priùs habebas? Ad quod etiam dicere possumus, defectum hunc non in ipso cibo esse; sed in praua tua dispositione. siue quòd absque fame & siti, & ex sola consuetudine illum sumas, quemadmodum g *Ephraim vitula docta diligere trituram*: quia scilicet comedis, non æstimans diuini huius Sacramenti excellentiam; nec illas diligentias & considerationes adhibens, quæ famem excitabant, qua aliàs dispositus accedebas: quas nisi frequenter studeas renouare, eò deuenies, vt & suauem gustum, & spiritus profectum amittas. Non enim sine causa olim DEVS iubebat h *Propositionis panes*, qui diuini huius Sacramenti figura erant, per *singula Sabbatha*, siue hebdomadas *mutari*, *aliosque recentes* & i *calidos apponi*: ad significandum, quantoperè CHRISTVS Dominus noster desideret, vt singulis hebdomadis feruores Communionis renoues; & quasi recentem panem sumas cum magno spiritus ardore.

2.

f Cant. 1.

Fames deest.

g Osea 10. 1

h Levit. 24. 8.

i Reg. 21. 6.

QVOD idem DEVS intendebat, cùm voluit Israelitas quotidie comedere Manna recens de cœlo descendens, nec ab k *vno die in alterum illud seruare*, sed quotidie l *ante solis ortum* illud colligerent, quod figura erat, diuinum nostrum Manna, etsi panis sit quotidianus, comedendum

k Exod. 16. 19. 21.

l Sap. 16. 28.

tamen esse tanquam recens, cum recenti sapore & gustu, ac recenti diligentia in præparatione, vt semper prosit.

& Digestio quæq;

Ex hoc etiam procedit, quòd quemadmodum qui multum comedit: non propterea à proficit, si nimis festinanter, & cibo in ore (vbi prima fit digestio) non contrito comedat; aut in stomacho, ob naturalis caloris nimiam debilitatem, non benè concoquatur: ita frequens communio vtilis esse non solet, eò quòd properanter fiat, & non ruminante intellectu spiritualem hanc escam; vt meditatio in voluntate ignem accēdat affectuum: quibus id quod sumitur, animæ ipsi coniunctum, faciat illam proficere. Quod si DEVS iubebat Paschalem m *Agnum festinanter* comedi; id fuit ad significandum, diuinum hunc cibum proprium esse feruentium peregrinorum, qui festinanter ad cœlum properant. sed & iubebat *non comedi ex eo crudum quid, nec coctū aqua: sed tantum assum igni*: vt intelligeretur, ignem amoris Dei ac deuotionis hunc diuinam escam condire, vt animæ prodesse possit: neq; enim profuturum, si frigidè ac tepidè sumatur.

a Exod. 12. 11.

Infans non communicet.

HINC etiam fit, quòd quemadmodum infans (cuius cibus debet esse lac, aut liquidum quid) non nutriretur, aut incrementum sumeret, si durus aut solidus cibus ei porrigeretur, quia integrum bolum deglutiret, nec posset digerere: ita multi non proficiunt; quia communicant tanquam Infantes, & non tanquam adulti: quòd est contra id, quod Christus Dominus Sancto Augustino dixit: *n* cibus grandium sum: cresce & manducabis me. sed non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me: quasi ei diceret: sacram Communionem non esse cibum Infantum, qui nesciunt quid sumant; nec discernunt hunc cibum à reliquis. Ac propterea iure optimo (quemadmodum ait Sanctus Thomas) recepta est illa consuetudo, vt non detur sacra Communio nisi in ætate, in qua sit iam perfectus vsus rationis: eò quòd hic cibus propriè sit grandium, qui in virtute, & cognitione, ac donorum Dei æstimatione profecerunt. Ex quo fiet, vt si tanquam Infans communices, conuertas in te hunc cibum, sicut reliquos corporis: non tamen tu conuertaris in ipsum, nisi tanquam grandis communices, attendens scilicet, quid agas. nam tunc quia panis est viuus, in seipsum transformat comedentem: imprimens ei similitudinem in vita & virtutibus.

l Lib. 7. Confes. c. 10.

3. p. q. 80 a 9. ad 3.

3. Palatum infectum. Homil. in Zach.

TERTIA alia causa, cur ex frequenti communione non proficias est, quòd animæ tuæ palatum sit infectum: & ad viles terrestresque carnis cibos propensum & affectum; ideò enim in spiritualibus cibis gustum & delectationem non inuenis. Comedis (ait S. Gregorius) nec saturaris: quia aliud mandis, aliud esuris. Comedis Sacramentum, quod non esuris; esuris autē res terrenas & inanes, quas non comedis: propter quas fastidium con-

cipis

cipis ciborum spiritualium : quos sensim respuis, donec omninò reijcias: aut non, nisi, vt alijs ad oculum satisfacias, assumis. Quemadmodum Israelitæ, cùm Manna ex se adeò esset sapidum & palato gratum, vt initio cum magna oblectatione illud comederent. sed quoniam quotidie illud sumebant, eò deuenerunt, vt fastidium illis adferret; & reuocatis in memoriam ollis carniũ, quas comedebant in Ægypto, dicebant: o *anima nostra arida est, & nauseat super isto cibo leuissimo*: ex quo grauissimum illud illis euenit damnum, de quo Dauid dixit: p *omnẽ escã abominata est anima eorũ* (eò quòd eam escã detestarentur, in qua oẽs cibi cõtinerentur eminẽter) & *appropinquauerũt vsq; ad portas mortis*, ne comederent. Hunc ergò in modũ tibi euenit, qui initio tuæ cõuersionis & nouæ vitæ magnã percipiebas ex Cõmunione oblectationẽ, & spiritualem vtilitatẽ: cuius sensim iacturam facis, eò quòd carnis delitijs, vanitatibus & mundi oblectamentis aditum præbeas; ex quo anima tua aresc it, ac deficit, peruenitq; ad ipsas portas mortis, & periculum finiẽdi vitam aliqua culpa lethali, nisi rediens ad te ipsum, affectiones eiusmodi terrenas exuas, redeasq;, ad cum gustu & profectu cõmunicandum; & q *renouetur* (vt Dauid dixit *sicut aquila iuuentutis tua.* de qua S. Augustꝰ. quòd temporis decursu ita superior pars rostri suprà inferiorem excrescat, vt nõ possit benè illud aperire ad cibũ sumendũ; & ita debilitatur, senescit & arescit: quæ tamen naturali suo instinctu sentiẽs periculũ sibi imminens, rostro percutit fortiter petram, donec superiorẽ illam partẽ frangat; tunc. n. consuetum cibũ sumere potest; & ita renouatur: nouasq; induit plumas, ac volat sicut antea. Sic ergò tibi est, quòd licèt eò peruenias, vt in virtute sis tantus, atque est quila: immineat tibi tepiditatis & senectutis periculum; eò quòd superior spiritus pars versus terrã conuertatur; patiarisq; eam ad res carnis & mundi inclinare, tuasq; intentiones inuerti, & curuari ad quærendum proprium honorem, proprium commodũ, aut gustum, aut hominibus placere; & amplectaris, sequarisq; iudicium proprium, & voluntatis propriæ impetum, ex quibus prouenire solet spiritualium ciborum, & sacræ Communionis tædium: r *arescit enim cor tuum, eo quod obliuiscaris comedere panem tuum.* Si tamen oculorum perspicacitatem habeas, vt periculum tuum aduertas, recurrendum tibi est ad lapidem viuum, qui est Christus: cuius fauore & gratiâ conterere possis excessus in te succrescentes; confringens proprii iudicij ac voluntatis duritiem; & mortificans intentiones & affectus, eosque ad rectum finem & scopum dirigens. Ex quo depositò fastidio, sumes cum voluptate diuinam hanc escam, quæ iuuentutem tuam, sicut aquilæ renouabit; viresque præbebit ad volandum sine defectione in rebus obsequij ipsius.

o *Num.* 11. 6. *&c.* 21. 5.

p *Psal.* 106. 18.

q *Psa.* 102. 5. *Renouatio spiritus.*

r *Psal.* 101. 5

§. 2. *SS. Sa-*

§. 2. *SS. Sacramentum vesti comparatur.*

ALIA diuini huius Sacramenti excellentia est, quod sit animæ quoddam indumentum. Nouimus enim Christum D. N. instar vestis esse hominis iusti. Qui (vt S. Thom. ait) illum induit, aut per Sacramenta, quæ suscipit; aut per Sanctissimæ ipsius vitæ imitationem, in qua se exercet: ideò enim Apostolus dixit: a *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; & omnes exhortatur, vt b *induant* eundem *Dominum* IESVM *Christū*, se ipsos tegentes, & exornantes recentibus ac cœlestibus eius moribus. Quamuis enim vna eademq; vestis non possit multis adaptari: (si enim est ad mensuram parui hominis facta, non aptabitur magno; nec vestis magni apta erit paruo) at Christus D. N. quia est indumentum viuum, adaptat se ipsum paruo & magno; macro & pingui: eas virtutes singulis tribuens, quæ sint eis accõmodatæ. Propterea enim Sacramenti huius speciebus se contexit: vt animã ingressus, eius fieret vestis; suisque gratijs & pretiosis virtutum vestibus, statûs eius capacitati accommodatis, eam indueret, & exornaret. Et quoniam vestis accommodata non solum exornat corpus: sed fouet etiam illud, eiusque calorem conseruat: & sic est causa, cur illud crescat: ita iustitiæ c *Sol* induens animam, ipsum recipientem; calorem eius spiritualem conseruat, nouoque spiritûs feruore, quem communicat, illum adauget. Quemadmodum verò corpus non calescit à veste, ob alteram ex duabus causis: vel, quòd illud sit à frigore omninò possessum, & vitali calore priuatum: (ac propterea, etiamsi cadauer plurimis vestibus cooperiatur, calorem ab eis non recipiet) aut quòd non benè applicetur corpori, nec illi adhæreat: ita etiam, qui communicant, non recipiunt spiritualem calorem ex Christi D. N. præsentia: eò quòd à peccati mortalis frigiditate sint omninò possessi; aut, ob remissioris vitæ tepiditatem & laxitatem, non applicant cordi suo bonum, quod suscipiũt: Hæc enim applicatio fit per attentam considerationem, fidemq; viuam ipsius Domini, quem suscipiunt, & virtutum eius; & per *cingulum* mortificationis, quo illæ nostro spiritui cõnectuntur. quæ duæ res si desint, Communio ipsa, & reliqua bona opera externa, erunt tanquã vestes discinctæ, nec aptatæ: à quibus nullus animæ calor accedit: quia non perueniunt ad eius interiora. Et in hunc sensum interpretari licet, quod Christus D. N. cùm de hoc Sacramento sermonem haberet, dixit: d *Spiritus est, qui viuificat; caro autem non prodest quidquam.* Nam quemadmodum sola caro Saluatoris, nisi diuinæ personæ, quam spiritũ appellat, coniuncta esset, animas nostras non viuificaret: ita hæc ipsa caro diuinitati vnita, si non aliter suscipiatur in Communione, quàm corporaliter sine spiritu, sine viua fide, & sine ea consideratione, quam talis cibus exigit, non adfert animæ vtilitatem.

Lectio. 3. in cap. 15 ad Rom.

a Gal. 3 27.

b Rom. 13. 14.

Vestis ornat, fouet.

c *Apoc.* 12. 1.

Mors vel tepor non emlescit.

d *Iacob.* 6. 64.

EX omnibus, quæ diximus, colligitur detrimentum vltimum, quod

Prophetа retulit: e *qui mercedes congregauit, misit eas in sacculū pertusum*, quasi diceret: quamuis nullum sit medium ex se magis efficax ad spirituales diuitias colligendas, quam ritè, digneque facta communio, in qua omnium diuitiarum largitor suscipitur: aliqui nihilominus parum ex ea proficiunt, nec fructus apparet laboris eorum: quia totū id incidit in cor tale, quod est quasi *saccus pertusus*, ex multis partib. ita effluens, vt retinere nequeat, nec bonum conseruare, quod suscipit. In hanc miseriam incidunt, qui prauis prædictis dispositionibus communicant. & illi etiam, qui statim post communionem cor suum per quinque sensus effundunt, quærentes delitias, & solatia terrena; & qui non hęrēt in perpendendo bono, quod susceperunt, nec attendunt, vt hospite, quem secum habent, fruantur; sed mox liberam relinquunt imaginationem & phantasiam; vt quò libuerit excurrant. Saccus etiam pertusus censetur hominis ingrati & superbi cor, quod insensibiliter ob suam ingratitudinem, aut superbiam bonum amittit, quod accepit.

e *Aggai* 1.5.

Negotiatio vtilissima.

Saccus pertusus.

DENIQVE indiscretus feruor, cum aliquo obedientiæ defectu, idem adfert detrimentum, nam vt vulgari prouerbio dicitur: *Cupiditas saccum lacerat.* Quemadmodum enim nimis cupidus homo tantùm pecuniæ sacco imponit, vt eum crepare faciat; ita nimis zelosus homo, cùm indiscretè suo solo iudicio ducitur, adeò terminos excedit in pœnitentijs, orationibus, & communionibus, vt omnia confringat ac destruat, eò quod medium non tenuerit, de quo superiùs est actum.

Communio moderata.

CAPVT IX.

VARIA ET VTILISSIMA DOCVMENTA AD Sacramentalem Communionem cum spirituali & cum Oratione coniungendam; Ex Ruth Historia desumpta.

EX ijs quæ hactenus dicta sunt, facilè fuerit deprehēdere, quanti sit momenti, sacramentalem Communionem cū spirituali coniungere: quam (ait S. Thomas) consistere in feruenti & efficaci diuinū hoc Sacramentum suscipiendi desiderio, sumendo scil. ipsum Christum Dominum spiritualiter per actus fidei, spei, & charitatis, simul cum ingenti desiderio eidem se se incorporandi per amorē & virtutum eius imitationem. Et hanc appellamus orationem mentalem (quemadmodum alibi dictum est) quæ meritò semper debet comitari sacramentalem commu-

3. p. q. 8. a. 1.

In Duce spir. tract. 2. c. 17.

monem, vt illa cum fructu fiat. Neque enim sine causa Deus in veteri lege iussit, super Panes Propositionis *aponi thus lucidissimum*, absque vlla scilicet mixtura terrena: vt intelligeretur, sanctissimi Sacramenti sumptioni, quod per hos panes significabatur, coniungendum esse thus orationis, & considerationis valde illustratæ, & affectuum feruore accensæ. Non enim vult Dominus, esse in sua Mensa panes sine thure; nec thus sine panibus: oratio enim adiuuat Cõmunionem; & Communio ipsam orationem. Et quemadmodum panes supra se habebant thus, ita Communio sustentat orationem; ipsa verò oratio ornamentum esse debet, odorque Communionis. Et propterea (ait S. Lucas) de primis Christianis: quòd essẽt b *perseuerantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*: vtramque scil. coniungentes Apostolorum sensu & consilio; sicut ipsi à Christo Domino didicerant, qui ad vtramque hanc spiritus refectionem exhortatur. Et quando electos suos visitare dignatur, insignia & admiranda documenta illis tradit, ad eam cum fructu sumendam: quorum documentorum summã quandã hic ponemus, acceptam ex ijs quæ venerandus Booz (qui, vt supra fuit dictum, figura fuit Christi Saluatoris nostri) dedit feruenti RVTH, quando ex ciuitate Bethlehem exiens, ad suos messores visitandos, eam vidit colligentem spicas. Videns enim eius paupertatem, quia non habebat, vnde se aleret, dixit ei: c *Si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quib. pueri bibunt; & quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & contigit polentam sibi, comeditq; & saturata est; & tulit reliquias, atque inde surrexit, vt spicas ex more colligeret.*

a *Leui. 24.7 Thus super panes.*

b *Act. 2.42. Meditatio iungatur S. Communioni. Tract. 2. c. 11*

c *Ruth 2. 9. 14.*

QVÆ imago viua magis ac propria depingi potuit eius, quod in spirituali animarum conuiuio geritur? noster enim cœlestis BOOZ, qui, iuxta vocis significationem, est *fortitudo Patris* æterni, paupertatem videns & imbecillitatem in eius obsequio laborantis, nec ex proprijs, sicut altera RVTH, panem habentis, quem comedat; nec aquam, quam bibat; nec iustitiæ titulum ad eam petendam; ipsemet præuenit eam, & inspiratione sua monet, vt accipiat, dicẽs in primis: *Si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt*; quid enim hoc aliud est, quàm illi in particulari dicere, quod vniuersim per suum Prophetam omnibus dixit: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione.* Manifestũ est & messores, & qui spicas colligunt, grauem sitim passuros: tum ob grauem laborem, tum ob solis æstum, quo fatigantur. Et qui in virtutum persequutione laborant, non paruam etiam sitim sentiunt; tam ob tentationes & difficultates, quas patiuntur: quàm ob ardentia desideria, quæ habent, vt bonum, quod quærunt, consequantur. Quid igitur supremus noster DEVS dicit, cùm animam fideliter, &

d *Isaia 55. 1.*

ex to-

ex toto corde ipsi seruientem visitat? si te senseris graui siti laborare: ne te perire sinas, neque otiosè expectes, vt aqua de cœlo descendat, & influat in os tuum; sed stude diligenter, eam quærere. Quod si velis scire, vbi eam inuenies, *vade ad sarcinulas*, quæ sunt in Ecclesiæ meæ agro: nam etsi in exteriori specie sarcinulæ videantur: intus tamen sarcinæ sunt magnæ, continentes ingentia vasa, pretiosis aquis plena: & sunt tanquam e *fontes Saluatoris*, ex quibus magna cum voluptate aquæ istæ deducuntur. Lege libros sacros & pios; meditare diuina mysteria; susci pe Sacramenta; assiste diuinis sacrificijs: quia in his omnibus aquam inuenies sapientiæ salutaris; aquam deuotionis & lachrymarum; aquam viuam gratiarum ac donorum cœlestium: quibus tuam sitim mitigabis, & spiritum resumes ad continuandum tuum laborem.

Sitis perfectionis.

e *Isaiæ.12.3.*

SED attende, vt ex aquis illis bibas, ex quibus bibunt *pueri* mei. caue ne eas bibas, quas Hæretici aut sæculares homines bibunt, quæ sunt turbidæ, lutulentæ, ac venenatæ. f *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam* ex Nilo *eius flumine? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis* eius Euphratis? si quidem renunciasti Sathanæ, & eius erroribus; mundo & vanis pompis eius: noli aquas bibere quas ipsi bibunt; ne prophanos libros legas; ne falsa illorũ iudicia & dictamina sequaris, quæ circa hæc peritura bona habent: sed claras & crystallinas aquas bibe, doctrinæ puræ, veræ, ac solidæ sanctitatis, quas bibunt pueri & amici mei, attendens modum humilem, & cautum, quo eas illi hauriunt, sic enim sitim tuam sedabis, quemadmodum illi suam extinguunt.

Pueorum Christi aqua.

f *Ierem. 2.18*

§. I. *Monita de Oratione & Communione.*

SED quoniam potus non est sufficiens subleuatio messorum: addit cœléstis noster Booz monitum aliud, quo omnes charitatis suæ vires intendit, dicens: g *cum fuerit hora vescendi: veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Quis enim iste est panis messorum Christi, nisi ipsemet CHRISTVS, qui est h *panis viuus*, præcipuè in hoc sanctissimo altaris Sacramento? ad cuius sumptionem, cùm eos visitat, exhortatur, præbens eis vtilissima documenta, vt in magnum suum commodum illum sumant.

Fames.

g *Ruth. 2.14*

h *Ioan. 6.35.*

PRIMVM documentum est, vt veniant *quando fuerit hora*: quo monito præsupponit, debere esse horam sacræ Communioni præscriptam; neq; enim absq; mysterio Booz non præscripsit RVTH horam aliquam, ad aquas

Hora comedendi.

bibendas: hauſtus enim ſtando ſumitur; & quaſi obiter, quoties ſitis ſedandæ vrget neceſſitas: ſed ad ſumendum cibum, hora eſt deſignata, quia non obiter, ſed ex inſtituto, & longiori temporis interuallo ſumitur; vt viribus reparatis, ad laborem rediri poſſit, vt intelligant operarij Chriſti, ſe duplicem ſpiritualem refectionem ſumere debere: alteram tanquam potum, & obiter, interrumpendo breuiter actiuæ vitæ actiones, & labores corporales, aliquibus affectibus amoris, ac deuotionis: petitionibus, & orationibus iaculatorijs; quæ tanquam haſtæ in cœlum iaciuntur: cum breuibus aliquibus conſiderationibus, quæ aliquam recreationem & reſpirationem in ipſo laboris decurſu adferant. Sed præter hanc aliam debent accipere refectionem in modum cibi, ex animi deliberatione & prolixiori mora: relictis tunc Marthæ occupationibus, ac diuerſis alijs exercitijs: vt ſumendo huic cibo magis attendatur: nunc ſpiritualiter in oratione & meditatione recollectaillum ſumendo; nunc etiam Sacramentaliter ipſum Sacramentum ſuſcipiendo. Ad quod meritò debet eſſe & dies & hora præſcripta, quę inuiolabiliter eſt ſeruanda. Communio ſpiritualis quotidiè eſt ſumenda præſcripta hora conuenienti, tempore matutino aut veſpertino. Nam vt ait S. Bonauentura) ſi hanc horam ſumendo quotidie corporali cibo deſignamus; & ſi tunc occurrat neceſſaria aliqua occupatio, horā ipſam præuenimus, aut extrahimus; vt occupatione finita cibum ſumamus; magis erit rationi conſentaneū, horam præſcriptam habere ad ſpiritualem animæ refectionem quotidie ſumendam. Non enim decet maiorem ancillæ, quàm Dominæ curam gerere; & carnem præſcripta hora ſemper frui conuuio; animam verò ſuo fraudari: cùm etiam grauior ſit ſpiritus quàm corporis neceſſitas. Quod ſi qua neceſſaria occupatio, vel ex obedientia, vel ex charitate, præſcriptam horam impediat, ſumenda meritò erit ſtatim, atque occupationi fuerit ſatisfactum: periculoſum (vt S. Chryſoſt. ait) exiſtimando tali cibo priuari, ne cor ipſum arefcat, ſi panem ſuum comedere obliuiſcatur. Et propterea S. Auguſt. dixit: multùm referre ſi hora deſignetur, vt ipſe defectus faciliùs aduertatur; deturque opera, vt poſtea ſupplcatur.

EODEM modo dies eſt præſcribendus, & hora certa pro communione ſacramentali iuxtà monita ſuprà poſita: ſine tali enim communione non poterit meſſis labor perdurare: qui cùm ſit continuus, neceſſe eſt comeſtionem eſſe tam frequentem, vt ſufficiat ad reliqua bona exercitia ſine aliqua interruptione continuanda. Sed latet myſterium in eo quod dixerit Booz: *ſi ſtieris, bibe ex aquis*: & tamen non dixerit: ſi eſurieris, *quando erit hora, veni, comede.* Nam licet ſit verum, quod hic diuinus cibus ſit cum fame ſumendus, vt proſit; & fames hæc ordinariè ſit in feruentibus, quādo accedit hora præſcripta: at ſi quando fortè deeſſet fames hæc ſenſibilis: non eſt

Potus frequens.

Cibus ſtatus

De Myſt. Theol. c. 3. p. 3. Spiritualiter quotidie cōmunicandū

Lib 1. de orando Deū Epiſt. 121. ad Probam c. 9.

Communioni ſit certa dies.

ob id prætermittenda communio. quemadmodum ægrotus non omittit comedere horam præscriptam; quamuis comedēdi appetitum non habeat maior enim necessitatis quàm appetitus habenda est ratio. Et statim atque incipit præparatio, solet appetitus accedere: quem ipsa communio excitat, in quo etiam sensu intelligitur illud Sapient. i *Qui edunt me, adhuc esurient.*

Etsi famem non sentias.

i *Eccl.* 24. 29.

2. *Præsentia Dei.*

APPROPINQVANTE vtriusq; communionis hora, obseruandum est monitum secundum, quo dicitur: *veni huc, & comede panem.* quid est autem, Deum animæ dicere: *veni huc*, nisi: accede ad meum conspectum, & vbi ego sum, exercens viuæ fidei actum, huius veritatis, quod ego te aspicio? memento eum, qui k *ingressus fuerat conuiuium absque veste nuptiali* non cogitasse, Regem fore præsentem, alioquin fortè non fuisset ausus intrare. Et cùm etiam cibus corporis sumi debeat l *coram Deo* quasi, qui in eius conspectu est constitutus; quantò igitur magis cibus animæ, qui est ipsemet Deus. Præterea; cùm voluerit communicare, *veni huc*: ad locum scil. intra meam Ecclesiam designatum, m *extra quam non est Paschalis iste agnus comedendus.* Quamuis enim tanta sit huius Domini charitas, vt velit in hoc Sacramento extra templum exire, & ægrotorum domos accedere, eosque in suis lectis visitare: at qui sani sunt, non debent tantùm sibi tribuere; vt curare velint ad suas domos & oratoria illud deferri; ita rem disponentes, vt sacrum illic Missæ fiat, & ipsis communio sacra administrerur: sed cum magna animi demissione omnem torporem excutientes, ipsimet templa accedant, in quibus messores reliqui, & Iesu Christi operarij ad illam sumendam conueniunt, in quorum societate & ipsi diuinum hunc panem, reliquis omnibus communem sumant: propterea enim *communio* appellatur, hoc est, communicatio multorum, vnione charitatis in vno corpore mystico vnitorum: quorum cibus est vnus, & idem Christus: vt eundem spiritum habeant. Hic fuit primorum Christianorum spiritus, de quo S. Lucas: quod n *quotidie perdurabant vnanimiter in templo* ad orandum, eò quòd ille esset locus ad id constitutus.

k *Matt.* 22. 12.

l *Exod.* 18.

m *Exod.* 12. 46.

Communicandum in templo.

n *Act.* 2. 46.

SED tertium adhuc monitum ista magni momenti verba continent: vt quando communionis hora peruenerit, ad eam in puncto accedas, omisso labore, & rei quis omnibus occupationibus in tempus aliud reiectis: non trahendo moras ex pigritia. cui si locum dederis: fortè, cùm voles hunc cibum sumere, permittet Deus, vt non inuenias; aut nō ita sumas, vt tibi prosit. Quemadmodum Israelitæ, quia ex pigritia non veniebant manè diluculò, & tempore præscripto ad cōlligendum Manna; quando hora erat elapsa, etiamsi quærerent, non inueniebant: quia o *sol illud liquefaciebat*, in pœnam incuriæ eorum? Nec tamen ex pusillanimitate accedere prætermittas: indignum te reputans adeò sublimi cibo, qui sit perfectorum proprius

3. *Communio non est differenda.*

o *Exo.* 16. 21

nam ex eodem pane diuinus noster BOOZ dat suis messoribus, & RVTH: quæ tanquam pauper spicas colligebat. Panis hic & fortium est & debilium; diuitum & pauperum; grandium & pusillorum: quare si cum animi demissione ac Reuerentia accedas: hæc ipsa multos alios defectus supplebit. Nam Deus, qui te vocat & inuitat, dicens: *veni huc & comede* hunc *panem* contentus est ea dispositione, quam vt imbecillis habes ad ipsum sumendum: cupiens interim multò præstantiorem habere: vt tanto conuiuio cum maiori dignitate interesse possis.

4. *Bucella.*

CVM autem iam eris in conuiuio, illud monitum accipito: *Intinge buccellam tuam in aceto.* & quod dicit, buccellam, significat, diuinum hunc panem non esse integrum sumendum: quia sic nullus stomachus posset illum digerere, nec intellectus comprehendere: eò quod innumerabilia in se includat mysteria: quare in buccellas necesse est illum diuidere, & singulis diebus vnam accipere: cum meditatione scilicet particularis alicuius mysterij, iuxta distributionem supra positam. magis verò in particulari eum quisque bolum sumet, in quo maiorem consolationem & vtilitatem sentit: Christum Dominum nostrum supplex orando, vt ipse dignetur panem hunc frangere, quemadmodum in ipsa nocte p *cœnæ* eum *Apostolis fregit*: ipsius enim est electis suis distribuere cogitationes, ac sensa, quæ in ipsa communione percipiant. Ex quo fit, vt hic diuinus bolus non omninò siccè sumatur, sed intinctus in aliquo condimento, quod illum reddat magis appetibilem: nam propterea (vt Sancti Patres interpretantur) per q *panem* illum significabatur, quem Christus Dominus *dedit intinctum* in cœna *Iudæ* proditori. Sed præcipuè bolum hunc intingere debes in r *aceto*, quod *accepit Iesus* in cruce: coniungendo sacræ Communioni considerationem tribulationum & amaritudinum, quas ipse in sua passione est perpessus: nam diuinus hic s *agnus* non debet *comedi absque lactucis agrestibus* & amaris: institutus enim fuit in memoriam eius passionis ac mortis. Quare cùm sumitur, meritò in t *memoriam* est reuocandum quidquid ille in ea perpessus est. Et cùm acetum sit tanquam condimentum cibi, quem reddit sapidiorem, valdeque refrigerat; ac propterea est in vsu frequenti apud messores: ita Communio simul cum memoria passionis Christi est multò vtilior, magisque deuota: & cor ipsum fouet, concupiscentiarum ardores temperat, ac bonorum desideriorum sitim magis exsatiat.

p *Matt.* 26. 26.

Acetum.

q *Ion.* 13. 30.

r *Ion.* 19. 30.

s *Exod.* 12. 8.

t 1. *Cor.* 11. 26.

§. II. *Alia monita, ad communicandum cum spiritu.*

SED videamus mysticum illum modum, quo RVTH huic Booz mandato paruit. ait enim sacer textus, quòd, cum esset hora vescendi, y *sedit ad messorum latus*: eligens scilicet sibi cum animi demissione, modestia, quiete magnaque honestate vltimum locum: hoc siquidem totum exigit huius conuiuij sublimitas, & indignitas inuitati. Et statim additur *congessit polentam sibi*, hoc est, præparauit sibi cibum ex farina puriſſima; aut (quod alij Doctores interpretantur) ipsemet Booz *porrexit ei granatum*; quo scilicet messores vescebantur: eratque ex granis recentis frumenti ad ignem tostis, & manibus confricatis, vt folliculis spoliarentur, quibus in spicis claudebantur. In quo ad viuum omninò adumbratur hoc cœleste conuiuium, quod sua manu CHRISTVS ipse Dominus porrigit: nobis interim præparatione nostra ad id cooperantibus. Nam hoc Sacramentum, vt alias est dictum, a *est frumentum*, quod Zacharias *electorum* siue *iuuenum* appellat, recens & nunquam in terra visum; sed è cœlo veniens, ad mundum renouandum, & noui hominis spiritum tribuendum. quod ipsum adiuuat ad nouum eius præceptum, quod est amoris, exactiùs custodiendum. Sed est tamen frumentum igni tostum, cùm priùs fuerit tormentorum igni vstum: nam amoris igne accensum, immensos fuit perpessum dolores, vt cibum hunc immensis delicijs plenum nobis præpararet. quo cibo id obtinetur, quod de sponsa fuit dictum: b *venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis*. Continet enim intra se CHRISTVM, cum suis omnibus virtutibus. O Saluator dulcissime, frumenti granum in hoc Sacramento absconditum; recens, & antiquum, temporale, & æternum! Antiquũ, quà Deus es, cuius ESSE est æternum; & nouum, quà homo: quia de nouo naturam nostram assumpsisti, vt illa nos aleres! O granum excellentissimum; pusillum, & magnum; angustum, & immensum! pusillum in specie, vt qui te ad vnum panis bolum constringas; magnus in tua existentia, cuius immensitas replet orbem terrarum! O granum vnum, & multa; solum, & cum alijs coniunctum: vnum in persona, quia non es plus, quàm vnus Christus, Deus & homo verus: solus ac singularis in excellentia perfectionum, ac virtutum tuarum: multa verò in naturis, earumque partibus; & in affectibus, quos in tuorum electorum bonum efficis. Tu in terra seminatum, & pro omnibus mortuum, innumera protulisti grana Iustorum, tibi in sanctitate similium. Nam in hoc Sacramento quotidiè in illis seminaris; facisque eos producere heroicos virtutum affectus, eò quòd tecum sint feruenti charitate coniuncti: O ignis amoris Diuini, qui huius frumenti grana torruisti, eius corpus, animam, & sanguinem, vt frumen-

y *Ruth.* 2. 14

Theodo. & Lyra. ex Hebr. Vide Abulensem hic.

a *Zach.* 9. 17

b *Cant.* 7. 2.

tum

tum fieret electorum: illustra me cœlesti tua luce, vt velamen aperire valeam, quo teguntur; eorumque excellentiam, & præstantiam distinctè cognoscere: vreme accensis tuis flammis; vt & ego hunc cibum affectibus charitatis mihi cõdiam. O Manna cœleste, cuius b *grana*, vt comedi possent, *frangebantur mola, & coquebantur in olla ad ignem* frange cordis mei duritiem, pinse aqua infinitæ tuæ sapientiæ, & coque ardentis tuæ charitatis igne, vt factus tibi similis in vita, degustem latentem in te dulcedinem: & animer ad perfectionem sequendam, ad quam hoc Manna dirigitur.

b *Num.* 11.8

HAC affectuum dispositione sumendus est Diuinus hic panis: tunc enim euenit quod dicitur de RVTH; comedit & saturata est: in quo nominis eius significatio impletur, quo I, vt supra dictũ est, *videntem*, & *festinantẽ* ac *deficientem*, siue *saturã* significat. Nam si cœlesti lumine, sublimitatẽ huius diuini cibi perspicias, & cum spiritus feruore comedas: (hic enim feruor insinuatur, cùm iubebatur paschalis ille agnus comedi festinanter) eo sumpto manebis satur: quia bonorum tuorum desideriorum impletionem obtinebis. Nam cùm ad animam tuam venit, in ipsò ingressu, dicit illud Psalmi: c *dilata os tuum, & implebo illud*. Pete quicquid velis, desidera absque termino bonum, quod quæris; & præpara te ad me ita excipiendũ, sicut meam decet maiestatem: nam tunc ingrediens implebo os tuum, petitiones, ac desideria tua, donorum' meorum abundantia explebo. In cuius testimonium mox subijcit: *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.* O dulcissimum Sacramentum, quod ineffabili quodam modo simul es panis, & petra d *Quis Pater est*, (ait ipse Saluator) *qui filio suo panem petenti det lapidem*: at tu pater cœlestis, petentibus panem nostrum quotidianum, panem simul & petram porrigis: nam vnigena filius tuus panis est ad nostram nutritionem præstantissimus; & petra viua ex qua fluit immensa dulcedo, ad nobis indulgendum: & vtrumque, in tanta abundantia; vt & saturemur, & plurimùm adhuc supersit.

Tract. 1. c. 2.

c *Psal.* 50. 11 17.

d *Matt.* 7. 9. *Luc.* 11. 11.

NAM sacer textus, postquam dixit, quòd RVTH *comedisset & saturata esset*, adiecit: *& tulit reliquias*. Est enim liberalissimo Domino nostro valdè solenne ac familiare, vt suis conuiuis tantum pretiosi cibi apponat, vt & ipsi saturentur, & plurimùm pro alijs supersit. Nam, cum semel ex e *quinque panibus quinque hominum millia satiasset*: tot fragmenta superfuerũt vt Discipuli *impleuerint duodecim cophinos fragmentorum*. & iterum, cùm ex *septem panibus quatuor millia hominum satiasset: ex fragmentis, quæ superfuerunt, implctæ sunt septem sportæ*: iussitque Apostolos hæc *fragmenta colligere, ne perirent*. Hæc fragmenta, quæ supersunt (ait S. Augustin.) altitudinem esse diuinorum mysteriorum, plebis multitudo assequi non potest: reseruantur verò collegio Apostolico. Nam in diuino hoc Sacramẽto etiamsi plebs

Ioan 6. 13.

e *Marci* 6. 43. & 8. 8.

Tract 24. in Ioan.

vulga-

vulgaris, communem tenens vitæ Christianæ viam multa cognoscat & assequatur: multò tamen sunt plura, quæ supersunt, & perfectis penetranda, magnaque voluptate degustanda reseruantur. *Omnes tamen manducauerunt, & saturati sunt*: nam etiam imperfecti iuxta necessitatem & capacitatem suam saturantur.

Fragmenta sunt altitudo mysteriorum.

ADHÆC ex vnaquaque Communione, si dignè, vt oportet, communices, supererunt tibi reliquiæ, meritò custodiendæ, & in tuto collocandæ. Semper enim Dominus noster veritates, sensa, & affectus excellentes imprimit, quos meritò debeas interdiu ruminare; spiritualiter iterũ eosdem sumens vt copiosiores ex diuino hoc Sacramento fructus percipias; vt impleatur quod dixit Dauid: *reliquiæ cogitationum* Sanctarum *diem festum agent tibi*; & ei, qui illũ celebrauit. Quid enim aliud est frequens Communio spiritualis, quàm reliquię Sacramentales, ex quibus tot res hauries de ipso Domino, quem suscepisti, cogitandas, vt singulis diebus & horis illum comedere & ruminare videaris. Ideò enim in libro Canticorum de Sponsa dicitur: *Guttur tuum sicut vinum optimum*, hoc est plenum vino optimo: *dignum dilecto meo ad potandum, labiisq; & dentibus illius ad ruminandum*. quando autẽ hoc melius fit, quàm in ipsa Communione? tunc siquidem guttur est cœlesti hoc *vino*, repletum, *quod generat virgines*: per quod ita pertransit, vt semper tamen dulcissimas reliquias in eo relinquat; dignissimas quæ ruminentur, & cum eisdem oblectentur omnes Christi & sponsæ eius Ecclesiæ amatores.

Communio spiritualis.

g *Psal.* 75. 11

h *Cant.* 7. 9.

i *Zach.* 9. 17.

CAPVT X.

DE PERFECTA GRATIARVM ACTIONE POST Communionem, & feruore in bonorum operum progressu: & quòd omnium fauorum, qui percipiuntur ratio sit spirituali Patri reddenda.

QVAMVIS considerationes hactenùs positæ non solum sint vsui ad præparationem pro suscipienda Communione; sed etiam ad gratiarum actionem post susceptam; ponemus tamen hic excellentes aliquot humilitatis & gratitudinis affectus tunc excitandos & exercẽdos, qui mirificè depinguntur in ijs, quæ dixit ac fecit RVTH, videns quantis gratijs, ac fauoribus Booz illam prosequeretur: de qua subijcit sacer textus: *quod cadens in faciem suã, & adorans super terrã dixit ad* BOOZ: *vnde mihi hoc vt inuenirem gratiam ante oculos tuos: & nosse me digna-*

a *Ruth.* 2. 10 13.

dignareris peregrinam mulierem. Inueni gratiam apud oculos tuos, Domine mi qui consolatus es me, & loquutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum. In his verbis continetur, quidquid ad perfectam gratitudinem post Communionem spectat. Quæ gratitudo tres actus complectitur. *Primus* est, agnoscere, & maximi facere hoc beneficium cum affectu humilitatis, reuerentiæ, & admirationis; hinc ob magnitudinem beneficij, & Domini illud conferentis; inde verò ob summam nostram indignitatem. *Secundus* actus est, eundem Dominum laudare cum summa interna cordis, & externa oris oblatione ad omnia, quæ ipsius fuerint obsequij. Hos sequitur *Tertius* actus, qui consistit in operibus præstandis, ac reddendis pro tanto beneficio accepto, sicut iam declarabitur.

§. I. *Affectus Humilitatis & Admirationis.*

1. *Adoratio.*

PRIMVM itaque statim post Communionem, attendens, quantum beneficium Christus D.N. in te contulerit, debes, quemadmodū RVTH, *in faciem tuam cadere, eumq;* profundissima reuerentia *adorare* interiori & exteriori: te ipsum omninò abijciendo, & indignum iudicando, qui oculos tuos leues in cœlum; sentiens de te ipso, quòd sis puluis, terra, & nihilum; & indignissimus, qui in conspectu Dei sis, eiusque fias habitatio. Hoc modo a IOB se humiliabat, b ABRAHAM, c DANIEL, alijque Sancti, quos Deus visitabat: qui toto corpore sese prosternebant, & vultus eorum hęrebāt terrę, quia non poterant vltra se submittere; libenter id facturi, si potuissent: spiritu autem demittebant se vsque ad nihili abyssum, adorantes Deum in spiritu & veritate; sibi ipsis tribuentes, quod ipsorum erat, scil. non ESSE; Deo verò, quod ipsius est, ipsummet scil. ESSE infinitum, cuius comparatione quicquid est creatum, est quasi nihilum.

a *Iob.* 42. 6.
b *Gen.* 18. 27
c *Dan.* 10 9.

2. *Admiratio.*

HINC proceditaffectus ille, tantæ admirationis, qua dicit anima, quasi altera RVTH: *vnde mihi hoc* vnde inquam tantum mihi bonum, vt me Deus meus visitet, meque alloquatur? vnde hoc mihi, vt *gratiam inueniam in oculis eius*? & dignetur me agnoscere, adeoque familiariter mecum agere, vt in Domum meam ingredi, & in ea hospitari velit? Quæ ego sum, nisi peregrina quædam & aduena, proditorum parentum filia, in moribus peregrinis, & ab omni virtute alienis enutrita; à Deo eiusque amicitia separata, vagans per oēs terræ creaturas, linguæ cælestis ignara, & tanquā mancipiū obsequijs Dæmonis dedicata. Vnde igitur mihi vt Deus me tanquam filiam & domesticam tractet; faciatq; suis domesticis æqualem! Si Deus me pro meritis visitaret, id facturus fuisset tanquam Iudex ille, de quo dicitur d *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina*: nā semper indui ego habitum valdè alienū à ciuibus Christi: iactans potiùs mundi pompas, quam-

d *Sophon.* 1. 8

obrem

obrem digna eram, quæ visitarer: vt tãquam temeraria punirer; vt, quæ e *nõ habens vestem nuptialem*, audeam ad diuinam hanc mensam accedere. Vnde igitur hoc mihi! vt cùm talis sim, visitet me Deus, qui talis est? tales sunt humilitatis & reuerentiæ affectus, quos Dei visitatio efficere solet, quemadmodum apparuit in ijs, quæ f S. *Elizabet* dixit, quando Virgo Sanctiss. eam *visitauit*.

SED nihil mirum, animam in huiusmodi occasionibus admirari, quæ & lucé habet & experientiâ supremi illi⁹ beneficij, quod verbis illis RVTH exprimitur, *vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris*: quid enim pretiosum magis esse potest, quàm gratiâ inuenire coram Deo? & quid magis fortunatum, quàm ab ipso Domino speciali amore diligi; & familiarem adeò cum eo cõsuetudinem habere? quid deesse potest ei, qui gratiam inuenit apud omnipotentem? si tanti homines faciunt, gratiam inuenire coram principibus terræ: quantò pluris meritò facient iusti, quòd gratiam inueniant coram Rege cœlesti? & si terreni principis gratia tanti fit, eò quòd illa terrenorum bonorum principium habeatur: quantò magis cælestis principis gratia æstimanda est quæ fons est innumerabilium bonorum cælestium: Hæc aditum præbet cum summo principe agendi familiariter, quoties voluerit, tãquam amicus cum amico; quia Deus illi secreta sua manifestat, & ad cor eius loquitur verba magnæ iucũditatis & consolationis. Hæc causa est, ob quam ille plurimas animæ cõferat diuitias; quasdam quidem tanquam perpetuos *census*, augmenta scil. virtutum: alias quasi *monilia* & pretiosa donaria, quales sunt consolationes & gratiæ gratis datæ. Ob hanc etiam eleuat illũ Deus ad officia valdè glorioſa domus suæ tanquam instrumento illo vtens, ad clarissima, & Ecclesiæ suæ vtilissima facinora, hæc magnam ei tradit potestatem, ad benefaciendum alijs oratione, & intercessione sua: propterea quòd præcipuum apud Deum ipsum locum habeat, ex quo prouenit, vt iusti illum venerentur; & Angeli libenter cum eo versentur; homines amicum illum habere cupiant; Dæmones verò timeant tanquam hostem. Denique Deus eũ habet sub protectione sua, & nouit g *ex nomine*: approbans eum in terra, & electum, ac designatum habẽs ad sum cœlum. O fœlices, qui gratiam inueniunt coram Deo suo! Inuenit illam h *Noe*, & liberatus est à diluuio; inuenit *Loth*, & ereptus est ab incendio Sodomorum; inuenit *Abraham*, & reuelauit ei Deus arcana sua; inuenit i *Moyses & loquebatur cum Deo facie ad faciem*, qui eum fecit Deum Pharaonis, k *inuenit* VIRGO sacratissima, & eleuata est, vt esset mater Dei! O DEVS cordis mei; inueniam ego gratiam in oculis tuis: & hoc mihi satis. qui enim gratiam inuenit apud te, omnia etiam inuenit in te.

ET hoc est, quod tantam humilibus adfert admirationem: & propterea

c *Mat.* 22. 12

f *Luca* 1. 9

Eorum qui gratiã apud Deum inuenerunt prærogatiua.

g *Exo.* 33. 12

h *Gen.* 6. 8. c. 19. 19. c. 18. 3.

i *Exod.* 33. 11. 17. & c 1. 7. 1.

k *Luca* 1. 30

tantum bonum consequuntur, quia humiles sunt. nam humilitas ad eam celsitudinem obtinendam disponit. quemadmodum Ecclesiasticus significat; cùm dicit, l *quanto magnus es, humilia te in omnibus* : & *coram Deo inuenies gratiam*. & cùm bonum hoc tanti faciant, etiamsi ex beneficijs prius acceptis aduertant, se gratiam hanc etiam immeritos apud Dominum inuenisse: valdè tamen semper suspirant, vt eam denuò inueniant: pro qua valdè clamant, seque vt eam assequantur, magis ac magis humiliant. quemadmodum apparet in eo, quod RVTH paulò pos adiecit, dicens: *Inueni: vel inueniam gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ*. quasi diceret: vtinam pergeres, & gratiam continuares, quam exhibere cœpisti ancillæ tuæ, quamuis ego eius indigna sim. Non ignoro m *dona tua* Domine; quia *tuus spiritus* ea mihi *manifestat*: facitq;, vt ipsa experientia illa sentiam: sed fateor, illa non esse mea, nec me eis dignam: quare supplex oro, vt ea in me conseruare, & augere digneris: n *gratiam* mihi *pro gratia* largiendo, vnam scilicet post alteram, adiuuans me, vt prius accepta benè vtenti nouam aliquam & maiorem conferas. Hoc totum consueuit ita geri valdè excellenter, in ipsa Communione; in qua populus Christianus vniuersim inuenit gratiam coram Deo, vt sint habitatio Iesu Christi filij eius: sed is præcipuè, qui cum debita humilitate & reuerentia communicat. Nam dic mihi, quodnam certius indicium potest aulicus quispiam habere, quòd gratiam inuenerit apud suum Regem, quàm quod Rex dignetur ipsum in propria domo visitare, & in ea hospitari? etiamsi enim occultus veniat & in alieno habitu: signum tamen id est ingentis ipsius amoris. siquidem statim in ipso aditu ei se manifestat; & cũ eo tanquam cum amico agit. Quomodo igitur non erit magnum indicium, quod gratiam inueneris apud Christũ cœlestem Regem, si te hoc modo visitat in hoc Sacramento? nam etsi in alieno habitu ingrediatur, ad cor tamen verba loquitur, magni solatij & recreationis. quæ verba impellunt te, vt magna cum admiratione ei dicas: *vnde hoc mihi vt gratiam inueniam in oculis tuis* meique recorderis: cùm ego meritus potiùs sim vt obliuiscereris? Hic est nobilis ille affectus gratitudinis humilis: & gratæ humilitatis: quæ in Daniele enituit, cum Hababuc ferret illi prandium, quod is pro suis messoribus præparauerat, conuersus enim ad Deum, qui illud mittebat, dixit: o *recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te*! O Deus omnipotens, quomodo es recordatus vilis huius serui tui! gratias tibi ago ob memoriam, quam habuisti mei: dum pretioso hoc prandio mihi indulgere voluisti. Laudent te iusti omnes, qui gratiam in oculis tuis inuenerunt; eò quòd volueris, me vnũ ex eis esse. Vtinam semper nouam hanc gratiam inuenirem, qua semper in tuo obsequio magis ac magis crescerem.

l *Eccl.* 3. 20

Humilitas gratiam inuenit.

m 1. *Cor.* 2. 12

n *Ioan.* 1. 16.

Deus ad hominem diuertit.

o *Dan.* 14. 37.

SED ne silentio prætereamus verbum illud raræ humilitatis, quod RVTH dixit: *Locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum.* Booz enim FILIAM illam appellauerat, illa verò ancillam se nominat. & adhuc iudicans hoc multùm esse, magis se ipsam abijcit, & in vltimo loco post omnes eius famulas se collocat, tanquam indignam, quæ inter eas numeretur. Quid autem est hoc aliud, quàm docere nos duos gradus, siue affectus excellentissimæ humilitatis, quam Dominº nosterijs communicat, quos visitat? alter est erga ipsum Deum; cùm quis non se iudicat dignum nomine filij: satis multùm reputans, quòd sit vel seruus: quemadmodum Beatissima Virgo, cùm Angelus ei, matris Dei dignitatem obtulisset, illa se p ANCILLAM Domini nominauit; & vt talem obtulit se ad eius Domini seruitium; qui eam volebat habere matrem. Familiare enim est diuino spiritui, huiusce modi humilia valdè sensa largiri, quando ipsius Dei, qui tales fauores facit, magnitudo consideratur. Nam quemadmodum S. Petrus, videns Christum D. N. in sua naui exercentem tantam potestatem, admiratione & humilitate plenus, dixit: q *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*; ac propterea indignus, qui apud me in mea naui maneas. ita etiam verus humilis, cernens ipsummet Christum intra nauim sui corporis in Sacramento ingressum cum magna humilitate & stupore dicere solet: discede à me Domine, quia abominandus peccator ego sum, & indignissimus, apud quem hic maneas. Sed præter hunc affectum erga Dominum solet verus humilis habere alium affectum humilitatis erga reliquos homines: minimum se iudicans eorum, qui Deo seruiunt; imò indignum, qui cum illis conferatur: quemadmodum S. Paul. r *minimum* se vocabat *Apostolorum, & indignum, qui Apostolus vocaretur.* Lumine enim visitationis huius cœlestis, adeò de se ipso demisse sentit; vt existimet, nullum esse posse minorem se inter eos, qui magno huic Deo deseruiunt: in cuius conspectu se tanquam nihilum iudicat.

Humilitas erga Deum.

p *Luc.* 1. 38

q *Luc.* 5. 8.

& Proximũ.

r 1. *Cor.* 15. 9.

§. II. *Alij actus & opera gratitudinis.*

Gratitudo.

EX his humilitatis affectibus oriuntur alij admirandæ gratitudinis: nam verè humilis quantùm valet & potest, laudat quodcunque donum, etiamsi minimum. videns enim suam indignitatem, Dei verò donantis magnitudinem & maiestatem, semper donum iudicat magnum. Quando autem donum verè in se est magnum: non habet verba, quibus illud possit satis laudare: quare obmutescit, silentio ipso venerans, quod non potest iuxta desiderium suum satis magnificare. Eum in modum, quo RVTH gratam se ostendit, vt dictum est, etiam primum beneficium à Booz sibi collatum, esset aliàs satis exiguum; quia non aliud erat, quàm quod ad colligendas spicas in agro illo admitteretur; & liceret ex aqua bi-

Silentium summa laus

bere, ex qua pueri bibebant. At quando posteà adiecit, vt etiam *panem comederet, ex quo ipsi messores*; & quod posset quasi *cum illis metere*, tacuit, non sciens quid diceret: sed venerata est silentio pietatem, qua illium erga se vti videbat. Quid verò feciſſet, aut dixiſſet, si vel olfacere potuiſſet, quod posteà euenit: quod ipse scilicet Booz, ipsam esset sponsam accepturus; & participem facturus diuitiarum suarum, allectus ab humilitate & modestia eius, quæ tantam gratitudinem, ob tam exigua dona ostendisset?

serm. 51. in Cant.

HINC discas, gratissimum animum gerere ob quodcunque beneficium, quod tibi Deus contulerit, quantumcunque (vt S. Bernard. ait) illud videatur minimum. Illud enim alteri maiori initium dabit. Humili namque & grato nouam Deus gratiam confert. Et quò humilitas & gratitudo magis creſcit, eò solet doni ac beneficij magnitudo creſcere. Et propter hanc causam Christus D. N. non solùm a *gratias egit*, quando voluit panem consecrare, & suis Apostolis distribuere; sed etiam quando b *benedixit quinque panes hordeaceos*, cùm voluit quinq; millibus hominum eos distribuere. Sed quoniam maiora beneficia maiorem etiam meritò gratitudinem exigunt, hinc est, quòd, cùm hoc Sacramentum instituit, bis gratias egerit: semel antequam panem consecraret, & iterùm ad finem Cœnæ, cùm c *hymnum* consuetũ diceret, vt intelligeremus adeò esse hoc beneficium excellens, vt vel sola spes illud recipiendi digna sit gratiarum actione; multò verò prolixiori, postquam sumptum erit. Et ne in hac re incuria aliqua obreperet: ipsummet nomen, quò frequentiùs Sancti diuinum hoc Sacramẽtum appellant, reuocat in memoriam hanc obligationem, eiusque causam. nomen enim EVCHARISTIÆ duplicem habet significationem. Nam S. Irenæus & S. Iustinus dicunt, significare *actionem gratiarum*; S. Thomas & alij Doctores communiter interpretantur *bonam gratiam*. & quia bona est eminẽter, inuitat nos ad gratias excellenter agendas. Siquidem ideò nobis datur, vt sit oblatio laudis, & actionis gratiarum ob reliqua dona & beneficia, quę Dominus ipse nobis largitur, iuxta illud Dauidis: d *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* quasi dixerit pro gratiarum actione de reliquis beneficiis, quæ mihi Deus contulit, accipiam hoc diuinum Sacramentum, laudans & benedicens sanctum eius nomen.

a *Matt. 26. 26.*
b *c. 15. 36.*
c *Matt. 15. 26*
Eucharistia.
Lib. 6. c 34. Apol. 2 pro Christi. ad finem.
3. p. q. 73. a. 4
d *Psal. 115. 12.*

SED non debet sistere vera animi gratitudo in solis considerationib. ac meditationib. nec in solis laudibus & hymnis verborũ; nec in solis propositis offerendi etiã magna opera: sed curandũ, vt re ipsa fiant iuxta finẽ, in quẽ ipsa cõmunio dirigitur. Neq; enim magis ingenuè gratũ te pro accepto beneficio exhibebis, quã si eodẽ vtaris ad eiusdẽ Dei gloriam; & in finẽ, propter quẽ illud ipse contulit. Et quemadmodũ animæ cibus tendit ad recuperan-

das

das vires,ad ſpiritualiú virtutu opera exercenda,quib. ſpiritualis gratiæ vita conſeruatur & augetur:ita vera gratitudo ſacræ cõmunionis in eo conſiſtit,vt ſtatim manũ apponamus,ad opere ipſo exercenda bona deſideria.dãdo operã, vt perfectè ea exequamur,quæ nobis ex obligatione incũbunt,& ex conſilio:iuxta cuiusq; facultatẽ ad profectũ in virtutib⁹ faciendũ. nec facias,q̃ fecit e *Elias*,cũ primũ panem cœleſtẽ accepit: qui ſtatim *obdormiuit*. nam reprehendet te Angelus:& vt ſecũdo comedas,& ſtatim ſurgas hortabitur:vt cẽptã perfectionis viã proſequaris:eò q̃ adhuc lõga ſuperſit. Quod ipſum ſignificat ſacer textus,cùm dicit de RVTH,quod,poſtquam comediſſet,*ſurrexerit inde,vt ſpicas ex more colligeret*:eſca enim hęc cæleſtis non datur otioſis,ſed operarijs & laboratoribus:qui in bonorũ operũ ſpicis colligẽdis occupantur:vt animũ & vires recipiant ad ſuum laborẽ continuandũ. Et in hoc ipſo,cõtinuando ſcil. magno feruore ſuum laborẽ, gratũ animũ oſtendunt.Scriptum eſt enim: f *qui non laborat,non manducet*. Siquidem talis nec ipſum cibũ promeretur.Sed & illud eſt verũ:quòd, qui non manducat,non laborat:quia deficiunt illi vires.Eſt itaq; rationi conſonũ laborare , vt poſſis comedere;& comedere;vt poſſis laborare:altetũ horũ ad alterũ præſtãdum adhibẽdo. Deus.n.ſpiritualem portionẽ,quam in Sacramento cõmunicat,adauget ei, qui eadem Communione feruenter vtitur ad laborandũ. Propterea.n.dixit Dauid:g *labores manuũ tuarũ,quia manducabis:beatus es, & bene tibi erit*.Memẽto Chriſtũ D.N.cùm hoc diuinũ ſacramentũ inſtituiſſet, & laudum hymnum abſoluiſſet,ex menſa ſurrexiſſe:non,vt dormitũ, ſed vt in hortũ ad orandum,ſeq; ad grauiſſimas tribulationes ſuę paſſionis tolerãdas offerendũ,conferret,dicens,feruentiſſima illa verba quæ S.Ioannes refert:h *vt cognoſcat mũdus,quia diligo patrẽ, & ſicut mandatũ dedit mihi pater,ſic facio:ſurgite eamus hinc*;ad locum ſcil.in quo ſum cõprehendendus:vt in me, quidquid conſtitutum eſt,impleatur.Hic eſt verus ſpiritus,quem ex cœleſti hac menſa haurire debes,cùm ad eam ſederis cum cæleſti principe ; & inde ſurgere,ad exequendum quidquid Deus iuſſerit;teque offerre, ad ſuſtinendum,quidquid ipſe ſtatuerit, & ad gloriam ſuam fieri permiſerit. & in hoc totus mundus agnoſcet,& tu ipſe facilè deprehendes, Communionem tuam ex vſu tibi fuiſſe,ſi cum hoc animo illam peregeris.

Gratia operę reddẽda.

c3.*Reg.*19.6

f2.*Theſſ.*3.10.

g *Pſ.*127.2.

h *Ioan.*14.31

DENIQVE quemadmodum RVTH, cibo ſumpto roborata,perſeuerauit in colligẽdis ſpicis vſq; ad veſperã;& poſtea i *portãs , quæ collegerat, reuerſa eſt in ciuitatẽ, & oſtendit ſocrui ſuæ: inſuper protulit & dedit ei de reliquis cibi ſui,quo ſaturata fuerat* : ita etiam tu ſacra Communione confortatus,conſtanter in tuis bonis exercitijs perſeuerabis.ita tamen, vt non ſolo tuo iudicio te gubernes , nec ſtatim fidas rebus, quæ bonæ apparent, etiam delectationibus , quas in Communione , aut oratione, ac Dei viſitationibus ſenſeris:

i *Ruth* 2.18.

ſed

sed omnium rationem reddas Confessario, Patrive spirituali, qui tuam animam dirigit, cum ijs humilitatis, resignationis, obedientiæ, & charitatis indicijs; vt ex ijs tanquam ex reliquijs eorum, quæ gesseris & acceperis, aduertat ipse & agnoscat bonum spiritum, qui te direxerit. Nec timeas vitium inanis gloriæ, quæ in his occasionibus solet oriri. Nam (vt Cassianus ait) periculosius esset res tuas occultare, tantum tibi tribuens, quòd solus teipsum possis gubernare, cum certo periculo propriæ deceptionis: quàm esset damnum inanis gloriæ, quod certum non est: & licèt illud intercidere rectificando coram Deo intentionẽ tuam; & manifestando eius dona: quia id ipse vult; & in eum finem, quem ipse intendit; & ne in eis deceptio aliqua tibi oboriatur.

§. III. *Quæ in Ratione hac reddenda sint obseruanda.*

QVOD si nosse cupias, qua dexteritate prudentiaq; Magister Spiritus in hac ratione excipienda; & qua fidelitate ac feruore discipulus in ea reddenda vti debeat: attende colloquium inter NOEMI & RVTH in hac occasione *interrogauit* NEOMI *socrus eius: vbi hodie collegisti, & vbi feciſti opus? sit benedictus, qui misertus est tui. Indicauit* RVTH *ei, apud quẽ fuisset operata: & nomen dixit viri, quod* BOOZ *vocaretur. Cui respondit* NEOMI: *benedictus sit à Domino; quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Rursumq; ait: Propinquus noster est homo. Et* RVTH, *hoc quoque inquit, præcepit mihi, vt tam diu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur. Cui dixit socrus: Melius est, filia mea; vt cum puellis eius exeas ad metendum: ne in alieno agro quisquam resistat tibi. Iuncta est itaque puellis* BOOZ, *& tam diu cum eis messui, donec hordea & triticum in horreis conderentur.* In hoc colloquio quatuor capita insinuantur maximi momenti, quæ ad Spiritus Magistrum pertinent.

I. *Examinandi subditi.*

PRIMVM est: eum, qui ipsius curæ est commissus, exactè & sigillatim interrogare, quid fecerit, & quomodo res tota successerit: nam etsi subdito sit magnum desiderium, omnia manifestandi: sæpè tamen, si interrogaretur, exprimeret, quod fortè nõ aperuisset, eò quod non cogitasset: & ex vultu modoque respondendi conijciet Magister, quid ille in corde gerat. a Propterea enim dixit Sapiens: *diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera*: vultus enim ipse sæpe indicat, quod latet in corde; & profunda consideratio eruit in lucem, quod latet in spiritu.

a *Prou. 27. 23.*

Nec laudãdi, nec contristandi.

SED quemadmodum NOEMI, cernens, quàm multa RVTH collegisset eo die, nec illam propterea laudauit, nec suspicata est, malè illã acquisiuisse: sed interrogãs, *vbi collegisset & fecisset opus*, gratã le ostendit erga eũ, qui tam humaniter ipsam excepisset, dicens: *sit benedictus, qui misertus est tui*. ita etiam qui curam gerunt animarum, in quibus signa vident excellentium operum, ac virtutum; nec statim eos laudare debent, approbando quod faciunt;

nec

nec tamen reprobare, quasi illusioni ac deceptioni illud attribuendo: Primũ esset vanitatis occasio; & secundum pusillanimitatis. Sed decet, eos prudẽter cognoscere velle quidquid geritur; & propendere ad benè de rebus eorum sentiendum; vt confidentiùs, & maiori promptitudine illi omni aperiant: gloriamque Deo dare, quòd misericordiam illis exhibuerit. Et cùm dicit: *qui misertus est tui*, docet, accepta dona non pro proprijs ipsorum meritis, sed misericordiæ & liberalitati Dei esse tribuenda: qui eos præuenit, voluitque gratiâ suâ locupletare.

2. *Christi notitia instillanda.*

SECVNDVM, quòd etiam pertinet ad ipsum Ducem & Gubernatorem, est, quod quemadmodum NOEMI manifestauit RVTH quis esset Booz, (quem illa non nisi ex nomine nouerat, quamuis eius liberalitatem esset experta) dicens ei: *propinquus noster est homo.* Ita præcipuum Directoris studium debet esse, maiorem semper Christi Domini nostri notitiam & cognitionem eis instillare: vt à quo tanta bona accipiunt, eum & diligant & venerentur; magnamque fiduciam concipiant, maiora ipsum bona largiturum, qui voluerit cognationem nobiscum contrahere, dùm factus est homo, nostramque naturam carnis & sanguinis assumpsit: quasi illis diceret: non miremini, hunc Deum hominem tantis fauoribus pauperem animam prosequi, quia noster est consanguineus; & sanguis, quem pro nobis sumpsit, & pro eisdem effudit, ipsum vrget, vt nostri misereatur. Sed quid sibi vult verbum illud à NOEMI adiectum: *benedictus sit à Domino; quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* O immensam diuinæ largitatis bonitatem! non est CHRITVS Dominus Noster sicut mundi huius principes: qui viuentibus quidem beneficia conferunt; sed eorumdem post mortem obliuiscuntur: eorum enim amicitia palato ipsorum & vtilitati innititur, quam ab ipsis viuentibus accipiebant: & post illorum mortem alios quærunt, à quibus eadem accipiant. At CHRISTVS beatitudo nostra, gratiam, quam viuenti iusto incepit exhibere, eandem maiori munificentia seruat cum defuncto: honorans illum, & glorificans per totam æternitatem in cœlo: quia ipsius misericordia æterna est, & nec principium nec finem habet erga eos, qui ipsum amant, & in Domino moriuntur: eiusque gratia & charitas nunquam perit. Nec solùm hanc curam de defunctis gerit, sed etiam de spectantibus ad ipsos: quemadmodum BOOZ misertus est RVTH, eò quòd nupsisset consanguineo ipsius. Et propterea dixit Moyses Deo Exod. 34. 7. *qui custodis misericordiam in mille generationes, benefaciens filiis* ob amicitiam, quam cum defunctis parentibus habuisti: quemadmodum fecit propter Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, & alios seruos suos.

3. *Mandatorum Dei obseruatio.*

TERTIVM & præcipuum, quod pertinet ad gubernatoris officium, est, vt quemadmodum NOEMI statim atque RVTH dixit: *Hoc mihi præcepit Booz*, exhortata est illam, vt eius mandato pareret: sic Director debet suos exhortari, vt omnia Christi D.N. præcepta exactè obseruent: eiusque consilia, & inspirationes opere exequantur. ex hoc enim omne bonũ eis proueniet: si in omnibus & omninò obediant principali gubernatori Christo, cuius cooperatores sunt eius ministri. Eum in modum quo Virgo sanctissima in nuptijs in Cana Galilææ dixit ministris: c *quodcunq; dixerit vobis* filius meus, *facite*: quare qui animarum gubernatione funguntur, obseruare diligenter debent, qua via Deus illas deducat; easq; pro officij sui ratione adiuuare: vt constanter eum sequantur, nec ad alium quenquam declinent, dicentes illis, quòd NEOMI dixit RVTH: *melius est, filia mea*, vt facias iuxtà præceptum Booz, vt *in eius agro spicas colligas: ne in alieno quispiam resistat tibi.* Verè enim nihil magis nobis expedit, quàm in eo occupationis, ministerij, aut exercitationis genere occupari, in quo Deus nos constituit. nam in eo pacem inueniemus, & profectũ. quod si ad aliud ab eo distinctũ diuertamus, mille impedimenta, quæ nobis resistant, inueniemus. ita vt maior quidẽ sit in eo labor, minus tamen commodum; & maius detrimentum. Propterea enim dixit Dauid: d *Beatus vir, qui ascensiones in corde suo disposuit in loco, vbi Deus illum posuit.*

c *Ioan. 2. 5.*

Dei vocatio constanter sequenda.

d *Psal. 83. 6.*

SED quoniam tyrones sæpè errant in præceptis, & inspirationibus Domini discernendis: ad ipsos Magistros pertinet, illos corrigere, ac in eis dirigere quemadmodum fecit NOEMI in hac occasione. nam Booz dixit ad RVTH: *iungere puellis meis.* ipsa verò RVTH retulit NOEMI, *hoc præcepit mihi, vt iungerer messoribus eius.* At NOEMI eam correxit, (vt notat Abulensis) dicens: *melius est, vt cum puellis eius exeas:* obseruans scil. cautelam, quam Booz adhibuerat: vt RVTH non viris sed puellis iungeretur, ad spicas colligendas. Ex quo discent Prælati, quantam curam adhibere debeant in explicando suis subditis modo & ratione suas obligationes & occupationes explendi, occasiones lapsus alicuius euitandi; vt ita vnum præceptum impleant, ne se periculo exponant alterum transgrediendi.

q. 17. *in c. 2. Ruth.*

Caute ambulandum.

4.

DENIQVE ad eorundem Directorum munus spectat, eos, quorum curam gerunt, ad id quod optimum est & perfectissimum exhortari: tam quoad substantiam operis, quàm ad intentionem illud perficiendi; persuadentes illis, vt in vtroque, quod præstantissimum est, accipiant. eum in modum quo NOEMI exhortata est RVTH, vt cum puellis Booz exiret ad *metendum*, quasi diceret (vt notat idem Abulensis) hodie spicas aliquas pro te collegisti: omitte iam hoc officium, ex quo tam exiguus prouenit fructus: *& coniungere puellis* BOOZ *ad metendum*; non ob

q. 18. *in c. 2. Ruth.*

merce-

mercedem, sed vt illas adiuues in seruitio Booz, à quo sperare poteris liberaliorem tui laboris remunerationem. Quod dixit NOEMI, cogitans, vt hoc obsequio RVTH, ipsius Booz voluntatem ad se alliciens, viam sterneret, vt ipsam in vxorem duceret: quemadmodum postea fecit. Quæ omnia oboculos nobis proponunt curam & solicitudinem Magistri spiritualis in dirigendis suis tyronibes ad seruiendum Deo in rebus magnis: nec propriam mercedem, aut se ipsos in bonis actionibus suis quærendos; sed Deum solum eiusque voluntatis beneplacitum: eò quòd hac via multò plus sint profecturi, siquidem non sibi sed suo dilecto laborantes, eò maius præmium ex eius liberalitate accipient: quo minus illud quærent. magnum illud sibi premium reputantes, quòd ipsi in omnibus placeant. In quem sensum dixit S. Bernardus: perfectum Dei amorem nec mercenarij esse, nec tamẽ mercede carere: potiùs eò maiorem obtinere, quò minus illam quærat. in hoc enim ostendit, se multum diligere: siquidem pro præmio respicit diligere, & obsequi suo dilecto.

Pura intentio.

Amor non est mercenarius. Serm. 87. in Cantic. & tract. d diligen Deo, § dicto pro in de.

CONCLVDAMVS hunc tractatum cum obedientia RVTH tam firma & cõstanti, vt de ea dicat Scriptura: e *iuncta est puellis Booz: & tam diu cum eis messuit, donec hordea & triticũ in horreis conderentur.* nã talis esca, quale est hoc Sacramentum & cum ijs consilijs, quæ CHRISTVS Dominus inspirat, & bonus eius minister suggerit: modò sit fidelis obedientia: tribuet donum perseuerantiæ in sanctis exercitijs, vsque ad finem messis, huius scilicet vitæ, & donec spirituales messes omnium virtutum sibi colligat: tam illas, quæ inferiorem sensualitatis partem exornant, quæ significantur per *hordea*; quàm illas, quæ superiorem spiritus partem perficiunt, quas significat *triticum*. quæ omnes condi debent in horreis animæ: vt iustus (quemadmodum ait Apostolus) f *sit sanctus corpore & spiritu*, & perueniat eò, vt duabus gloriæ stolis exornetur, quæ promissæ illi sunt in cœlo.

5. e *Ruth. 2. 23*

Perseuerantia.

f *1. Cor. 7. 34.*

SED quemadmodum messis hordeacea, & incipere & finiri solet prius, quàm triticea, quæ solet esse postrema: ita etiam fit, vt seuera virtutum corporalium exercitia, quæ robustiora corpora & fortiores complexiones requirunt, breuiori tempore durent. Et quemadmodum vires debilitantur ac deficiunt in senectute, ita in ea (ait Sanctus Hieronymus) cessare solent pœnitentiæ, disciplinæ, ieiunia, & similes aliæ asperitates, non tamen deficiunt spirituales virtutes: sed potius crescit sapientia, charitas, misericordia, & zelus animarum: imò ipsummet desiderium rigoris & seueritatis tunc non tepescit: quamuis desint vires ad eos labores opere exequendos: nam si posset, potius tunc eos augeret. nam, quò se videt magis morti appropinquare, eò maiori feruore se præparat vt fœliciter ac prosperè viæ suæ finem imponat: quemadmodum proximo Tractatu dicetur.

Epist. 2 ad Nepotian. Tom. 1.

S. Greg. 8. Moral c. 7.

IMPONAMVS itaque huic tractatui de Sanctissimo Sacramento finem, dicentes de eo (quod Sanctus Ioannes dixit) superesse alia multa mirabilia, g *quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi essent libri.* Quare plurima, eaque grandia dicenda superiunt de eo, quatenus est Sacrificium: quæ, Deo benè fauente, ponentur in Tractatu de statu Sacerdotum, & de Sacrificio Missæ.

g *Ioan.* 12. 25.

TRACTATVS QVINTVS,

DE PERFECTIONE IN INFIRMITATIBVS ET MORTIS PERICVLIS: AC DE EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTO.

VLTIMVM SACRAMENTVM ex quinque ad singulorum perfectionem institutis, est EXTREMA VNCTIO: quæ infirmis in vltimo vitæ periculo constitutis datur, vt possint in sua infirmitate Christianam perfectionem conseruare & augere seque præparare ad bonam mortem, quæ sit illis transitus ad æternam gloriam. Prius tamen quàm in particulari de hoc Sacramento agamus, operæpretium erit rem ipsam paulò altiùs aggredi, & in particulari declarare, quidquid ad ipsum Christianum spectat, toto tempore, quo ægrotat, & est valetudinarius: proponendo ob oculos, & eruendo thesauros, quos in ipsis infirmitatibus DEVS recónditos habet, modumque & rationem, fructum ex ijsdem infirmitatibus capiendi.

CAPVT

CAPVT I.

CAVSAE CVR DEVS DOMINVS NOSTER Hominibus mittat infirmitates: & commoda quæ inde pro suis electis eruit.

SI supremi nostri patris familias operarijs solùm fuisset corporaliter laborādum, quemadmodum messoribus & fossoribus: necesse fuisset, omnes per eandem sanitatis & virium corporis viam deducere: siquidem his destituti & infirmi, pensum laboris, ad quem vocarentur, perficere non possent. Sed quoniam eorum opera siue labores præcipuè sunt *spirituales*, & crescunt in perfectione non solùm faciendo, sed etiam patiendo: hinc est, quòd DEVS varias habeat vias, per quas eos ad eundem finem deducat; vt scilicet perfecti euadant. Quare aliquibus integram tribuit sanitatem, & robustam corporis constitutionem, vt opera virtutum, quæ propria sunt corporis: & opera Spiritus, cuius instrumentum est ipsum corpus, exercere possint. nam, cùm illud sanum atque robustum est; potest vtiliter Deo in illis operibus seruire: alios verò infirmitatibus ac doloribus premit: qui ad viam patiendi peragendam sunt aptiores: quia spiritui occasionem præbent heroicas virtutes exercendi, quæ sunt cum b *patientia* coniunctæ: quæ (vt S. Iacobus Apostolus ait) *opus perfectum habet*. nam & ipsum pati, est quoddam operari; & qui multùm tolerant, insignes sunt operarij: & cum eo perueniunt, vt in vtroque, in sanitate scilicet & infirmitate strenui euadant: tunc sunt omninò perfecti: quemadmodum in Tractatu secundo dicere cœperamus.

Spiritu maxime laboramus.

b *Iacob. 1. 4. Pati labor est.*

c. 10. I.

SED quisnam declarare poterit diuinæ prouidentiæ arcana, in duplicis huius sortis distributione? nam DEVS Dominus noster, quod in se erat potiùs voluisset, homines habere naturam sanam ac vegetam; vt & corpus, & spiritus cùm facilitate & oblectatione, in omnibus ipsi seruirent. Quam ob rem in statu Innocentiæ creauit eos sanos, & ab omni infirmitate liberos: imò etiam post peccatum longo tempore sunt conseruati in sanitate robusta. Et Israelitæ ex magna Dei gratia per annos quadraginta, quibus in deserto fuerunt (quemadmodum ait Dauid) c *non erat in tribubus eorum infirmus*: vt sic ad Promissam terram pergere, & cum hostibus, qui eius ingressum propugnabant, pugnare possent. Neque enim dubium est, quin corporis sanitas & robur multùm ex se conducant ad progrediendum in huius vitę deserto, contendentibus ad æternæ Promissionis terram peruenire: vt & cum Dæmonibus & vitijs congrediantur; & heroica valdè opera faciant

c *Ps. 104. 37.*

ciant animæ ipsi vtilissima, magnæ ædificationis Ecclesiæ, & singularis auxilii proximorum: cùm scilicet seueras seruant abstinentias, & asperitates, aliaque opera misericordiæ: siue corporalia ministrando infirmis & excipiendo peregrinos; siue spiritualia, gubernando: concionando, aliaque ministeria exercendo in bonum proximorum. Quamobrem cœlestis Adamus, quamuis terreni Adami miserias alias susceperit: non tamen (vt S. Thomas ait) corporis infirmitates, quæ optimæ corporis ipsius constitutioni non congruebant. Et ab eisdem infirmitatibus sacratissimam Virginem preseruauit, & Sanctum Ioannem Baptistam, aliosque clarissimos sanctos, quos vocatione speciali ad grandia opera vocauit; ideoque firma valetudine, & robustis corporibus eos præuenit: vt ingentes labores ferre possent. Qui autem donum hoc acceperunt, studere debent, (vt Sanctus Basilius ait) illud conseruare, & cum Dauide dicere: *fortitudinem meam ad te custodiam*: expertus enim erat Sanctus hic Rex, se valetudine, & viribus corporis, quas à DEO acceperat, multa præstitisse: *enam & Leonem, & vrsum interfecit*, & prædam *ex ore eorum eruit*; & *Goliath Gignantem proprio gladio iugulauit*, & cùm aliàs multos hostium exercitus disturbasset, *f Octingentos interfecit impetu vno*. Iudicans itaque non expedire, donum adeò pretiosum indiscretè destruere, dixit Domino eius largitori: *fortitudinem meam ad te custodiam*, non inquit: ad me, sed: *ad te*; non, vt aliqua quæram, quæ me oblectent: sed quæ tibi placeant; non, vt mihi honorem comparem; sed in tuum honorem: vt ea tibi deseruiam. Quod si tu etiam, fortitudinem tibi à Deo communicatam ipsi custodias: poteris cum ipsius auxilio passionum tuarum feras domare, inferni Gignantes vincere, vitiorum agmina dissipare, & ardua quæque glorioseque moliri: confidens quod hac via, diuina te vocatio ducat vt in omnibus compos euadas.

3. q. 14. a. 4.

Sanitate ad sanctitatem vtendum.

De constitutionibus Monasticis.

d *Ps.* 58. 10.

e 1 *Reg.* 17. 26. 51.

f 2. *Reg.* 23. 8.

Sanitas conseruanda.

2.

ADEO tamen est magna miseria nostra, vt sanitatem ipsam, quam Deus nobis ad ipsi seruiendum largitur: tanquam instrumentum adhibeamus ad eundem offendendum; & quas vires in virtutibus acquirendis exponere deberemus: easdem in sequendis *vitiis* exponamus, *duobus* illis præcipuè, quæ Sanctus Gregorius *carnalia* appellat, eò quòd corpore exerceantur, carnisque voluptates tanquam finem respiciant. siue illa sint gustatus nostri quo *gula* fouetur; siue tactus, quæ sunt fomenta *libidinis*. Corpora enim saniora & robustiora maiori vehementia solent sensualitatis passiones proferre. & quoniam in rebus delectabilibus, maiorem inueniunt oblectationem: sine fræno post eas feruntur. Et vt ex aliena miseria tuam propriam agnoscas: attende, quàm malè vsi fuerint Hæbræi sanitate & corporis viribus, quas DEVS illis dabat in deserto. Nam g *vbi non erat aqua ad bibendum*, statim *murmurabant contra Moysen*, tanta impatientia, vt timuerit Moyses,

Lib. 31. *Moral. c.* 31. *Gula & Luxuria.*

g *Exod.* 17. 1

ac dixe-

ac dixerit Deo: *quid faciam populo huic: adhuc paululum & lapidabit me?* & cùm deeratillis esca, adeò irascebantur, vt dicerent, h *vtinam mortui essemus in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Et cum Manna haberet in copia, etiam murmurauit, dicens: i *anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* k *recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ & alia*: quas res pluris faciebant: quod ipsorum palato magis arriderent. Et cum absente Moyse, l *sedisset populus manducare & bibere: surrexerunt ludere.* cuius ludi exitus fuit, colore idolum: & iterùm m *comederunt & adorauerunt Deos Moabitarum*: vt libidinem suam explerent cum filiabus eorum. Denique de eis dixit Moyses n *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*: incrassatus enim fuit constanti sanitate & viribus, atque diuitijs: recalcitrauit autem contra Deum à quo illa acceperat. Hi sunt fructus sanitatis & virium corporis effrænium. nam quemadmodum fortis & lasciuus equus, si fræno pareat, sessori adfert honorem, & periculum euadere facit: si autem est indomitus, & effrænis, eundem præcipitat: ita corpus, quod animæ ipsi est instar equi, cum sanum & robustum est, si simul sit subiectum & rationis fræno contineatur, honorem adfert dirigenti: nam quemadmodum Deus dixit S. Iob: o *in occursum pergit armatis; contemnit pauorem, nec cedit gladio*, & victor ex periculis exit: At si non sit benè domatum, miserè præcipitat animam in ea vitia, ad quæ ipsum propendet. Quis enumerare poterit voracitates, ebrietates, & idololatrias ventris eius; quē pro suo habet Deo: quid dicam de ludis, solatijs inanibus, & alijs carnis appetitionibus, quas tanquam Dominas agnoscit? quid de murmurationibus, furijs, & vindictis, quas adinuenit contra impedientes voluptates & ambitiones suas? quod si cum *sanitate*, etiam *diuitiæ & potestas* coniungantur: ex his *tribus* arma sibi conficit, ad totum virtutum regnum perturbandum: omniaque vitia in earum throno collocanda, p *per tria* (inquit Sapiens) *mouetur terra* & turbatur; *& quartum non potest sustinere: per seruum, cum regnauerit*; *per stultum, cum saturatus fuerit cibo*; *per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.* An nō *seruus*, qui regnat, corpus est sanum & robustum: quod in animæ regno præsidet, habetque potestatem, vt quod libet faciat? & an non *stultus* latur est sensuum appetitus, ciborum abundantia enutritus, & viribus pollens ad sua desideria explenda? & an non odiosa, ac litigiosa *mulier*, quæ in matrimonio assumitur, est lasciua ipsa sensualitas, quæ vult ipsi spiritui æquari; eumque vexat: nisi, quidquid ipsa cupit, obtineat? ac denique, an non *ancilla* dominæ suæ hæres, est ipsa caro; quæ ibi vsurpat omnes diuitias, quas ipsa ratio deberet aliàs gubernare; ipsa tamen eas potius expendit in ijs quæ suo palato placent

Iudai sanitate abusi.

h *Exod* 16.3

i *Num.* 21.5.

k *Num.* 11.5.

l *Exod.* 32.6

m *Nū.* 25.2.

n *Deut.* 32. 15.

o *Iob.* 39.21.

Tria corporis arma.

p *Pro.* 30.21

placent? Quatuor hæc *conſcientiam* propriam turbant, *familiam* inquietam reddunt, & totam *Rempublicam* diſturbant: eò quòd ſtatutum à Deo ordinem, & quod ipſa prudentia dictat, non ſeruant; ſed corpus ipſum, quod alioquin tanquam mancipium ſeruire debuit, potiùs tanquam Rex gubernat, & quod eſurire potiùs ſemper debuit, comedens & bibens efficitur furioſum; & ſenſualitas quæ tanquam ancilla eſſe debuit, gubernat & imperat tanquam Domina; & cùm caro eſſet tanquã ancilla tractanda, ipſa obtinet quidquid libet. Quod ſi diuina miſericordia tantam inordinationem non reduxerit in meliorem ordinem; & hiſce feris arma non ſubtraxerit: non erit earum inſolentiarum numerus; ſemper enim vires & facultates ſuas in peccatis multiplicandis collocabunt.

§. 1. *Bona ex infirmitate.*

EX his ſuauiſſimam Dei noſtri prouidentiam agnoſces: qui videns multos ex ſuis electis in huiuſmodi miſerias incidiſſe, ob ſanitatem & corporis vires, quas illis communicauit; aut altiſſima ſua ſapientia multò antè præuidens, eos in ſimiles lapſuros, ſi ſani & robuſti corpore viuerent: decreuit eos per viam infirmitatum ac dolorum deducere: vt omnia hæc mala auerteret, ſuiſque diuinis donis eos locupletaret.

1. NAM infirmitates domant inſolentes noſtrorum corporum equos, eorumque paſſiones cohibent, ne contra ſpiritum, qui eas non poterat continere, præualeant. Nam (vt S. Gregorius ait) caro doloribus non afflicta, effrænis eſt in tentationibus: quis enim neſciat, quòd melius ſit ardere febrium, quàm igne vitiorum? cuius ignis ſi memor fueris, non conquereris de ea flamma, quæ à tali præſeruat incendio. Propterea enim Deus infirmanti Iob dixit: q *memento belli, neque vltra addas loqui.*

Lib. 33. Moral. 6. 7. Paſiones cohibet.

q *Iob. 40. 27 2.*

QVOD ſi dixeris, macilentum ex infirmitate equum, ſiſtiturum in medio curſus: potiùs credendum eſt DEVM eam infirmitatem ſtatuere, tum vt fræni inſtar illum contineat in curſu vitiorum, ad quæ currebat: tum vt quaſi calcaribus illum vrgeat, vt in curſu virtutum celerius progrediatur. Memento (ait S. Gregorius) mali illius Prophetæ r Balaam, *qui inſidens aſinæ proficiſcebatur, vt malediceret populo Dei.* quę tamen iter eius impediuit, *videns Angelum gladio ſibi minantem.* Licèt enim *Balaam eam verberaret*, noluit tamẽ progredi, *ſed potius iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem* & cum adhuc illum ampliùs *verberaret concidit ſub pedibus ſedentis*, ita illos lędens, vt neque pedes iter ſuum proſequi poſſet, & tunc *aſina locuta eſt* conquerens, quod percuteretur; ſed & *Dominus aperuit oculos Balaam, vt videret Angelum ſtantem in via, euaginato gladio quem adorauit pronus in terram*: & tunc dixit: *Si diſplicet tibi, vt vadam, reuertar.*

3. p. Paſtor. admpni. 15. r Num. 22. 23. 2. Petri 2. 15. Vitia frænat, virtutes promouet.

Qvo-

Qvo facto docemur, carnem doloribus oppressam detinere malos spiritus gressus, eiusque excessus corrigere: quia præbet illi occasionem aperiendi oculos, vt inuisibilem castigantem videat; suamque superbiam agnoscens, ad pedes creatoris sui procidat: & offerat se, ad prauos suos gressus in meliores commutandos.

Qvi autem meliores gressus esse possunt: quàm si quadruplicem inordinationem ex prosperitate exortam, in bonum ordinem redigat? ægritudo enim corpori detrahit *sceptrum*, quo imperabat, illudque tanquam seruum sibi subijcit; illa *stultum*, sua saturitate defraudat; & pœna inflicta sapientem reddit; lasciuiam insolentis *sensualitatis* domat: vt rationi subiecta pacem habeat; *carni* quoque hæreditatem aufert, quam habebat; efficitque, vt illa tanquam ancilla cum deteriori & laboriosissima huius mundi portione sit contenta.

3. *Quatuor bona infirmitatis.*

Qvare quod flagellationes, ieiunia, & aliæ corporis asperitates in sanis corporibus efficiunt: id morbi & dolores efficiunt in infirmis. idque modo quodam perfectiori ac securiori: quia mundi sunt à voluntate propria, & inani gloria. mortificant verò ipsum cor in re, quæ maximè sentitur. Et quamuis tales dolores & morbi in sua radice & origine sint necessarij: diuina tamen gratia eos reddit voluntarios, faciens ex necessitate materiam virtutis. adeò enim eos tolerantes delectantur: vt ijs, quos necessariò se vident sustinere, sponte & electione sua multò plures addant: quibus se ipsos clarissimos & excellentissimos reddunt.

4. *Infirmitas mortificatione potior.*

Magnam laudem promeritus est S. Iob ex vita sua exemplari, quam dum diues esset ac sanus ducebat: at Dæmon (quemadmodum Sanctus Chrysostomus aduertit) parui hanc eius virtutem faciebat: eò quòd videret illũ magnis diuitijs ornatum pugnare; & quamuis post ablatas diuitias magna dederit suæ sanctitatis indicia; nec tamen hoc Sathanas pro magno habuit: eò quòd videret illum sano adhuc corpore pugnare: at quando Deus potestatem illi fecit, eius [*carnem tangendi, & ipse percussit illum vlcere pessimo, à plãta pedis vsque ad verticem eius*: vidit verò illum etiam adhuc heroicas virtutes prodere, obmutuit, sesèque victum agnouit ab eo, quem videbat æquè celeriter in aduersis currere, atque in prosperis cucurrisset. Sed quomodo in suis infirmitatibus ac doloribus cucurrit? eadem scriptura loquitur dicens: *quod testa saniem radebat sedens in sterquilinio*. Parui certè faciebat suos dolores, qui non molli aliquo linteo, sed testa dura vulnera sua radebat; cuius asperitate magis dolorem augebat. Et eodem spiritu dicebat; t *quis det* mihi, *vt, qui cœpit affligere me dolore, ipse me conterat: soluat manum suam, &*, si ita placet, *succidat me*. O patientiam heroicam! ô magnanimam resignationem! ô fœlicem infirmitatem, quæ adeò virtutem attollit!

5. *Hom. 1. ad populum.*

Iob. 1, 10.

[*Iob. 2. 2. 8. S. Greg. 16.*

Infirmitate Iob vicit.

t *Iob. 6. 8.*

6.

IAM non miror: u *Sanctum Timotheum*, grauibus *infirmitatibus* vexari, & continuo *stomachi* dolore: & nihilominus *aquam bibere*, qua illum augebat! iam non miror, Deum nolle Sancto Paulo Apostolo x *stimulum* suæ *carnis auferre* (quem Sanctus Augustinus existimat fuisse infirmitatem quandam, aut grauem corporis dolorem) siquidem dixit ei, *virtus in infirmitate perficitur*. cùm enim nullam particularem virtutem exprimit: ostendit, omnes in infirmitate perfici: charitate in DEVM, amoris proprij mortificatione; misericordia in proximum, discendo ex propria miseria compati alienæ; obedientia, conformando propriam voluntatem cum diuina in omnibus ijs, quæ pœnam inferunt; patientia in acceptando corporis cruciatu, cum spiritus lætitia. & reliquæ morales virtutes, cum in hoc conflatorio purificantur, prodeunt tanquam aurum splendidissimũ propter occasionem, quæ ibi est, maiores difficultates vincendi, earumque actus magis heroicos exercendi.

u 1. *Tim.* 5. 23.

x 2. *Cor.* 12. 9 *in Psal.* 69.

Omnes virtutes exercentur.

7.

QVID verò dicam de efficacitate infirmitatum ad animam in hac vita purificandam ab omni eo, quod ingressum impedit in gloriam? Nam quemadmodum y *Lazarus* ille *mendicus*, ob heroicam suam patientiam, quam habuit in doloribus: statim post mortem, *portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahæ*; ita prolixæ tuæ infirmitates, pro purgatorio tibi erunt: vt in eis purificato liceat tibi statim atque mortuus fueris, cœlum ipsum intrare. Quod si DEVS D. N. sanitatẽ tibi restituere noluerit: infirmitates tibi ex vsu fuerint, vt modum discas, quo te in eis gerere debeas: sequens consilium CHRISTI, cuidã alteri infirmo datum: z *tolle grabatum tuum & ambula*. corpus tuum (ait Sanctus Ambrosius) est lectus, & grabatum animæ tuæ: quæ, cùm infirmatur ob vitia & peccata, corpus eam furioso quodam passionum impetu raptat: at cùm illa ex spiritualibus infirmitatibus sana exsurgit, incipit corpus suum tollere, quo voluerit illudque ita animæ subijcitur, vt permittat se portari. Quid igitur est, quod Christus dicit: *tolle grabatum tuum & ambula*? nisi dicere: quia tot infirmitates ac labores patienter tulisti, ecce ego & corporis & animæ sanitatem restituo, cum huius integro supra illud Dominio, vt vtrumque vnà progrediatur de virtute in virtutem vsque ad omnium fastigium, & perfectionem. Sed ne adhuc securum te reputes: siquidem eadem ipsa sanitate etiam per Sacramentum & miraculum tibi reddita abuti potes: memor esto eius, quod idem Saluator eidem infirmo dixit: a *ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Audi Sapientis consilium, quod pulcherrimè declarat Sanctus Gregorius. b *Ne des* (inquit) *alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum* sine vlla vtilitate.

y *Luc.* 16. 22.

Anima purgatur.

z *Ioan.* 5. 8. *Serm.* 28. *in illud: erunt duo in lecto vno.*

a *Ioan.* 5. 14 *supra, admon.* 13.

b *Prou.* 5. 9.

Quasi

Quasi dixerit: Ne degeneres à nobilitate hominis: nec annos tuos expendas, tuis hostibus, eorumque Duci Sathanæ inseruiendo: neque enim par est, vt fructum illi accipiant ex viribus quas Deus tibi dedit; & vt labores tui non domum animæ tuæ ditent, sed alienam; quæ est infernus: salutem & facultates tuas absque vllo remedio perdendo, eò quòd eis fueris vsus ad peccandum.

§. 2 *Infirmitates magnorum Sanctorum.*

Progreditvr verò vlteriùs Dei Domini nostri potentia, seque prodit in eo, quod suis electis bonum sanitatis cum ipsa infirmitate coniungat, auxilium eis præbens, vt æquè infirmi laborent, atque si sani essent; iuxta illud Apostoli: c *cum infirmor tunc potens sum* quia diuina gratia fouet imbecillitatem meam, magnisque auxilijs spiritui meo oblatis, virium corporis defectum supplet. Stupenda fuerunt in hoc genere Sanctorum Patrum exempla: qui admiranda opera cum grauissimis morbis coniunxerunt. Quis non obstupescat S. Gregorium Magnum, de quo dicitur: admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decreuit, præsertim infirma semper adeoq; ægra valetudine, vt vel ea audire, quæ ipse in suis Epistolis refert, magnam commoueat compassionem. Quid verò dicam de Sancto Bernardo, de Sancto Francisco, de Sancta Clara, & de Sancta Catharina Senensi, alijsque Sanctis, quos Deus per vias deduxit admirandus, coningens in eis sanitatis & infirmitatis fructus? laborabant enim frequenter, atque si essent sani, licèt multa paterentur, quia ægroti erant: & vocatio diuina, quæ per vtramque viam eos deducebat, ita adiuuabat, vt essent in vtraque perfecti. Licèt interdum infirmitas augeretur, vt patiendi merita etiam crescerent; & interdum rediret sanitas, vt possent feruentiùs laborare. Hic ille est feruens status, quem & alijs consulebat, & ipse sequebatur Apostolus cùm diceret: d *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in virtute Dei, pugnantes per arma iustitiæ à dextris & à sinistris; per gloriã, & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam*: quibus etiam adde: per sanitatem, & infirmitatẽ; per fortitudinem, & imbecillitatem; per dolorem, & leuamen: ad vtramquu siquidem manum paratum esse decet strenuum Iesu Christi militem, que cupit esse perfectus.

c 2. Cor. 12. 10.

Multi infirmi magna fecerunt.

d 2. Cor. 6. 4

Sis ambi lexter.

Ex His licet deducere aliquas causas magis particulares, cur Deus D. N. viros sanctissimos morbis affligat. quos colligit Sanctus Chrysostomus, perpendens exemplum Sancti Timothei discipuli sancti Apostoli Pauli,

Hom. 1. ad populum.

c 1. Tim. 13.

quie *frequentes* patiebatur *infirmitates*: cùm alias semper esset in prædicatione, & promulgatione Euangelij occupatus, quæ tunc adeò erat pro totius vniuersi bono necessaria. Et tamen nec discipulus à Magistro petijt sanari quemadmodum alios multos sanabat; nec Magister id voluit illi præstare, quod alijs promptè præstabat: sed satis sibi esse existimabat remedium proponere: ne *aquam* solã *biberet*, vt consueuerat, *sed modico vino vteretur*, valdeque temperato: vt foueret, & confortaret *stomachum*. Vterque enim in ea infirmitate agnoscebant prouidentiæ diuinę consilium, cũ qua & optabant, & gaudebant voluntatem suam conformare: venerantes causas, cur DEVS eam infirmitatem permitteret: quas Sanctus Chrysostomus ad octo præcipuas reducit: Ne scilicet, videntes magnalia, quæ DEVS per ipsos operabatur, superbirent; sed, imbecillitatem suam in ea infirmitate agnoscentes, sese demitterent, ac verè humiles euaderent.

Prouidentia Dei in infirmitatibus.

1. *Ob Humilitatem.*

2. *vt Deus laudetur & nõ Homo.*

DEINDE: vt cæteri homines ipsorum miracula & ingentia opera, ac porrò ipsos etiam morbis subiectos cernentes, agnoscerent, illos esse eiusdem massæ homines, cuius ipsi essent: DEO QVE tribuerent illa opera, cuius reuerà erant: gratiasque & gloriam propterea illi tribuerent.

3. *Efficacitas gratiæ.*

ET hinc oritur *tertia* caussa: vt scilicet DEVS in eis ostenderet gratiæ suæ supremam efficacitatem: vt quæ faceret opera adeò prodigiosa per infirma adeò instrumenta, supplens auxilio suo, quod humanæ deesset imbecillitati.

4. *Puritas intentionis.*

QVARTA, vt admiranda virorum illorum patientia & puritas, qua DEO seruiebant, mundo innotesceret. quia non ob aliquod interesse, aut delicias, quas quærerent, seruiebant; siquidem fideliter seruientes, dolores potiùs & cruciatus sustinebant: sed quia Deus talis erat, vt eum amare, atque fideliter seruire gauderent: etiamsi ille ipsos affligeret & cruciaret.

5. *vt maiora præmia sperentur.*

OBITER tamen *quinta* caussa insinuatur, qua oculi nobis aperiuntur ad ingentia præmia cognoscenda, quæ Deus illis in cœlo reseruat; reddetque in generali resurrectione, cùm gloriosa illis corpora restituet. quibus in hac vita, propter fidelia obsequia, non præmia, sed multas reddidit tribulationes. Si enim curæ tibi est, vt operarijs, qui in tua vinea, vel domo laborarunt, mercedem reddas; nec vis è domo tua eos abire, cùm labori suo finem imposuerunt, quin mercedem statim accipiant: quantò magis supremus noster Paterfamilias, si non videtur in hac vita operarijs suis mercedem reddere, sed potiùs eos aduersitatibus grauibusque laboribus onerat: volet in fine clarissimis illos præmijs afficere, vt dolorum præteritorum obliuiscantur.

HINC

Hinc Sexta oritur causſa: vt ſcilicet magnam ex Sanctorum exemplis conſolationem cõcipias, cùm videris te in ſimiles aduerſitates incidiſſe: & te ipſum ad eas ferendas excites, quemadmodum ſuas illi tulerunt; & ſperes tibi ad finem vitæ mercedem copioſam reddendam, quam illi fuerunt conſecuti.

6. *Ne deficias in aduerſitatibus.*

Imò etiam, vt intelligas: cùm te ad S. Pauli, S. Timothei, & reliquorum Sanctorum imitationem exhortamur, non proponi tibi homines alterius naturæ, quàm ſit tua: ſiquidem eaſdem in eis infirmitates & miſerias cernis, quas tu ſuſtines: & intelligas, quòd quemadmodum tribulationum eorum particeps efficeris: ita poſſis eoſdem in virtutibus imitari.

7. *Sancti eiuſdem nobiſcum fuerunt naturæ.*

Quamobrem S. Iacobus Apoſtolus, cùm Eliam Prophetam imitandum nobis proponit in feruore & fide orationis ſuæ: f *Elias*, inquit, *homo erat ſimilis nobis paſſibilis*, & eiſdem paſſionibus ſubiectus, quas nos patimur: & nihilominus *oratione* clauſit *cœlum*, *ne plueret*; Et rurſum aperuit, vt *plueret*: & Sapiens de ſe ipſo dixit: g *ſum & ego mortalis homo ſimilis omnibus* in conceptione & natiuitate mea; & in reliquis, quæ in infantia omnibus eueniũt & nihilominus *optaui*, *& datus eſt mihi ſenſus*: *& inuocaui*, *& venit in me ſpiritus Sapientiæ*: *& præpoſui illam regnis & ſedibus*; *& diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*. Quibus omnibus moneris, quòd qui eandem habes naturam, eiuſdem quoque gratiæ ſis capax, ſi te velis ad eandem obtinendam animare.

f *Iacob.* 5 17.

g *Sap.* 7. 1. 7.

8. *Sola virtus beatos efficit.*

Deinqve vult Dominus noſter, te diſcere recto iudicio iudicare, quis in hac vita ſit beatus; & quis in eadem infœlix. quòd ſcilicet huius vitæ fœlicitas non in ſanitate, diuitijs, & huiuſmodi honoribus; ſed in veris, ſolidiſque virtutibus conſiſtat. contrà verò infœlicitas non in infirmitate, paupertate, aut ignominia ſed in vitijs & peccatis conſiſtat. ac proinde ſi diuites vitioſi ſint, eos verè eſſe infœlices: infirmos verò & pauperes, ſi ſancti ſint, verè beatos eſſe ac fœlices: & quo magis ſunt tribulati, eò eſſe glorioſiores ac beatiores. nam h *tribulatio* (vt Apoſtolus ait) *patientiam operatur*: *patientia autem probationem*; *probatio verò ſpem*: *ſpes autem non confundit* nec inanis remanet: ſed potiùs multò plura recipit, quàm vel cogitare poterat, ſe potuiſſe ſperare: *quia charitas Dei diffunditur in cordibus eorum*, qui aliquid benè ſuſtinent, *per Spiritum ſanctum*, *qui eis datur*, & in eis manet; cuius præſentia gaudijs diuinis eos replet. Ac propterea idem Apoſtolus i *gloriabatur in ſuis infirmitatibus*, tanquam virtutis Chriſti in eis venientis præcurſoribus, & metatoribus.

h *Rom.* 5. 4.

i 2. *Cor.* 12. 9

Hinc oriuntur dulces illæ querelæ, inuidiæ ſanctæ, & zeli ac æmulationes feruentes inter ipſos iuſtos. Nam qui ſani ſunt, infirmis inuident, videntes, eos ſuis infirmitatib⁹ proficere; ſe verò indignos reputant illis aduerſitatibus: & exiguæ ſuæ virtuti attribuunt, quòd Deus ſimiles probationes

Sancta æmulatio.

eis non mittat: & ita seipsos ad magis laborandum excitant; vt assumptis sponte alijs laboribus & asperitatibus obtineant, quod infirmitatibus non obtinent. At infirmi ipsi etiam sancte inuident sanis, videntes insignia opera, quæ in Dei obsequium, & eius Ecclesiæ vtilitatem præstant: suis verò peccatis attribuunt sanitatis defectum, minusque recto eius vsui, illam haberent. Non conqueruntur ob ea, quæ ipsi sustinent, sed quæ alij ipsorum causa tolerant. Conqueruntur, quòd non possint ieiunare, non vigilare, nec præstare quod alij præstant: & quod cogantur delicatiùs comedere, quàm alij; & eximi ab oneribus, quæ alij portant.

QVOD tamen totum in humilitatis & patientiæ materiam conuertunt, agnoscentes supremam Dei prouidentiam, eiusque consilijs se subijcientes: eum in modum, quo k *Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit; & adorauit fastigium virgæ eius*: reuerentiam exhibens supremæ eius potestati, & authoritati, qua ibi fungebatur. Ita igitur in tuis infirmitatibus supremam Dei gubernationem reuereberis, gaudens, quòd suam in te impleat voluntatem, quæ semper tendit in id, quòd eius electis est vtilissimum.

k *Heb.* 11.12. *Gen.* 47.31.

LXX verterunt, *summitatem virgæ eius.*

CAPVT II.

AEGRITVDINEM ESSE MEDIVM AD Orationis donum impetrandum; & varios esse in ea orandi modos, actus q; virtutum heroicarum.

INTER magna alia bona, quæ infirmitas ex diuinæ prouidentiæ consilio adfert, illud est præclarissimum, quòd doceat ORARE, sicut oportet. ea enim vtitur DEVS, tanquam instrumento, vt ægrotanti largiatur donum orationis: quatenus infirmitas aperit *vtriusque* cognitionis oculos, quibus oratio nititur. Altera est cognitio peccatorum, & miseriarum *nostrarum* altera vnici earum reparatoris, DEI scilicet Domini nostri. Vix enim Christianus aliquis etiam dissolutis moribus, inuenietur, qui periculosa infirmitate laborans, non aperiat oculos, sicut alter Tobias, huius aduersitatis a *felle* tactus, ad suas culpas agnoscendas, propter quas huiusmodi pœnam est promeritus; & miseriam suæ mortalitatis; & periculum, in quo videt se constitutum, suæ damnationis & simul eos aperit, vt videat, mali huius remedium, à Deo sibi prouenturum, in cuius manibus est salus & infirmitas; vita & mors, & ipsius malorum leuamen: quibus cogitationibus affectus excitat suæ voluntatis, & suas orationes ad eum dirigit, qui possit ipsum à tantis miserijs liberare. Quamuis Rex Antiochus impijssimis esset omniù,

Duplex cognitio Orationis.

a *Tob.* 11.13.

qui

qui erant in mundo; quando tamen b *Deus percussit eum insanabili & insustibili plaga*: (ait Scriptura diuina) quòd *cœperit ex graui superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga*; & c *reminisci malorum, quæ fecerat in Ierusalem ; vnde & abstulerat omnia spolia aurea , & argentea , quæ erant in ea: & miserat auferre habitantes Iudæam sine causa*. Aiebatque: *cognoui, quia propterea inuenerunt me mala ista*. Sed & in Dei cognitionem veniens, d *per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus, cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset*, solennem illam protulit sententiam. *Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non patria Deo sentire*. Et hoc sensu affectus orare cepit, & peccatorum veniam petere: sed quoniam valdè profundè in eis erat immersus, eius oratio multos habuit defectus. quia potiùs orabat, vt à pœnis liberaretur, quàm à culpis: & *spem multam* dicebat *se habere effugiendi infirmitatem* corporis; pluris illam faciens quam animæ. Multò autem melius orare didicit e *Rex Ezechias, cum ægrotaret vsque ad mortem*. cum .n. de imminente morte ab Isaia esset admonitus,, ex ipso lecto Oratorium fecit: & *conuertens faciem suam ad parietem*, vt recollectior esset, tot lacrymis, tanta reuerentia, ac fiducia *Dominum orauit*, vt sententiæ mortis in se iam latæ reuocationem impetrauerit, dixit.n. illi Dominus: *audiui Orationem tuam; & vidi lachrymas tuas: & ecce sanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos*: & huius signum dedit, quòd *vmbra in horologio retrorsum reuersa fuerit decem gradibus*. Vt hinc appareat, ægritudinem in iustis Magistram esse feruentis & fiducialis orationis; & impetrare à Deo, q̃ petit, & quatenus illi expedit. ita. n. S. Iacobus dixit: f *oratio fidei*, cum fide scil. facta. *saluabit infirmum*; & obtinebit q̃ petit, & multò plura: emollitur.n. Deus afflicti hominis lacrymis, ad ipsum pro remedio recurrentis. Nec existimes, huius Regis orationem breuem fuisse, & obiter factam: ipse. n. ait; se in illis angustijs, tanquam g *columbam meditatum*, iungendo meditationi gemitus, & *recogitasse oēs annos suos in amaritudine animæ suæ: & oculos suos attenuatos fuisse suspicientes in excelsum*; & exclamasse: *Domine vim patior, responde pro me*: quia in magnas angustias hæc me infirmitas cõiecit. subueni mihi, & ab ea me eripe. Quomodo aũt, & quãdo accessit, vt subueniret, eiusq; petitioni responderet? ô diuiuæ misericordiæ sublimitatẽ! ô efficacitatẽ orationis, à diuina gratia, infirmitatis tẽpore inspiratæ! vix Propheta (qui Dei nomine iusserat Regẽ disponere domui suæ eò q̃ ex illa infirmitate esset moriturus) ad palatij atriũ exiuerat, cum iubet Deus, eum redire ad Regem, ac significare: audiui Orationem tuã, & annui ijs, q̃ petebas. Nec his contentus, in reuersione vmbræ per 10. lineas in horologio, voluit, illi præcipuũ sanitatis eius fontẽ & causam, diuini scil. Verbi Incurnationem, aperire. q̃, dum hominis naturã assumpsit, nouẽ choris Angelorũ se minorẽ fecit: (q̃a homo chorũ decimũ & vltimũ occupat) vt

ad mor-

a 2. Mac. 9. 5. 11.

c 1. Mach 6. 12.

d 2. Mach. 9 12.

e 4. Re. 20. 1 Isaiæ 38. 5.

f Iacob. 5. 15.

g Isaiæ 38. 14.

Incarnationu prophetia.

ad morbos nostros curãdos veniret: quẽadmodũ ipse p̃ suũ Prophetã dicit: h *Spiritus Domini vnxit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer cõtritis corde, vt consolarer omnes lugentes, & darẽ eis coronam pro cinere, oleũ gaudij pro luctu.* Ex quo apparet, meritò dixisse Ecclesiast. i *fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum; sed ora Dominum, & ipse curabit te*; quasi dixerit, cùm fueris ægrotus, ne deficias animo, aut diffidas, sinens te absque remedio mori: sed attende, infirmitatem excitatricem esse orationis: confidenter autem orans fructum ipsâ experientiâ percipies.

h *Isai.* 61. 1.

i *Eccl.* 38. 9.

§. 3. *De ordinaria & extraordinaria ægrotantium oratione.*

SED quoniam multi difficilem existimant orationis exercitationem in ægritudine; eò quòd k *corpus, quod corrumpitur, aggrauet animam*; dolores attentionem cordis auferant, & affectuum feruorem hebetent: operæ pretium erit ostendere, quibus modis suauiter, & vtiliter id fieri possit. Est autem præmittendum duplicem esse orationis modum: alterum ordinarium, alterum extraordinarium: extraordinaria oratio, industriæ nostræ parùm, diuinæ gratiæ plurimùm habet: nam ipsemet DEVS, fidei mysteria ita manifestat, quasi depicta essent in aliqua imagine, aut in libro Scripta; aut quasi Magister discipulum instruens, aut amicus familiariter cum amico loquens, eique sua arcana reuelans: ita vt homo non aliud faciat, quàm aspicere, legere, vel audire quod illi ob oculos proponitur, & quo valdè delectetur. & hac ratione solet DEVS D. N. donum orationis magnis aliquibus suis amicis in ægritudine communicare: idque ob aliquam ex *tribus* causis. *vel*, quòd tunc sit maior eorum necessitas; minor verò ad orandum facultas, ob debilitatas vires; *aut*, quòd, ad tale donum suscipiendum, magis tunc sint dispositi; eò quòd carnis insolentiæ magis tunc sint mortificatæ; ipsique euulsi à rebus huius vitæ, & suæ miseriæ reparatori addicti magis & coniuncti; *aut* denique, q̃ ipsemet DEVS præstare tunc velit officium veri amici, cùm videamus, cõsueuisse amicos, ægritudinis tempore, ad amicos accedere, illos consolari: & ita apud eos hærere, vt à lecto, in quo iacent, non discedant: imò si opus est, ipsum lectum & puluinar substernant, cibumque ipsum in os ponant; & omne solatium offerant, quod in illis angustijs possunt. Ita supremus noster DEVS, misericordiæ suæ visceribus, ægrotanti amico compatitur; visitat internè, comitatur ac magnâ illustrationum sensuumque spiritualium abundantia recreat: quibus crucis lectum, in quo iacet, emollit, & sternit, iuxtà illud Psalmi: l *Dominus opem feret illi, super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versabit in infirmitate eius*: quasi dixerit: tu Domine stabis propè lectum eius, eum in suis doloribus consolans; & quasi eius infirmarius illi ministrabis: atque ita illum re-

k *Sap.* 9. 15.

Extraordinaria infirmorum oratio.

Tres eius causæ.

l *Psal.* 40. 4.

creabis.

creabis, vt ægritudinis duritiem, ac grauitatem non sentiat. Et quemadmodum infirmus in his occasionibus non aliud facit, quàm molli & blando lecto vti, quem infirmarius illi sternit; ita in hoc modo orationis, non aliud facit, quàm fauorem & studium Christi accipere, quod Sanctus Dionysius vocat, *pati diuina*. est tamẽ magna fœlicitas, res adeò diuinas sustinere: quia idiuuat ad humanas miserias cũ lætitia tolerandas. Quod licet nõ cadat sub nostris meritis: potest tamen ægrotus sese disponere, ad illud in eo gradu suscipiendum, quo ei expediet. adhibendo scilicet patientiam, & resignationem sui ipsius in infirmitatis laboribus; & reliquas virtutes, quæ in ea exercentur: nominatim verò ordinariæ orationis exercitia, quæ omnibus possunt esse communia.

Ægrotus ad eam se disponere potest.

QVAM *ordinariam* orationem potest ægrotus varijs modis habere, non tam prolixis intellectûs ratiocinationibus, ac meditationibus; quàm accẽsis affectibus, & virtutum actibus: suppositâ memoriâ & notitia aliquarum veritatum, quas fides reuelauit; & aliàs, aut legit, aut meditatus est, aut ipso tempore legere potest librum aliquem, aut alium legentem audire; & ex ea lectione bolum aliquem sumere, quò ipsa consideratio magis excitetur; affectusque deuotionis, petitiones & colloquia, cum ipso Dòmino nostro extimulentur: intuendo illum, vt præsentem nunc in cœlo, in throno gloriæ suæ; nunc in lecto & throno crucis; iam propè ipsum ægrotantem & ad caput eius: siquidem reuera, quà DEVS est, omnibus, quæ ipse ægrotus facit, aut patitur, est præsentissimus: & omnipotentia sua illi, vt auxilietur, assistit. Quare ex ipso lecto potest ægrotus ipsum Dominum demissè salutare, siue in cœlo existentem, siue in crucis lecto pendentem: & aliàs potes eundem salutare, & cum eo comminus colloqui: oratio enim ad vtramque manum potest adaptari. quæ salutationes & colloquia prolixa esse non debent, sed breuia; vel medium enim verbum Deo, qui omnia nouit, sufficit. in cuius auribus dulcius sonant feruentia desideria, quàm prolixæ ratiocinationes. Quare ad hanc rem aptissimæ sunt orationes, quæ appellãtur *iaculatoriæ*, quoniam citissimè tanquam hastæ & sagittæ, à corde iaculatæ, volant in cœlum, & comparent ante Dei tribunal: nec, nisi expedito benè negotio, redeunt: eò quòd fundantur ab homine infirmo, contrito, & humiliato, orante in fide, & fiducia, & charitate; & sic exercente tres hasce virtutes Theologicas, quæ plus cæteris feruoris & efficacitatis orationi tribuunt. Huius rei praxim subijciemus paulatim in aliquibus Scripturæ Sacræ exemplis, in quibus ea est perfectè depicta, ac delineata.

Ordinaria oratio.

Iaculatoriæ orationes.

§. 2. *Modi orandi per varios affectus.*

1. *Cum sororibus Lazari.*

PRIMVS ergo modus orandi est, aspiciendo ipsum Dominum nostrum tanquam absentem. solet enim ipse aduersitatum tempore talem se exhibere, ad nostram fidelitatem, & constantiam probandam: nec tamen propterea expedit, prætermittere, nuncios & orationes ad illũ mittere, proponentes nostras necessitates, & titulos, siue causas, cur petamus eas reparari. Hanc rationẽ secutæ sunt Martha & Magdalena, cùm earum frater Lazarus infirmaretur, ipso Christo absente: ad quẽ illæ hunc nunciũ miserunt: k *ecce, quem amas, infirmatur.* & quamuis hæc orationis ratio propria sit iustorũ, qui pignus & testimoniũ habent, quod amentur à Deo, ob præstita illi obsequia: licet tamen, eandem adhibere pœnitentes & cõpunctos peccatores: siquidẽ tales l *Deus* adeò *dilexit*, vt propter eos homo fieret, crucisq; morẽ obiret. & vt S. Augustinus dixit: nisi Deus peccatores dilexisset, nunquã iustos homines habuisset. Innitens ergo huius Domini charitati, qui adeò te dilexit: potes similem ad eum nunciũ mittere, adsciscendo ad hoc Marthã & Mariam sorores, quæ sunt *Spei & Charitatis* virtutes; quæ plurimũ apud Deum valent, facilemq; ad eius præsentiam aditũ inueniunt possuntq; demissè ei dicere: *Domine: ecce, quem amas, infirmatur*: non dico, Domine, vt me sanes; sed vt in hac occasione amorem mihi ostendas, quo me prosequeris: non enim scis aliquem diligere, ac deserere. Da mihi quod magis expedit: quidquid enim dederis, ab illo amore procedet, quo me dilexisti. Hoc amore me ex nihilo creasti, corpusque & animam dedisti; Ecce, Domine, quod mihi dedisti corpus, infirmatur: si vis, potes illud sanare, vt tibi seruiat: quocunque autem modo mecum egeris, ostendam ego amorem, quem desidero erga te habere: amando te, sicut tu me amas; & seruiendo tibi in infirmitate, aut sanitate, quam mihi dederis.

k *Ioan.* 11. 3.

l *Ioan.* 3. 16.

Resignatio.

2. *cum centurione.*

QVOD si teneri huiusmodi affectus non sint arido tuo cordi satis apti: licebit orare, quemadmodũ Centurio; qui seruũ, quem valdè diligebat, habebat paralyticum. is enim m *Misit ad* IESVM *seniores Iudæorum, dicens*: n *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* & cùm Christus responderet, se venturũ, dixit Centurio: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meũ: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*: Seniores verò *rogabant Iesum solicitè*, vt concederet quod petebat, *dicentes: quia dignus est, vt hoc illi præstes: diligit. n. gentem nostrã; & Synagogam ipse nobis ædificauit.* Quis verò seruus erit iste, Centurioni adeò pretiosus nisi ipsũ *corpus*, quod est quasi seruus spiritus, qui tanquã Capitaneus siue Centurio habet sub se multos milites, potentias sc. ac sensus imperio ipsius obedientes, & ipsummet corpus, quo in suis actionibus vtitur, quodque tanquam rem suam diligit: Et tamen, quando ægrotat, parum aut nihil potest: ideoq; eius imbecillitatem

m *Luc.* 7. 3.

n *Matt.* 8. 6.

Corpus seruus animæ

& ægritudinem sentit quasi propriam. Ac propterea recurrit ad D. N. vt sanitatem illi restituat. sed quoniam vilitatem suam agnoscit, non audet solus in eius conspectum venire: ideoq; Seniores mittit, qui pro ipso rogent; quales sunt *pauperes*; quos suis eleemosynis, bonisque alijs operibus fouit, scriptum est enim: o *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit.* Quod si eo vsque talia opera non fecit, studet statim ea facere, vt orationem suam bonis operibus comitetur: & magis innitens liberalitati & omnipotentiæ Domini, quàm suis obsequijs, quæ pauca sunt, dicit: Domine seruus meus, hoc scilicet corpus meum, iacet in lecto paralyticus; & hoc morbo malè torquetur: non sum dignus, quem tu visites, aut recrees, aut fauore aliquo magno prosequaris: tu vide quid magis expediat, & dic tantũ verbo: eo enim facere poteris quidquid tu volueris. Et quãuis seruus hic sit meus, quia seruit spiritui, & meæ humanæ naturæ pars quædam sit: etiam tamen est *tuus*: quia tu illum creasti, vt tibi seruiret: iana illud, Domine, si ita illi expedit: vt tibi seruiens, finem illum consequatur, in quem illum destinasti.

Pauperum oratio.

o *Eccl.* 29. 15.

Corpus seruus est Christi.

HINC licebit ad alium orandi modum transire, faciendo actus resignationis circa ipsam infirmitatem: hinc cõniuendo naturali debilis carnis propensioni; inde verò eandem diuinæ ordinationi subijciendo; pluris Dei voluntatẽ, quàm tuã, & quidquid creatũ est, faciendo. Hunc orandi modũ in ipsa praxi excellentissimè exercuit Christus D. N. dum in horto Gethsemani Passionẽ suam tanquã calicẽ sibi ob oculos posuit, omnib⁹ amaritudinibus plenũ, quas perpessurus erat ab ea hora, qua erat capiendus, donec in ipsa cruce exspiraret: quas oẽs memoriâ suâ recolens, procidens in terrã cũ summa erga Deũ Patrẽ reuerentia ac fiducia & heroica interim sui resignatione, ita orationẽ suã exorsus est: p *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, Veruntamen non sicut ego volo; sed sicut tu*; & iterũ: *Pater mi, si nõ potest hic calix transire, nisi bibã illũ: fiat voluntas tua.* Hunc ergò in modũ cogitare debes, ægritudinẽ tuam esse instar *calicis* omnibus amaritudinibus, quas sustines, pleni; & poculi alicuius magni, in quo sint oẽs tuæ pœnalitates simul collectæ: capitis dolores, ardores febris, frigoris tremores, sitis tædium, & confractio totius corporis, & molestiæ ex syrupis, purgationibus, & sanguinis emissione. Quę omnia cũ memoriâ percurreris, cõstitues te in cõspectu Patris tui cęlestis; & magna fiducia, & amore, ac simul cum magna tui resignatione, eandẽ repetes orationẽ, dicens: Pater, si possibile est, transeat à me calix huius ægritudinis, q̃ patior: sed non sicut ego volo fiat sed sicut tu. Pater mi amãtissime: si nõ est possibile, nisi vt calicem hunc bibã, fiat volũtas tua: quã ego multò pluris facio, quàm meã. Quam orationem licebit repetere, quoties partem aliquam huius calicis bibes: quando scil. rigorem frigoris,

3. *Cum Christo.*

p *Mart.* 26. 39.

aut febris æstum, aut sanguinis emissionem, aut gurgationem expectas.

Nec cessandum tibi est, etiamsi dolor crescat; sed potius orationem ipsam
q *Luc. 23. 43.* adaugere debes, quemadmodum ipse CHRISTVS Dominus noster fecit, de quo ait Sanctus Lucas; quod q *factus in agonia, prolixius orabat*, protrahendo scilicet, & feruorem maiorem orationi suæ addendo. Sed quoniam *duplex* est ratio calicem hunc hauriendi: altera, cùm ei *admiscetur* consolationum, ac deliciarum cœlestium liquor: quæ ita eius amaritudinem temperant, vt etiam reddant dulcem: altera, cùm *purus* sumitur, absque tali admixtione, quemadmodum Saluator ipse illum exhausit, sentiens videlicet ipsas amaritudines absque vlla consolatione sensibili, vel potius cum summa tristitia & tædio: resignatio igitur tua eò debet peruenire, vt magno animo te offeras ad calicem purum eo modo exhauriendum, quo DEVS D. N. illum tibi dederit: sic enim erit heroica magis ac meritoria. Quod si expediet, vt acerbitas ipsa sit temperatior: resignatio ipsa potens est eam moderari: quia diuina misericordia accedet, quæ videns te resignatum, recreabit, & consolabitur. quemadmodum adfuit Abrahamo, cùm iam decreuisset sacrificare filium suum Isaac, quod significat *risum*; ostendens illi r *arietem*, quem *offerret in holocaustum* pro filio. Sacrifica tu Deo in tua infirmitate, quod in te est, Isaac, risum scilicet & lætitiam animæ tuæ, vt propter eius amorem, quod in te est, velis Isaac ipso carere: & tunc experieris, nec Isaac perire, nec spiritus tui lætitiam: quamuis patiatur corpus, grauemque cruciatum sentiat.

Calix purus & mixtus.

r *Gen. 22. 13.*

4. *cum Dauide.*

Et quoniam in eo sibi complacet Dominus noster, vt te ipsum ad hilariter patiendum exstimules, in signum amoris erga eum: licebit quodam *alio* orandi modo vti, adhibitis actibus gratitudinis & actionis gratiarum, tam ob alia beneficia accepta, quàm ob ipsammet infirmitatem: reputando eam tanquē eiusdē Domini beneficium. siquidem reuerà non minus bonū est, quàm ipsa sanitas. Et hoc affectu verba illa Dauidis dicere poteris: s *quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi: calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quis autem calix hic salutaris est, nisi ægritudo ipsa, quam sustines cum prædictis omnibus eius acerbitatibus? Calix est Saluatoris, ob similitudinem, quam habet cum eo, quem ipse bibit; & ipse illum tibi mittit: & est Calix salutaris: quia ad spiritualem tuam sanctitatem dirigitur: vt, corpore ægrotāte, anima sanetur. Quid igitur offerre poteris Deo in gratiarū actionē ꝓ bonis, quæ tibi dedit? poteris eadē bona ita illi offerre, vt illi placendi causa, velis eisdē carere. Potes similiter mala, & miserias, quas sustines, eidē offerre, gaudens, ꝙ illas sustineas, propterea quòd id illi placet. Et cū ipse te præuenit, ac dolorū calicē tibi ꝓponit: magno gaudio, & animi gratitudine illud amplectaris, & ad extremū vsq; exhaurias, quasi

Calix ægritudo.

s *Psal. 115. 12.*

homo,

homo, qui valdè sitiat, & sitim suam sedare desideret: & ad singulas quas hauries guttas hæc verba repetes. Deo gratias, Deus sit benedictus, glorificetur Deus. Et quemadmodũ S Iob. dices tibiipsi: t *si bona suscepimꝰ de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* & u *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Hic actionis gratiarum affectus in infirmitatibus valdè proprius est filiorum Dei: nam in sanitate, ac prosperitate non magnum est glorificare DEVM, cùm etiam de impio dicatur: x *confitebitur tibi, cum benefeceris ei*: iustus autem dicit cum Dauide: y *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* nam omne tempus, siue prosperum, siue aduersum in oculis huius mundi, apud me erit prosperum: DEVS siquidem est, qui tribulationem, quæ in hoc tempore mihi euenit, in commodum meum dirigit.

t Cap. 1. 21.
x Ps. 48. 19.
y Psa. 33. 2.

5. Ex humilitate

EST & alius *quintus* orandi modus, adhibitis actibus *humilitatis*, isque valdè est copiosus: eò quòd omnia, quæ sunt in infirmitate, ad eam prouocant. hic enim locum habet illud Prophetæ: z *humiliatio tua in medio tui.* nam verè habes tecum humilitatis causam. dolores enim te humiliant, imbecillitates, pharmaca, angustię, mortis metus. Ex quibus omnibus conficere potes titulos tuæ orationis, dicens cum Dauide: a *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: sed tu Domine vsquequo?* Quid autem sibi vult interrogatio illa *vsquequo?* ostendit sane, plus esse, quod sentit cor: quàm quod verbis possit explicare. nam mediã quasi sententiam abscindẽs Deo, ipsum intelligenti, dicit: *vsquequo*, Domine, permittes dolores meos crescere? *vsquequo* durabit ira tua, & misericordia tua continebitur à tua iustitia? *vsquequo* non me visitabis, & vultum amicum ostendes, *conuertere, Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* nunc viuus memor sum tuarum misericordiarũ, vt prouocem te, ad liberandum me à miserijs meis; nunc occupor in confessione peccatorum meorum, & in tuis laudibus propter ingentia beneficia in me collata: quod, non poterit fieri in inferno. Accepta igitur nunc Confessionem meam, & remitte mihi culpas, & pœnas quas patior.

z Mic. 6. 14.
a Psal. 6. 3.

Vsquequo.

6. Ex patientia.

EODEM modo licebit orare, faciendo actus mansuetudinis, & *patientiæ*, quibus ad plura pluraque patienda te offeras, si Deo tuo ita placebit, dicens ferùentem illam orationem Sancti Iob, cùm vulneratus & afflictus in sterquilnio suo iaceret: b *quis det*, mihi *vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus! & qui cœpit, ipse me conterat: soluat manum suam & succidat me! & hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore, non parcat: nec ego contradicam sermonibus!* ô virum sanctissimum, & virorum sanctorum ac fortium exemplar firmissimum. Iure optimo dixit sapiens: c *Melior est patiens viro*

c Pro. 16. 32.

forti: fortis enim (vt S. Gregorius ait) vincit alios, eiusque dolorem infert; at patiens vincit se ipsum, & ab alijs illatos dolores tolerat. Quamuis S. Iob horrendis esset vulneribus plenus, adhuc videbatur ipsi DEVS manum contrahere, parceque cum ipso agere: ideoque petit, vt grauiori manu ipsum affligat. Optatque hanc petitionem sibi à Deo concedi. Hoc spiritu orandus tibi est DEVS in tua ægritudine, & petendum, non vt te liberet, si id tibi non expedit; sed vt amplius affligat, si ita illi placet. Dic cum S. Augustino: *hic vre, hic seca; vt in æternum parcas*: potius enim in hac vita pati volo, quàm in altera. dic illi, quod quidam alius Sanctus: *Domine auge patientiam, & auge dolorem*: accedat dolor ad dolorem; & qui sequitur, sit priori grauior: modò patientiæ quoque ampliores gradus addas: vt omnia ferre possim. Verum altiori adhuc spiritu orandū tibi est, & cum Dauide dicendum: d *Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Quia ipse Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo*: e *quoniam tu es patientia mea Domine*: ex cuius gratia, & auxilio illam habeo; tuaque præsentia spiritum mihi reddit, ad tolerandum quod patior. Patientia tua, patientissime Iesu, mea est: siquidem propter me illam habuisti, mihique eam applicasti. Per eandem supplex oro, vt eam mihi in hac infirmitate largiaris, & cum tua coniungas: vt ita sit tibi magis accepta.

d *Psal.* 61. 6.
e *Psal.* 70. 5.

7. DENIQVE, cùm iaces infirmus in lecto, cogita, Saluatorem tuum inspirare tibi admiranda illa verba libri Canticorum: f *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Per montem myrrhæ intelligens cumulum *mortificationum*, carni ipsi acerbarum; per collem verò thuris, multitudinem *orationum*, spiritui benè olentium. Et quoniam eadem verba tribuunt aliqui Christo sponso, qui præsente & audiente anima sponsa sua dixerit: se ad eum montem, & collem ire, vt ad ipsum sequendum & comitandum eam prouocaret: alij verò eadem tribuunt ipsi animæ; quæ agnoscens cœlestis sui sponsi voluntatem ac desiderium, statim obsecuta est, ac dixit, *vadam ad montem, & collem*, vt ipse sponsus insinuabat: vtroque sensu ea verba sunt consideranda; tibique persuadendum: stratum hoc ægritudinis tuæ tibi esse montem myrrhæ, ac thuris collem: vbi debeas te exercere in patiendo, orando, & obediendo cum magna resignatione, & conformitate in omnibus, quæ ipse de te statuerit: cogitans Saluatorem tuum dulcissimum præcedere te exemplo suæ passionis ac mortis. Hortus enim Gethsemani, Caiphæ domus, Pilati prætorium, mons Caluariæ, & Crux ipsa, fuerunt illi mons myrrhæ, & collis thuris, eiusque exercitia in omnibus his locis fuerunt, pati, orare, & æterno suo Patri obedire desiderans te in eisdem habere comitem.

f *Cant.* 4. 6

Mortificatio & Oratio.

CAPVT

CAPVT III.

SEPTEM CONSIDERATIONES AD infirmitates patienter, alacriter & vtiliter ferendas.

CVM tot sint, adeoque efficaces rationes & motiua, ad patienter ferendas infirmitates; & vtilitatem, ad quam illæ diriguntur, ex eisdem capiendam: nec possint infirmi prolixas ratiocinationes facere ad easdem rationes perpendendas: operę pretium existimaui, omnes eas, aut saltem præcipuas, ad septem cõsiderationes reuocare, in quibus infirmi & valetudinarij exercere se possint in septem hebdomadæ diebus singulis diebus singulas accipiendo; siue audiendo, vel integras, vel partem earum: prout commodum erit. Vnaquæque enim earum est instar spiritualis cuiusdam Pharmacopoliæ, multis pharmacis pro ipsa anima refertæ: ex qua propterea nunc hoc, nunc illud accipi possit, & applicari ad considerationes & affectus amoris, vel timoris; fiduciæ, aut pœnitentiæ, iuxta infirmi necessitatem ac desiderium.

1. Consideratio de prouidentia Dei circa nostras infirmitates.

Punctum. 1. Prouidentia Dei in infirmitatibus.

PRIMVM considerabis admirandam adeò cœlestis nostri Patris prouidentiam erga homines in ægritudinum distributione, quibusdam enim frequentes, alijs raras; quibusdam graues, alijs leues; huic prolixas, illi breues; huic in vna corporis parte, illi in alia: quod totum dirigit ipse DEVS in suorum electorum bonum & vtilitatem. Nominatim verò, quæ tibi obtigit, prouenit ex paterna hac prouidentia, ad animæ tuæ bonum & salutem.

1. *Sapiens.*

PERPENDE igitur Primò, Dominum Deum adeò esse *sapientem*, vt clarè ac distinctè nouerit omnes tuas infirmitates, ac dolores etiam occultissimos; & eorum radices, causas, & remedia; vites quoque tuas ad illas tolerandas; & quas ipse ex gratia sua addere potest. Ita vt nihil psum lateat, nec ex ignorantia aliquid tibi dabit, quod non expediat; nec onerabit plus, quàm ferre possis; aut curationem prætermittet, quando tibi expediet.

2. *Potens.*

DEINDE adeò esse *potentem*, vt possit ab omnibus morbis te præseruare. quod si in aliquem permittat incidere: posse in momento vel solo verbo te liberare; vel adhibitis medicamentis pluribus, aut paucioribus, aptis ex sua natura, aut etiam contrarijs: eius enim omnipotentiæ nihil est impossibile aut difficile. Adeò denique esse *bonum* adeò sanctum ac bene-

uolum

3. *Bonus.*

uolum, vt ſuos plus diligat, quàm ipſimet ſe diligant: & quidquid ſua prouidentia ſtatuit, eò dirigit, vt benè illis faciat, & ſaluentur: ita bona & mala ipſius corporis dirigens, vt anima perficiatur & ſaluetur: ex quo multò maius bonum ipſiuſmet corporis proueniet. *Tribus* hiſce diuinis perfectionibus innititur *ſuauitas, efficacitas, & ſublimitas* prouidentiæ diuinæ in bonum noſtrum. Quamobrem Eccleſia in hunc modum pro fidelibus omnibus orat: *Deus cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueas; & omnia nobis profutura concedas.*

Domin. 7. poſt Pentec.

Prouidentia infirmitatem condit.

QVÆ, ſi ita ſunt, ſicut reuerà ſunt: quomodo non exultabis in tuis infirmitatibus, quæ, à cœleſtis tui Patris *ſapientia, omnipotentia, & bonitate*, diſpoſitæ, & ordinatæ ſunt? ſi ipſe eas mittit, & nouit, quis tu ſis, cui mittuntur: quid times? cur anxius es? times *errorem* aut deceptionem? non eſt poſſibile: quia eas diſpoſuit infinita eius ſapientia; Times tuam *debilitatem*? non eſt cur: quia ipſe aſſiſtit ſua omnipotentia, Times *malitiam*? ne crede: quia, quidquid facit, ab eius immenſa bonitate & charitate procedit: ne igitur infirmitatem ipſam nudam aſpicias; & ex ijs, quæ exterius apparent, de ea iudices: quia ſic incutiet metum: aſpice ergo illam ſapientia, omnipotentia, ac bonitate Dei indutam & exornatam: & tunc illam iudicabis pulchram, ſuauiſſimam, tibi blandientem ac dicentem, g *nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem*: nigra, inquam, ex proprio colore; ſed pulchra & formoſa ex colore meæ veſtis. Si fugitis me ob nigrorem, quem ex me ipſa habeo; amplectimini ſaltem ob pulchritudinem, quam addit mihi diuina prouidentia. Et hoc ſenſu amplectere præclarum illud ſapientis conſilium: h *omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines vero receptibiles* (in cœlum) *in camino humiliationis.* Si ægrotas, & ægritudinem ſequuntur aliæ triſtitiæ & acerbitates: omnes *ſuſcipe*, quia DEVS eſt, qui illas mittit: & paterna ſua prouidentia tibi applicat. Vis precioſus eſſe, & tanquam argentum & aurum ſplendere? ne refuge caminum humiliationis, & infirmitatis: in quo *purificaberis*, & amiſſum ſplendorem recipies. Cupis in cœlum *recipi*? delectare in ea moleſtia, quam ſuſtines, dum ægrotas: qui enim in æterna requie ſunt recipiendi, per huiuſmodi tribulationes tranſire debent.

g *Cant.* 1. 5

h *Eccl.* 2. 4.

i *Prou.* 3. 11. k *Heb.* 12. 5.

Audi, quid Patris huius cœleſtis ſpiritus tibi dicat: i *diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cum ab eo corriperis* k *neque defatigeris, cum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, corripit. & quaſi Pater in Filio complacet ſibi*, dum k *flagellat omnem filium, quem recipit.* Si cupis (ait Sanctus Auguſtinus) inter filios numerari; & vnus eſſe eorum, qui in hæredes recipiuntur: ne refuge in eorum eſſe numero, qui flagellantur, & caſtigantur: re-

cipe

cipe infirmitatis flagellum ; vt sic recipiat te DEVS in in regno suæ gloriæ.

DEINDE considera, sapientissimum hunc DEVM , quemadmodum (Salomone teste) l *omnia in* MENSVRA, & NVMERO, & PONDERE *disposuit*: ita etiam morbos ac dolores disponere, cum exactissima eorundem *trium* obseruatione. Prouidentia enim sua constituit NVMERVM infirmitatum, quas sis passurus; & dierum quibus, singulæ earum sint duraturæ; & horarum, quibus rigor durabit, & æstus & sitis, & ipsa afflictio ; & rerum denique omnium numerum, quæ in eis pœnam ac dolorem tibi adferent: idque ita certò, vt nullus terrenus medicus industria vlla humana, aut violentia adhibita, siue cum bona, siue cum mala intentione, producere possit, aut breuiare constitutum hunc à Deo numerum. Quod si aliquis abbreuiat, aut producit infirmitatem, id totum subest diuinæ prouidentiæ: quæ disposuit rem ita, vt eo medio, aut breuiaretur, aut produceretur. Et eodem modo idem Dominus, PONDVS infirmitatis constituit: terminum ponens eius grauitati ac vehementiæ; ita vt nec sit grauior, quàm infirmi vires ferre possint; nec medici, cum tota arte sua quidquam de ea grauitate, aut vehementia imminuere. Quod si aliquando imminuunt, & leuamen adferunt: id fit ex diuina potiùs prouidentia illud adferente. Quamuis enim S. Apostolus, tribulationes suas referens, dixerit: m *supra modum grauati sumus, supra virtutem; ita vt taderet etiam viuere*: id tamen etiam diuina prouidentia constituit, nouas addens Apostolo vires, vt pondus ferret, q̃ pristinas excedebat. Denique idem Dominus eam MENSVRAM constituit calicis, quem sis in infirmitate bibiturus: vt nec sit possibile, vel guttam ei addi : nec te vel guttã ex eius præscripto omittere. Quod verò Calix magnus sit aut paruus ; purus aut mixtus: id totum ab huius Domini præscripta mensura prouenit, m *qui* (vt dixit Dauid) *potum dat nobis in lachrymis, in mensura.*

QVID ergo anxius es, homuncio, cùm te vides infirmitatibus premi , si fidem viuam habeas, NVMERI , PONDERIS, ac MENSVRÆ, quam Deus in illis constituit: si dierum numerus te affligit, eò quod prolixior videatur; aut põdus sit graue; aut mẽsura magna: attende, eum, qui id præscribit, esse tuum Patrem, tuum medicum, creatorem, ac redemptorem tuum: & totum hunc ordinem & mensuram, necessaria esse, ad animam tuam expurgandum , & sanitati restituendam , & ad finem suæ beatitudinis consequendum. Si argentum & aurum plenè sint purificanda : necesse est, ea per tempus aliquod in fornace siue conflatorio manere : idque cum tanto igne , quantum iudicat auri faber; neque enim quilibet ignis, aut quodlibet tempus sufficit : quantò igitur magis opus erit, vt maneas tu in ista fornace infirmitatis toto tempore, quod præscripserit Deus ? & in ea ignis intensione,

Punctum 2
l *Sap. 11. 21.*

1.
Numerus infirmitatũ.

2.
Pondus.

m *2. Co. 1 8.*

3.
Mensura.

m *Psa. 79. 6.*

quam ipse voluerit vt bene purificatus, & splendens prodeas, sicut tibi expedit? existimabas forte, dierum tuorum *numerum* esse magnum: DEVS autem te visitat infirmitate, vt intelligas, eum esse incertum, & forte breuissimum. Erigebas te in altum ex superbia à vento inanis gloriæ elatus: DEVS verò *pondus* infirmitatis tibi imposuit, qui in *fecit ventis pondus*, vt superbos humiliaret. Effundebas te sine termino, & mensura ad miseræ huius vitæ delitias: Deus verò, qui *aquas appendit in mensura*, dedit tibi acerbitatum *mensuram*, qua carnales tuas concupiscentias contineres. subijcere ergo benevolè illius prouidentiæ in numero, pondere, & mensura harum *acerbitatum*: & breui experieris numerum, pondus, & mensuram *coronarum*.

1 *Iob. 28. 25.*

Punctum 3.

Errores Deus permittit in bonum.

HINC vlteriùs pergens, considerabis, etiam subijci prouidentiæ diuinæ *errores*, qui accidunt in infirmitatibus ex ignorantia, aut incuria medicorum, aut infirmariorum, & cuiuscunque alterius hominis: etiamsi id ex malitia facerent: DEO tamen ita permittenti id occultum non est: qui poterit, ac porrò volet, rectum quid ex eorum erroribus elicere, in eum finem, quem altissima sua prouidentia intendit. Sæpè enim eueniet, vt quod medicus ex ignorantia, aut incuria sua fecit: id pertineat ad sanitatem tuam: si autem fecisset, quod facere forte cogitabat; aut debuisset secundùm suam artem: id tibi mortem attulisset. DEVS verò ita disposuit, ad mortem tuam euertendam: quemadmodum etiam aliquando permittit eum decipi & errare: quia ad animæ tuæ bonum expedit, vt miseræ huius tuæ vitæ finis imponatur. Cùm igitur talia tibi eueniunt, non conijcias oculos in admissum errorem: ne ex eo afflictionem tibi augeas, sed in ipsum Dominum permittentem: vt accipias consolationem: quemadmodum ille senex, quem refert Sanctus Dorotheus, qui cùm ægrotaret, infirmarius loco mellis, quod condiendo cibo adhibere debuit, oleum ex lino adhibuit: & cùm infirmarius errorem suum aduertens, valdè anxiaretur: Sanctus ille Abbas consolatus est illum dicens: ne tristeris fili: nam, si DEVS voluisset mel cibo adhiberi, ipse prouidentia sua rem ita direxisset; ac porrò, ex lino oleum adhiberi prohibuisset. qui cùm id non fecerit: æquum est, me & te cum diuinæ ipsius prouidentiæ ordinatione, bono & læto esse animo. ab ea siquidem omne bonum, solatium, & lætitia nostra procedit. Quod si ex hac occasione morbus producetur: error ille potiùs erit ad rem: quia per eum expletur numerus, & pondus quod DEVS in tuam vtilitatem constituit. Accipe præstantissimum aliud consilium eiusdem Ecclesiastici dicentis. o *deprime cor tuum, & sustine, & nefestines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei*, etiamsi prolixæ illæ videantur: *coniungere Deo*, per amorem scilicet, confidens bene-

o *Eccl. 2. 2.*

uolæ

uolæ eius prouidentiæ, *& sustine, vt crescat in nouissimo vita tua*, & proficias in æterna. ter (ait) SVSTINE morbi & afflictionis pressuram, eò quòd numerum, pondus & mensuram sustinere oporteat. non vrgendo, vt *numerus*, minuatur, aut *pondus* alleuietur, aut *mensuræ* aliquid detrahatur: ea enim solicitudo anxietatem augebit; & licèt multùm vrgeas, necesse erit ipsius DEI gressibus, etiamsi tardior sit, te accommodare. Nam, cùm seruus & Dominus simul ambulant: necesse est seruum accõmodare se gressibus Domini sui: non contrà Dominum gressibus serui: & vilis vermiculus, homo scilicet, debet se Creatoris sui passibus cõformare; nec velle, Creatorem eò pertrahere, vt acceleret, & suos sequatur. Ne ipsi dicatur, quod Iudith Bethuliæ Presbyteris dixit. p *qui estis vos, qui tentatis Dominum? posuistis vos tempus miserationis Domini; & in arbitrium vestrum diem constituistis ei*, in quo auxilium vobis mitteret, *dicamus* potiùs *flentes Domino; vt secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam.*

Sustine Deũ

& noli præuenire.

p *Iudi. 8. 11.*

2. *Consideratio, circa infirmitates, quæ nostris peccatis ita exigentibus eueniunt, in quibus tam diuina iustitia, quàm misericordia resplendet.*

Punctum 1.

QVAMVIS verum sit, aliquas ægritudines nobis euenire, ob aliquos fines gloriæ ipsius DEI, vt posteà dicemus: sed tibi expedit existimare, tuas esse in pœnam tuorum peccatorum, siue quorum sis conscius; siue ita occultorum, vt ea tu non inuenias, nouit tamen Iudex, qui iustè propter ea te punit. Eximij & magni Sancti (ait Sanctus Dorotheus) huiusmodi aduersa tolerant propter solam Dei gloriam: quia sunt innocentes, & culpis grauioribus vacant: at ego miser peccator, meis peccatis ita exigentibus, has infirmitates sustineo; fateorq; me huiusmodi pœnam esse promeritum; & in me impleri illud Dauidis: a *propter iniquitatem corripuisti hominem, & cõtabescere fecisti sicut aranea animam*, hoc est vitam, *eius*. nam si oculos cõijcias in id, quod corpus tuũ debile patitur: facilè intelliges, qualis sis in anima. quid.n. fuit anima tua, nisi *aranea* quædam venenata? cuius ea fuit occupatio, vt se euisceraret, texendo vanitatis telam, quam aufert ventus; & cupiditatis, ad fraude capiendos proximos; reque innocentum sanguine sustentandum; bona eorum fortunæ, aut famam, & honorem illis detrahendo. Quænam est adeò arida aranea, atque tuus est spiritus? qui cùm *apis* esse deberet, quæ mel ex floribus colligeret: potiùs est *aranea* absq; vllo succo, & humore deuotionis, aut teneritudinis, aristæ instar aridus. Rectè igitur DEVS animam tuam punit, reddendo corpus eius etiam infirmum, imbecille, & tanquam araneam aridum. Quid ergo,

a *Psa. 38. 12.*

Anima nostra aranea est.

Psal. 38.13. miler, turbaris, ni tibi detur, quod es promeritus; & corpus afficiatur, sicut animam tuam afflecisti? propterea Dauid adiecit: *vane conturbatur omnis homo*: quando scilicet infirmatur, & affligitur: cùm ipse causam præbuerit. Quamobrem, Domine, ad te conuersus, supplex oro, *meam vt orationem exaudias, & auribus percipias lacrymas meas*: meisque miserijs finem, quando tibi placebit, imponas.

Punctum 2.

HINC altiùs ascendens, iustissimum considerabis diuinæ iustitiæ ordinem, quæ in eo splendet, quod infirmitatibus & afflictionibus, quas sustines, culpas tuas puniat: dicesque cum Dauide: b *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*; & cum Propheta Michea: c *iram Domini portabo, quoniam peccauimus ei.* æquum est enim, vt, qui sanitate abusus est, eam amittat, & subeat infirmitatem; luatque doloribus, quod dedit delitijs. Diuina iustitia crucifixit me affixit: non habeo, quod dicam, nisi quod bonus ille latro: d *digna factis recipio*: nam, cùm diuina iustitia æquè bona sit, ac sancta, sicut eius misericordia, nam vtraq; in ipso est vnũ & idem: par est, me eius iustitiõ adorare, venerari, ac diligere, & gaudere; q̃ eam habeat: sine qua, Deus non esset. quæ si meritò officio suo fungitur in peccatores: gaudeo id in me facere, in hac vita: vt luens in ea, q̃ mereor, liber in altera euadam. In hac tamen consideratione, ne ipsam diuinam iustitiam solam, & quasi seorsim aspicias: sic enim magnum tibi incuteret timorem, horrendisq; ac tremendis suis iudicijs te valdè terreret: sed cum Dauide dices: e *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, exuta scilicet à misericordia. quare aspicere debes iustitiam, sicut in Deo est, coniunctam eius sapientiæ, charitati, misericordiæ, clementiæ, patientiæ, & longanimitati, alijsque diuinis perfectionibus; ex quarum societate ipsa iustitia fit amabilis, ac desiderabilis: quia illæ temperant ipsius rigorem efficiuntque, vt eius opera fiant, *in numero, pondere, & mensura*: quia efficiunt, vt miseriæ nostræ compatiatur. Quare, cùm videris, te morbis, & doloribus premi: nec potes, nec debes conqueri, nisi de te ipso, tuisque peccatis: nec os aperire, nisi vt de eis te accuses. nam alias tanquam mutus esse debes, & cum Regio Propheta dicere: f *obmutui, quia tu Domine fecisti: amoue à me plagas tuas.* Non obmutui ob id, quod ego feci, ob culpam scilicet meam: quia potiùs eam confiteor sed obmutesco ob id, quod tu facis, ob pœnam scilicet, qua me punis: amplector enim illam, tanquam opus iustissimæ tuæ iustitiæ: oro nihilominus, vt has pœnas & plagas à me amoueas. Tuæ sunt illæ, DOMINE, ac meæ. tuæ: quia tu illas mittis; meæ: quia super meum dorsum cadunt; tuæ sunt; quia à tua iustitia proueniunt: & meæ: quia meis culpis, ad eas inferendas, te prouocaui. Ignosce, quod ego feci; & amoue à me, quod tu facis, si ita expedit: vt maiori cum quiete tibi seruiam.

b *Psl* 118 137
c *Mic.* 7. 9.
d *Luc.* 23. 41
e *Psalm.* 6. 1 *Misericors Dei iustitia.*
f *Psal.* 38. 10 *Quisque sua fortuna faber.*

SED

SED amplius vdhuc consolaberis, si vlteriùs ascendens, attentiùs consideres, quanta faciat in hac punitione misericordia diuina, cum germana sua sorore iustitia coniuncta: efficit enim apud eam: vt & numerum, & pondus, & mensuram pœnæ, quam tua exigebant peccata, multum imminuat; multoque minus puniat, quàm propter ea esses promeritus. Ita vt in tuis infirmitatibus non solum dicas, quod bonus latro: *digna factis recipio*, sed potiùs, quod scriptum est apud Iob: g *peccaui, & vere deliqui; &, vt eram dignus, non recepi*: quia plura eram promeritus! ô si bene perpenderes, quid promereatur peccatum lethale, propterea quod iniuriam inferat maiestati infinitæ, & creatorem, mundique Saluatorem, & benefactorem infinitum offendet: cuius obsequio obstrictus eras, ob innumera in te collata beneficia; & alias mille causas; quæ te ad id obstringunt! quæ omnia conculcasti, cùm peccatum admisisti. quam ob rem; si numerus, pondus, & mensura, omnium infirmitatum, quotquot homines sustinuerunt, aut in posterum à peccato Adami vsque ad mundi finem sustinebunt, in te solo simul conuenirent: adhuc totam pœnam non exsolueres, quam tuum peccatum promeruit. Quid ergò conquereris ob hoc modicũ, quod sustines, quod quasi nihilum est, eius comparatione, quod fuisti promeritus? ne itaq; in id respicias, quod puniat te Deus: sed, quam multa tibi ignoscat: & tunc gaudebis potiùs, videns quæ condonat, quam tristeris, attendens, quòd puniat. Et potiùs in gratiarum actionem incumbe, propterea quod à tot malis adeò prolixis & magnis te liberet: quàm in querelas: cum adeò exigua sint & breuia, quibus te punit. Accepta igitur lubens in gratiarum actionem, pro hac ipsa gratia, quam te puniendo, exhibet: teque ipsum subijce, & offer, ad sustinendum, quod iam habes, quamdiu ipse voluerit; ac donec tuum peccatum satis lueris. Memor esto, quid euenerit Mariæ sorori Moysis: quæ propterea quòd contra fratrem suum murmurasset, grauissimâ DEVS leprâ illam puniuit: quam, & si fratris oratio à morte eripuit; à pœna tamen illata eam liberare non potuit: respondit enim ei Dominus: h *si Pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra*, lepram & ruborem ferens, quem eius, culpa promeruit: & ita factum est. nec valuit vlla intercessio, aut preces ad decretum dierum numerũ minuendũ: vt intelligatur, infirmitatem, quam DEVS ob peccata mittit, esse tanquam *sputum*, quod ipse spuit in faciem infirmi: non, vt illum perimat, quia est Patris sputum, cum amantis, in quem spuit: sed, vt is confundatur, & humilietur: vt corrigatur, & sanetur. Id quod nec in momento, nec in die vno fieri potest: sed in *septem*, quo numero id totum indicatur, quod necessarium est ad satisfaciendum pro peccato. Quod si ita est, lubens video, Deus meus, me hac infir-

Punctum 5

Deus punit citra condignum.

5 Iob. 33 27.

Pœna culpam oppone.

h *Num. 12. 14.*

Sputum Patris.

mitate premi: quia *saliua* est ex ore tuo procedens, vt me per eam sanitati restituas. spue itaque in me, quantùm lubet: modò in æternum parcas.

3. *Consideratio, Infirmitates conferendo cum Inferni pœnis, quas nostris peccatis sumus promeriti.*

A TEMPORALIBVS pœnis licet transire ad æternas, quas etiam constituit Deus D. N. in *numero, pondere & mensura* iuxtà damnati culpas: modo tamen quodam adeò tremendo & horrendo, vt præ illis quasi nihil esse videantur oēs pœnæ, quas huius vitæ infirmitates secum adferunt. Confer igitur numerum cum numero, pondus cum pondere, mensuram cum mensura: & in ea comparatione magnum inuenies modum lætitiæ, & actionis gratiarum; amoris, & laudis Dei; & affectuum aliorum magnæ consolationis & vtilitatis ipsi animæ tuæ.

Punctum. 1. CONFER igitur primùm *numerum* cum numero, cogitans duos in inferno numeros horrendos; alterū ipsarum pœnarum, & tormentorum; alterum annorum, quibus vnumquodq; perdurat. & quamuis aliter atq; aliter vterq; tamen est innumerabilis. Nouit enim Deus, numerum pœnarum: quas tamen nos nec numerare possumus. si tamen eas velis quasi ex vestigio cognoscere: circumspice infirmitates & miserias, quas patiuntur omnes, qui detinentur in omnibus nosocomijs, & regionibus totius vniuersi; & intelliges, eas omnes ita collectas in inferno inueniri, vt vna & plures, imò multæ earum simul afficiant singulas partes miserandi corporis; & quemlibet sensum, & facultatē infœlicis animæ: nullo præterito sinu, vel angulo, qui non sit eis refertus. Nam ibi est horrendus capitis dolor, oculorum, aurium, dentium, lateris, intestinorum, coxendicis, calculi, & podagræ; ibi est fames, sitis, vigiliæ, defatigatio, confractio ossium, frigus, æstus, tremor, stridor dentium; ibi est tristitia, timor, tædium, anxietas, agonia, melancholia, ac desperatio. Denique quemadmodum i *omnia flumina*, aquæ dulcis *intrant in mare* aquæ amaræ, quæ omnia absorbet, & tamen ipsum *mare non redundat* ob suam immensitatem: ita infirmitates omnes & huius vitæ miseriæ colliguntur in inferno: suntque veluti dulces aquæ, & riuuli parui, si comparentur cum ipso inferno, cuius est amaritudo & magnitudo immēsa. Quòd si poteris maris Oceani guttas numerare: poteris quoque pœnas & calamitates, quæ in ipso Inferno perferuntur; & quas tu fuisses ob tua peccata perpessurus.

1. *Numerus pœnarum inferni.*

i *Eccles.* 1. 7.

2. QVID verò dices de annorum *numero* quibus illæ sunt duraturæ? est numerus, absque numero, quem sit impossibile numerare: quia nullum terminum habet: nec DEVS ipse annum eius vltimum in eo numerando inueniet. nam post mille millia millionum annorum enumerata, supersunt totidem numeranda; quibus enumeratis, non solùm vltimus non in-

uenitur;

uenitur; sed singuli sunt quasi essent primi. & tantus infernus adhuc supereſt Caino post quinque millia annorum, quibus in eo manet: atque si hodie eò esset ingressus; & post milliones annorum hinc computatos, idem ei erit; atque si eo die primùm ingrederetur. Quomodo ergò non resolueris in lacrymas tristitiæ, ac lætitiæ cum hoc nuncio? tristitiæ quidem ob admissa peccata, quibus te tanto periculo exposuisti; lætitiæ verò, propterea quòd à pœnis adeò innumerabilibus, & prolixis DEVS te liberauerit: contentus, quòd paucas aliquas, easque breues in hac vita patiaris. Si iudex, qui reum posset ad perpetuas triremes iustè damnare, aut vt ab aquis raptaretur, aut candentibus forcipibus cruciaretur, aut in rotam, aut patibulum ageretur: eam pœnam commutaret in aliam, qua ad octo tantùm dies in aliqua nauicula remigaret, aut in vinea tanquam operarius laboraret: hanc ille reputaret magnam fœlicitatem; &, tanquam de mitissima in se lata sententia, exultaret. si tu igitur ob tua crimina iustè damnari poteras ad perpetuas in inferno triremes, & æternos in carcere illo cruciatus: quomodo non exultes, quòd eorum loco infirmitatem aut afflictionem, & dolorem sustineas, quem supremus Iudex tibi mittit, loco horrendarum pœnarum, quas tibi condonat? satis tibi sit, pro tua in ægritudine consolatione, cogitare, quòd illa non sit æterna futura, quemadmodum illa fuisset; quam eras promeritus; sed breuis: & quòd breui dies veniet, in quo dicere liceat k *transiuimus per ignem & aquã & eduxisti nos in refrigerium*: Debuisses in Inferno per ignem & aquam transire: scriptum est enim. l *ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium* sed transitus ille refrigerium nullum habet; cùm sit ab vno torméto ad alterum, & neutrius anxietas ac dolor, cesset sed idem æternùm duret. At in hac vita transibis quidem per aquam & ignem, per dolorem scil. frigoris, & caloris in febri; sed vtrumque tamen transibit, vt ab eis omninò liber, magnam consequaris requiem, & animæ tuæ commoditatem.

DEINDE *pondus* cum pondere ponderandum, ac perpendendum immensum cruciatuum Inferni pondus: & singulorum maius esse, quàm vt dici vel cogitari possit, nam (vt Sanctus Petrus dixit: m *ibi Angeli fortitudine & virtute cum sint* hominibus *maiores*, *non possunt portare aduersus se execrabile*, & seueriſſimum DEI *iudicium*, quod in eos dimittit in Infernum: & hi sunt n *gignantes*, qui *gemunt sub aquis*, ob nimium earum pondus. nam o *quasi molari quodam magno* & grauissimo *lapide* alligati, *missi sunt in mare* æternarum miseriarum. Et quidquid hic toleratur, est tanquam molaris lapis in aliqua charta depictus; aut sicut ignis depictus cum vero igne comparatus. Dolor capitis, & febris æstus, tanquam delineatio quædã est doloris & æstûs, qui ibi toleratur: nam quidquid ibi

est, ad

Aeternitas pœnarum.

Inferni consideratio medicina doloris.

k *Psal.* 65. 11.

l *Iob.* 24. 19.

Refrigerium in inferno nullum.

Punctum. 2. m 2. *Pet.* 2. 11.

n *Iob.* 26. 5. o *Apoc.* 18. 21.

Pondus paenarum inferni

est, ad supremum in suo genere culmen peruenit, nulla admixta consolatione. Quòd si, qui nunc sunt in inferno, ascenderent in hunc mundum; &, quod hic patimur, paterentur: nihili illud facerent: eò quòd adeò immensa ibi patiantur: & immensas Deo gratias agerent, si illud in hoc ipsis commutaret. Cur ergò conquereris de infirmitate: quâ sustines? cur non potius Deum laudas, quod te ab eo eripuerit, ne fuisses in Inferno toleraturus? Cùm tegitur febris æstus vexauerit, memor esto flammarum æternarum, in quibus æternum fuisses cum Epulone diuite arsurus: quando sitis est tibi molesta, reuoca tibi in memoriâ sitim eiusdem infœlicis diuitis, qui contentus erat, si

p Luc. 16. 24

p *Lazarus extremum digiti sui in aquâ intingeret, vt refrigeraret linguâ eius*, quod tamen illi fuit denegatum, suntq; iam vltrà mille annos, quod id petat: nec est, qui porrigat. &, quamuis nunquâ à petendo cessabit: nunquam erit, qui id beneficij ei conferat: nec vnquam eius voto satis fiet. Si vigiliæ noctis te vexant, eò quòd prolixior videatur: memento noctis illius æternæ, cui dies nunquam succedet; & sic videbitur tibi breuis. Si torquet, quod ita iaceas in lecto, etiam inter culcitras, & linteamina: cogita, quem lectum fuisses in

Pictura est omnis dolor huius vitæ.

q Isaiæ. 14. 11.

inferno habiturus; tecumque loqui sententiam illam Isaiæ: q *subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, qui te rodent semper, & viscera tua torquebunt: nam nec tinea finitur, nec vermis moritur. Et in hunc modum pœnas potes aspicere, quas fuisses perpessurus, quæ affines sunt ijs quas nunc pateris: vt illarum comparatione, exiguæ hæ suauesque videantur: & gaudeas in eis, vt reliquas illas euadas. Verbum siquidem est ipsius

r Nahum. 1. 9.

Domini, quod r *non surget duplex tribulatio*: nec puniet in inferno eum, qui lubens in hoc mundo acceptauit pœnam, quam ipse illi imposuit. De homine quodâ narrat venerabilis Beda: quod ægrotanti ostenderit Deus pœnas & cruciatus Inferni. qui ad se rediens ita obstupuit, vt horrendas faceret pœnitentias: conijciens se in media hyeme in

O passi grauiora.

ó gelatum flumen: & in media æstate se collocans ad solis ardorem. ab huiusmodi autem retrahere eum volentibus, dicebat: *frigidiora ego vidi; calidiora ego vidi*: in quorum comparatione hæc mihi temperatissima videntur. o si fidei oculis semel ad infernum descenderes, cùm iaces ægrotus! procul dubiò sufficeret, vt dulce iudicares valdeque leue, quidquid nunc amarum æstimas, & grauissimum.

Punctum. 3.

EADEM commodiùs meditaberis, si *mensuram* conferas cum mensura; & calicem, quem in hoc mundo hauris; cum eo, quem fuisses bibiturus in

s Psal. 74. 9.

Inferno: de quo Dauid: s *calix in manu Domini vini meri plenus mysto*, quem *inclinauit ex hoc in hoc*: nunc scilicet vni porrigendo, nunc alteri: *verumtamen fex eius non est exinanita*: *bibent* ex eo *omnes peccatores terræ*: cogita igitur, DEVM Dominum nostrum in manu & potestate suâ habere calicem

immen-

immensę magnitudinis, plenum vino mero, & misto *Mero*, quia plenus est pœnis & plagis iustitiæ; *mysto* verò, eò quòd hæ plagæ cum illis tanquam vnum vinum cum altero commiscentur. Sed multò magis mistum censetur cum ipsiusmet vini fecibus; quæ sunt pars fœtidissima & maximè horrenda in ipso inferno, quam ebibunt damnati, etiam inuiti: quia iustitia diuina inuitos impellit ad bibendum, & ipsas feces hauriendas: ita tamen, vt, etsi quotidiè bibant, nunquam tamen hauriatur, & æternùm bibent simul cum ipsis fecibus, repugnante natura & voluntate ob tot acerbas & fętidas amaritudines. Hunc calicem fuisses bibiturus ob tua peccata: quem tamen diuina misericordia à tam acerbo potu præseruauit. cuius loco paruum alium calicem cum vino diluto & absque fecibus porrexit: infirmitatem scil. quam sustines, mixtam multis consolationibus & solatijs; & cum spe ęternos cruciatus non degustandi. Quomodo ergò non lubens accipias calicem hunc tui salutaris, in gratiarum actionem, quòd te ab alio acerbo adeò calice liberauerit? cogita, quid inter vtrumque calicem intersit; quid inter vinum & vinum: mixturam & mixturam: & tunc cum spiritu gratitudinis ac lętitię dicas cum Dauide: t *quid retribuam Domino pro omnibus* bonis, *quæ retribuit mihi*; & malis, à quibus me liberauit? calicem hũc mei *salutaris accipiam*, quem lætus, & lubens hauriam: siquidem meà calice iræ suæ liberauit, qui mihi fuisset cruciatus æternus.

Merum vinum, & mistum quid?

Duo calices valde inæquales.

t Psa. 115. 12.

IV. Consideratio, de morbis quò nostra purgant peccata & magnorum meritorum præbent occasionem.

QVONIAM Inferni pœnæ commutantur in alias luendas in Purgatorio, nisi in hac vita luantur: cogitabis pro tuo solatio, Deum D.N. duplex habere Purgatorium: alterum sub terra: & alterum in hoc mũdo in infirmitatibus & aduersitatibus, quæ mutuo se in aliqua re excedunt. Purgatorium alterius vitæ in hoc præstat, quòd sit mera pœna absque vllo timore impatientiæ aut nouæ culpæ, aut vllius eius admixtionis. quod quidem magni faciendum est: quamuis valdè etiam affligat, quod nullum ibi sit meritum, nec augmentum gratię, nec spes ad maiorem gloriam progrediendi ob pœnam quæ ibi toleratur: & quodammodo charitas magis est ibi coacta, quàm in hac vita. nam eius propensio est aut esse cum Deo vnita, videns eum clarè in gloria: vbi tanquam lapis in suo centro requiescit; aut crescere & proficere semper: studendo magis ac magis amare vsque ad summum, quod potest quia nullum ex se habet huius dilectionis terminũ. Cùm igitur in Purgatorio nec Deũ videat, nec proficiat ad meliùs & perfectiùs eum videndum, est extra suum centrum violenter, & afflicta: videns quidem se pati; non tamen crescere, & proficere. Contrà verò in huius vi-

Punctum. 1.

Duo Purgatoria eorumque differentia.

Futurum.

Præsens infirmitatis.

tæ purgatorio est periculum, timorque impatientiæ & culparum: quæ in ipsis morbis & afflictionibus sese miscere solent. quamuis Dei auxilia non desint, vt illæ euitentur. Habet tamen idem purgatorium egregias alias excellentias, ad exsoluendas culpas admissas. Nam paruus cruciatus in infirmitate, breui tempore multò plùs de pœnis debitis exsoluit, quàm prolixus & magnus in altero purgatorio; & æstus febris vnius diei exsoluere poterit ignem alterius purgatorij vnius mensis, aut etiam anni: quia non solùm soluit perferendo, sed etiam satisfaciendo, & promerendo heroicis charitatis actibus: faciendo, vt dicitur, ex necessitate virtutem; & offerendo Deo quod patitur, ex amore in eum. quemadmodum in mundo minoris fit satisfactio rei coacti per sententiam iudicis, ad restituendum honorem, quem abstulit: quàm si, sponte sese humilians, recantaret, faceretque, quod debet. Ex quo fit, quòd in purgatorio vnaquæque anima ita pro se sola satisfaciat, vt nihil illius satisfactionis possit alteri communicare. at in hac vita tanta est opulentia eius, qui patitur: vt sæpius, & exsoluat, quod debet; & superfit aliquid, quod possit aut viuis aut mortuis applicare, & suo modo ipsos Ecclesiæ thesauros augere. Quare si vno die vehementem febrem sustineas, velisque tuam satisfactionem alicui animæ in purgatorio detentæ applicare, eius debitum solues: & ita oportunè id potes facere, vt tuo isto æstu illa liberetur ab igne Purgatorio, & statim euoletin cælum: vbi oret pro tanto suo benefactore. Hoc totum esse tibi debet magnæ consolationis motiuum: vt Deum laudes, qui tale purgatorij genus hic tibi dederit, vt possis pro te soluere, & pro alijs; & obicem remouere macularum, quæ arcent à cœlesti aditu, vt sic tua charitas sequatur semper naturalem sui inclinationem; siue ascendendo semper ad vltimum suum finem, siue eodem fruendo in æterna requie.

Pœna voluntaria efficacior.

Hic & pro alijs satisfacere, & te perficere potes: Ibi neutrum.

Punctum. 2

S E D maiorem aliam excellentiam in hoc infirmitatum purgatorio licebit considerare; ita enim à culpis purgat: vt simul sit occasio augmenti gratiæ, meritorum, & nouorum gloriæ graduum, ob heroicos actus amoris Dei conformitatis cum eius voluntate, obedientiæ medicis præstandæ, patientiæ in doloribus tolerandis, & alios similes, quos in infirmitate potes exercere. Et quoniam ipsemet Deus simul cum suis donis accedit: sicut illa crescunt, ita crescit vnio ipsa cum Deo: & ipsi placebit, diutius in anima tua morari, adferetque secum regni sui diuitias, a *iustitiam* scilicet, *& pacem, & gaudium in Spiritu sancto.* Quare infirmitas tua tibi est virtutum radix, charitatis nutrimentum, fons iustitiæ, principium pacis, gaudij sementis, Deique in anima tua metatrix. Et quamuis prætereat labor, & infirmitas cesset: fructus tamen non euanescit, sed permanet in æternum. Ideoque dices cum Psalmista: b *lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, qui-*

Infirmitas ad perfectionem iuuat.

a *Rom.* 14. 17.

b *Psal.* 89. 15

nis, quibus vidimus & experti sumus *mala*. iam enim mala præterierunt, & nunc fruimur bonis; cessauit planctus, & gaudium venit; infirmitas transijt, salus accessit; afflictio carnis pertransijt, & spiritus solatium successit: & vterque c *exultauit in Deum viuum*. Tùc agnoscès etiam ipsa experientia thesaurum, qui in ipsa infirmitate latebat tibi incognitus: quare si redierit, lubens eam excipies: imò, vt redeat, optabis: &, si moram faceret, etiam vocabis. Sicut Abbas ille, qui singulis annis grauem habebat infirmitatem: &, cùm vno anno non veniisset, conquerebatur, & flebat: quod se videret eo bono priuari, quod ex illa aliàs accipiebat.

c *Psal. 83.3. Infirmitas expetenda. In vitis Patrum.*

SED adhuc ampliores diuitias agnoscere & inuenire poteris in infirmitate, addens proprijs eius thesauris illos ipsos quos in sanitate obtinere potuisses. In quem finem meminisse debes illius legis, quam Dauid constituit seruandam in Israel, cùm rediret, expugnato exercitu Amalecitarum. cùm multi ex militibus substitissent, eò quod lassi pergere nō poterant cum reliquis: & nihilominus decreuit Dauid, vt illis pars spoliorum daretur, sicut ijs, qui iuerant cum ipso ad hostes, dicens: d *æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas*. Hunc igitur in modum existimare debes: te iacentem ægrotū in lecto, nec ea opera facientem, quę cùm sanus esses, præstare solebas: nō amittere tuū meritū & mercedem, quam habuisses, si eadē faceres, sicut alij; modò efficacem habeas voluntatem ea faciendi: nec aliam ob causam illa prætermittas, quàm quòd ea præstare non possis. apud tribunal enim Dei, voluntas pro facto reputatur: quando facultas deest illud re ipsa præstandi. Quare si sanus visitare cō sueueras xenodochia, & pauperibus ministrare, horas tuas canonicas legere, facultatem aliquā profiteri, cōcionari, aut cōfessiones excipere: iam verò infirmus, efficaciter velles eadē præstare: non amittes mercedē tuam; sed ei adiungetur adhuc illa, quā accipies pro dolore, quē sustines. Nam quemadmodū in lecto iacenti licet mēte tępla, Xenodochia, aliaq; pia loca percurrere, & quæ in illis dicūtur ac fiūt, cōsiderare: ita licet volūtate efficaciter desiderare, quidquid boni ibi videris: audire scil. Missam cū ijs, qui illam audiunt orare cū orantibus; pauperes visitare cum eosdem visitantibus; & ijsdem ministrare cum ministrātibus.

Punctum 3.

Infirmorum voluntas pro facto est in operibus solitis.

d 1. *Reg. 30. 24.*

DECET tamen aliquid facere, quamuis parùm illud sit, in signum & testimonium desiderij, quo teneris, multa faciendi. Quemadmodum Tobias filio suo dicebat: e *quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*: animo tamen multum dandi, si posses: ita etiam, cum sanus es, debes multum laborare, tanquam sanus: quando autem es infirmus, ac debilis, sufficit, si vel modicum, quod possis, efficias: quasi in signum, quod cuperes multa facere, si liceret. De quadam S. Virgine scribitur, quòd cùm non

e *Tobiæ. 4. S Infirmo parum fecisse sufficiat.*

S. Gertrude

potiet Rosarium beatiß. Virginis pro more persoluere, ob ingẽtem capitis dolorem, illud tamen peregit, dicens ad singula grana, sola illa verba: AVE MARIA: & postea apparuit illi Virgo sanctissima, cum pulcherrima rosarum corona, vt laborem illum remuneraret, dicens: placuisse sibi breuem illum modum Rosarium orandi, non minùs, quàm cùm integrum percurreret: siquidem illa modicum illud fecisset, quod potuit: ac desiderasset, integrè facere, si potuisset.

V. Consideratio, infirmitates comparantur cum præmijs, quæ de Cœlo sperantur.

Punctum. 1.

CONSIDERA primùm, sapientiam magni nostri Dei ac Domini quemadmodum omnia mortalia huius vitæ disponit in *numero, pondere, & mensura*, vt prædictum est: ita etiam ea disponere, quę spectant ad æternam vitam. Ita tamen vt numerus pondus, ac mensura laborum, & aduersitatum huius vitæ, sit breuis, finita ac moderata: at præmiorum mensura modum quendam habeat immensitatis, & infinitatis æternæ: ita vt, qui ea agnoscit, cum summa animi sui oblatione amplectatur quoscunque labores, & aduersitates etiam maximas, ac diuturnissimas huius vitæ, exiguas eas & breuissimas iudicans, quod expressè docuit Apostolus cùm dixit: a *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, b *id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ex quibus apertè licet deducere: si tui labores tibi videantur magni & prolixi: id ex eo prouenire, quòd non vt par est, de præmijs æternis sentias, eaque æstimes si enim præmiũ magni faceres: labores parui faceres; &, si Deum multùm diligeres: parùm sentires laborem, quò illum quęris. Nam quemadmodum amor c *Rachelis* effecit, vt *Iacob septem annos*, quibus pro ea *seruiuit*, existimaret *esse paucos dies præ amoris magnitudine*; laborq; grauis alioqui ac prolixus; breuis ac iucundus ei videretur: ita amor & clara Dei visio, eiusque dulcis & iucunda contemplatio, infirmitatem tuam, ita dulcoraret, vt quamuis esset prolixa, tibi videretur breuis; & quamuis molesta videretur suauis. quis Apostolorum plura passus est, quàm S. Paulus? quis plures tribulationes, & persecutiones, quis plures necessitates, & infirmitates? quæ eò vsque progressæ sunt, vt d *Angelus Sathanæ stimulo carnis suæ eum colaphizaret*, ita illum eius vultui infigens, vt sanguis ex eo erumperet, atq; si quis stimulum in manu habẽs colaphum alteri impingeret, siue autem stimulus ille fuerit ingens aliquis Ischiadicus dolor, siue grauis aliqua carnis tentatio, siue horrenda aliqua gentis ipsius persecutio: id tamen totum & reliqua, quæ per multos annos est perpessus, adeò illi leuia breuiaque videbantur, vt *momentanea* appellaret, quasi in momento transeuntia, & quæ vix perciperentur:

Spes præmiorum lenit dolorem.

a Rom. 8. 18
b 2. Cor. 4. 17.

c Gen. 23. 20

Amor Dei.

d 2. Cor. 12. 7

Benedictus Iustianus refert in eum locum. Stimulus carnis S. Pauli.

magni-

magnitudo enim amoris Christi & opinio, æstimatioq; magna æterni præmij omnia illi reddebat facilia,

QVOD vt exactiùs sentias, considera statim *numerum*, *pondus*, & *mensuram* bonorum, quæ speras in cælo, vbi Christus D. N. dicit, daturum se nobis e *mensuram bonã, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem*. Sed quàm magna hæc est mensura? nam, si parua illa sit, etiam plnea & conferta parùm capiet. Apostolus autẽ dicit, *gloriã* esse *supra modũ*, & supra oẽm mensuram: vt intelligatur incredibilis eius magnitudo. nam, quod *supereffluit*, omnem naturæ nostræ mensuram excedit. Cogitandum itaque tibi est, mensuram hanc refertam esse innumerabili omnium bonorum *numero*, quæ vel cogitare, vel desiderare possis: *pondere* adeò graui, pretioque adeò ingenti: vt nihil in mundo sit, quod possit cum eo comparari. In hanc *mensuram* imponuntur virtutes, scientiæ, diuitiæ, delitiæ, honores, dignitates, & pompæ, & omne genus bonorum corporis & spiritus: quæ potest beatus desiderare, vt satietur; & ita contentus sit, vt nihil omninò illi desit. Sed hoc totum est modicum, nec sufficit, ad mensuram implendam: nisi ipsemet Deus eam ingrediatur cum omni sua sapientia, omnipotentia, bonitate, charitate, pulchritudine, & infinitis suis perfectionibus, quibus omnes animæ sinus ac desideria repleat, nullo vacuo relicto. Hic Deus est *numerus, pondus, & mensura* gloriæ. *Numerus*: quia, cùm sit vnicus, omnem tamen bonorum, quæ in creaturis dispersa sunt, numerum complectitur: in quo solo multò amplius omnes gaudent, quàm in se ipsis: est *pondus*; quia solus ipse valorem habet infinitum: & quidquid in mundo est, si cum ipso comparetur, nullius erit ponderis. est *mensura*: eò quod omnium meritis sese accommodet, &, cùm sit vnicus, alios plùs, alios minùs facit sui participes: quamuis omnes saturos reddat & contentos. In eo solo nec numerus est, nec mensura, in durationè scil. huius gloriæ, quia illa erit æterna, & sine vlla mutatione: nec numerum habent, nec terminum anni, quibus ea durabit: quia durabit tamdiu, quam diu ipse Deus: cuius esse a regnum non potest habere finem. Quòd si quæras: quantùm vnus horum dies valeat? respondebit Dauid: f *melior est dies vna in atriis tuis, super millia*. Non tamen sine causa (vt notat S. Augustinus) vocat *vnam diem*: quia in cœlesti gloria non est dierum multitudo, quæ noctium successione distinguantur. tota enim illa est dies vna perfectissima, cui nulla vnquam succedet nox: in qua vna die continentur milliones millionum dierum, quemadmodum in vno solo & vnico bono, quod est Deus, continentur omnia bona. Hæc dies est, qua Beati fruuntur semper cantantes, & summa cum exultatione dicentes: g *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*. O diem æternum, diem lætitiæ, diem fecilitatis? O vtinam hæc dies ad me iam perueniret; etiamsi cruciatus sine

Punctum 2. c Lucæ 6. 38

Magnitudo gloriæ cælestis.

Deus gloriam replet.

Æternitas

f *Psal. 83. 11.*

Mille anni dies vna.

g *Psal. 117. 24.*

numero essent subeundi? O anima mea, cur tristaris, cur turbaris, meque tua tristitia conturbas: si longi tibi videntur hi laboris dies: respice in hanc diem, ama illam, suspira, & geme, vt eam obtineas: & hoc solo nomine hi dies laboris breues tibi videbuntur. Citò hi dies præteribunt, in quibus vexaris: venietque hæc dies, quæ tibi erit pro diebus omnibus: teque tanta replebit lætitia, vt huius tristitiæ faciat te obliuisci. Ad vnum halitum, & momentum præsens durat dolor: æterna verò erit, quæ sequetur requies. Ne ducaris à partiali tuo iudicio, sed sine te dirigi à sapientissimo, & benignissimo Deo tuo, qui ait, h *ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Sit itaque Domine sicut dicis; ego accepto infirmitatem, & afflictionem huius puncti, & huius momenti, quantumuis mihi longum videatur; modo tu mei misereatis, faciemque tuam diuinam æternùm mihi ostendas.

Momentaneus dolor.

h *Isaiæ* 54.7

Punctum. 3.

DENIQVE cogita, omnes infirmitates ac molestias, quas nunc sustines, si bono eas animo feras, finem cum ipsa vita minimùm habituras; & absque vllo timore, quòd earum sis in posterùm futurus particeps. in gloria enim nihil eorum est, quæ in hac vita pœnam & molestiam adferunt. Propterea enim vox cœlestis de ipsis beatis loquens dixit: i *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra nō erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt.* Consueuerunt homines flere, aut ob sua peccata; aut ob tentationes, persecutiones, morbos & dolores, quibus affliguntur; aut ob defectum bonorum; aut ob Dei absentiam, ad quem suspirant, & quem desiderant: in cœlo autem omnes lachrymæ cessabunt: quia earum causæ omnes aberunt: non enim erunt vltrà peccata, non tentationes, non persecutiones, non morbi, dolores, tristitiæ, anxietates; non bonorum defectus, non absentia Dei: nihil erit, quod pœnam adferet: quia id totum extra cœlum manet; nec eò intrare potest aliquid, quod maculet, aut turbet illud. Consolare ô anima mea, quòd te DEVS in hac lachrymarum valle constituerit, cum tot dolorum actionibus, quæ illas prouocant. siquidem per huiusmodi vallem afflictionum ascendes ad cœlestium delitiarum paradisum, in quo frueris Deo.

i *Apoc.* 1.4 *Hic vallis lachrymarū.*

Ibi nulla flendi causa.

VI. Consideratio: conferuntur infirmitates cum Christi doloribus in eius passione.

AD SOLATIVM, & spiritum in tuis infirmitatibus ac doloribus resumendum, conijciendi sunt tibi oculi in eum Dominum, qui, cùm esset Deus infinitus, fieri voluit homo mortalis, atque patibilis, quem Propheta vocat, a *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Quamuis enim nō habuerit infirmitates, quas humorum inordinatio adfert, quales sunt nostræ:

a *Isa.* 53.3.

sensit

sensit tamen dolores & afflictiones, quæ ex eis nasci solent; aliosque horrendos cruciatus, quemadmodum paulatim expendetur.

Punctum 1. Duæ dolorum causæ.

PRIMVM igitur attende: Christum D. N. *duo* secum egisse, quæ solet cum magnis sanctis, cùm illos vult probare, valdeque in infirmitatibus exercere. *Alterum*, quòd se ipsum omni delectatione & consolatione sensibili priuauerit, quæ fouere solet: & confortare carnem: *alterum* quòd in parte sentiēte affectus acerbissimos excitauerit, b *tristitiæ*, *timoris*, c *tædii*, & d *agoniæ*. Et cùm in ipsius esset potestate, quod huiusmodi affectus, intēsi essent aut remissi: sponte sua voluit eos esse vehementissimos; & perdurare toto tempore suæ Passionis, vt acerbior illa esset, donec in ipsa cruce exspiraret. Hunc in modum aliquando passus est S. Paulus Apostolus, qui etsi dicere soleret: *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: & iterùm: *sicut abundabant Christi passiones in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra*: semel tamen dixit: f *se adeò supra modum, & supra virtutem fuisse grauatum, vt ipsum tæderet etiam viuere*: & e *foris habuisse pugnas, & intus timores*. Quando enim corporis morbus eò peruenit, vt spiritum contristet: tunc est valdè molestus; cogitq; gemere in agonia, ac dicere Domino cum Dauide: g *Saluum me fac Deus, quoniā intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*: timoribus scil. tædijs, & grauissimis tristitijs eam opprimentes. Quod si te in huiusmodi angustijs constitutum videris: hæc tibi sit consolatio, quòd calicem hauerias purum absq; solatij mixtura: quemadmodum ipse Saluator pro tuo remedio, & exemplo hausit. Et hæc tibi sit sufficiens consolatio, quòd Regi tuo æterno similis sis; eidemq; cruci cum ipso affixus. Nam, si seriò ad id te obtuleris, mox ipse erga te mitem se offeret, ac placidum: nam, etsi purum sibi calicem elegit, libēter tamen socijs suis præbet dilutum: quemadmodū fecit cum bono latrone socio suo in cruce pendente, cui dixit: h *hodie mecū eris in paradiso*: quid autē aliud est in paradiso esse, quàm delitijs repleri? idq; fiet hodie. nouit enim ipse Deus, in eodem die has internas mutationes facere vt corpus suæ cruci affixum relinquat; animæ verò communicet paradisum. Et ita est fas credere: bonum illum latronem ab eo momento, quo dulcissimum illud verbum audiuit, cœpisse, liquorem quēdam cœlestis paradisi degustare. Et quamuis vel vnica fuisset gutta: illa fuit illi satis, vt dulcissimè ferret reliquum vitæ in illa cruce; & magna lætitia dolorem illum sustinuisse, cùm i *eius crura frangerentur*: ex quo breui exspirauit. Cogita igitur, cùm iaces in lecto infirmus, te cruci affixum esse, ad latus ipsius Christi. Consistere eius iustitiam in eo quod facit, & in eo quod tu pateris: ac desidera, te in omnibus illi conformare: & fortè audies internè verbum aliquod consolationis, quod sit pignus, te breui cum ipso futurum in paradiso. Nam crux eius est k *lignum*, *quod vbi missum fuit in aquas amaras*

b *Matth.* 26. 38. c *Mar.* 14. 33 d *Luc.* 22. 43

e 2. *Cor.* 7. 4 5. *&c.* 1. 5. f *ver.* 8.

g *Psal.* 68. 1

Resignatio prouocat cō solationem.

h *Luc.* 23. 45.

Bonus latro statim recreatus est.

i *Ioan.* 19 32

k *Exo.* 15. 25.

amaras, in dulcedinem verſæ ſunt. & vt S. Gregor. dixit: *Si paſſio Domini ad memoriam reuocetur, nihil eſt adeo durum, quod non æquo animo toleretur.* l *ſugendo* ſcil. acerbi *maris inundationem quaſi lac*, agni ſanguine dulcoratum.

l *Deut.* 33 19

Punctum 2. *Dolorum Chriſti*

DEINDE conſiderabis: Chriſtum D.N. elegiſſe ſibi maximum *numerum, pondus, & menſuram* dolorum, & afflictionum, quæ vnquam in mundo fuerunt: cùm enim non coactus, aut ex neceſſitate illos ſubiret, ſicut nos; ſed ab infinita ſua charitate impulſus; & propter peccata omnium hominum, quæ omnem etiam *numerum, pondus, & menſuram*, quæ cogitari poſſunt, excedunt: voluit in hoc ſui amoris magnitudinem, & quam eius redemptio copioſa eſſet, oſtendere.

1. *Numerus.*

PRIMVM igitur, attendens ad *numerum* laborum eius, inuenies, eos fuiſſe innumerabiles: quemamodum & noſtra peccata fuerunt. Nam ad eum affligendum conuenerunt dæmones ex inferno, cum ſuo Duci Lucifero ex populi Hebræi, Scribæ, & Sacerdotes cum ſuis principibus Anna & Caipha; manus quoque militum Herodis & Pilati: qui omnes contendebant, vt quiſque in eo affligendo alium ſuperaret: nullus enim ſe probum exiſtimabat, qui vulnus aliquod, aut ictum non impingeret: exiſtimantes ſinguli magnum ſe præmium promereri, ſi illum ferirent; & gratum ſe Deo facere, ſi cum illo ſeueriùs agerent. *Numera*; ſi potes, colaphorum numerũ, ſputorum, ictuum, & verberationum, opprobriorum, iniuriarum, & blaſphemiarum, quas in domo Caiphæ ſuſtinuit? ſolus DEVS (ait S. Hieronym.) nouit, quid ea nocte Chriſtus fuerit perpeſſus: & tamen idem ſequenti die fuit apud Pilatum in Prætorio iteratum. Quid verò dices de flagellorum numero? neque enim cum hoc Domino, m *quadragenarius numerus*, quem lex preſcripſerat, eſt ſeruatus: cùm ſint, qui dicant, ad *quinque millia* peruenifſe. Et quid de numero ſpinarum? fuerunt enim illæ *ſeptuaginta duæ*, quæ ſacrum illud caput in multis partibus pupugerunt. & quid de numero dolorũ, quos in monte Caluario pertulit? vbi nullum fuit os, aut alia corporis pars, quæ ſpecialem & proprium dolorem non ſentiret? quamuis enim ipſe in cruce dixerit: n *Dinumerauerunt omnia oſſa mea*, vt quæ adeò paterent: at non potuerunt eorum dolores numerari, eò quòd illi eſſent innumeri.

m *Deut.* 25. 3

n *Pſal.* 21 18.

2. *Pondus.*

COGITA deinde horum dolorum *pondus*; & ſtatim videbis, adeò illud fuiſſe graue, vt nullius alterius, quàm Dei humeri potuiſſent illud ſuſtinere: ita exigentibus infinitis noſtris peccatis; quæ in ſe ſuſceperat, vt nos ab eis liberaret. Cùm in horto Gethſemani non aliud feciſſet, quàm ſua imaginatione hoc pondus apprehendere, vt quantum eſſet, æſtimaret: adeò graue illud ſenſit, vt etiam ſanguinem fecerit ſudare. Quid ergo dices de ipſo pondere flagellorum; de quo idem Dominus dicit: o *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores*: quaſi turrim aliquam ſuper ipſum impoſuerint.

o *Pſal.* 128. 3.

rint. O quam fuit grauis illa *corona*! grauior procul dubio, quàm fuisset plũbea: vt quæ tantùm sanguinis ex illo sacratissimo capite expresserit! & quid de ipsius *crucis* pondere existimas: quod ipsum coëgit nõ semel in genua cadere: vt opus fuerit, alium adhibere, qui iuuaret illam portare! O quàm erat graue ipsum *corpus*, dum penderet in cruce, quod suo pondere manus & pedes, clauis affixos lacerabat: vt se ipsum horrendis cruciatibus repleret!

PERGE porrò ad considerandum horum dolorum *mensuram*, quæ tanta fuit, vt in sua transfiguratione p *excessum* eam appellauerit. Fuit enim *mensura plena, conferta, coagitata*, adeoque excedens, vt per omnes partes *supereffluere*t. Et licèt calix hic tantæ esset magnitudinis, tantaque myrrha & felle summæ acerbitatis mixtus: ita tamen illum exhausit, vt nec vnam *guttam* reliquerit; donec etiam *acetum* delibaret: quo prophetias de se prædictas plenissimè impleret & passus omnia, quæ de ipso scripta erant, vitam finiuit. Quomodo igitur possibile erit: vt hæc omnia considerans, non magnos spiritus sumas, ad tuos dolores & infirmitates patienter tolerandas? q *recogitate* (ait Apostolus) *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes*: si enim cõtradictionum illarum *numerum, pondus*, ac *mensuram* recogitetis; facilè intelligetis, quasi nihil esse partem eam, quæ vos contingit: & animum sumetis ad sustinendum, quemadmodum ipse Dominus sustinuit. Si igitur vis solatium in tua infirmitate habere, cogita, lectum tuum esse ipsam crucem; syrupos & pharmaca, esse fel & acetum; Phlebotomiam & cauteria, esse pedum & manuum vulnera; capitis dolorem, spineam esse coronam; cordis anxietatem, agoniam esse & sanguineum eius sudorem. Quod si hac ratione Christum in suis pœnis comiteris: & ipse te comitabitur, suisq; donis animum addet, vt tuas cum lætitia feras.

DENIQVE immensam huius Domini charitatem perpendes, qui etsi adeò solus omnes suos dolores ferret, vt de seipso dicat: r *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni* (nam præsentia matris sanctissimæ, & amicorum, ipsius dolores potiùs augeba.) nihilominus (vt ait S. Laurent. Iustinianus) voluit super seipsum imponere totum numerum, pondus, & mensuram dolorum, infirmitatum, & afflictionum Electorum suorum, quas ille in horto Gethsemani, atque si propriæ essent, sensit: suosque cruciatus eò direxit, vt leuamen, ac robur mereretur, quo illi suas portare possent; quas ex tunc cum suis coniunxit, vt apud patrem magis essent acceptæ. O immensam charitatis Christi sublimitatem! & diuinæ misericordiæ immensitatem infinitam! an non satis tibi erant innumeri & immensi proprij dolores, etiamsi alienos non susciperes? sed charitati tuæ, Domine, hoc totum est modicum; & tua misericordia hæc

3. p *Luc.9.31. Mensura.*

q *Heb. 12.3*

r *Psal. 68.21.*

Punctum. 3

Lib de spirit Christi gon. c.19

Languores nostros ipse tulit.

omnia capit. Quid ergò tibi Domine reddam pro hoc amore tam sine mẽ-
sura: nisi vt dolores tuos tanquam meos accipiam; multoq; ampliùs, quàm
proprios sentiam? quid retribuam pro hac adeò immensa misericordia: ni-
si vt lubens amore tui meos dolores feram, coniungens illos tuis, vt sic red
dantur tibi gratiores. Meam itaque *sitim*, quæ me premit in hoc lecto, tibi
offero pro illa, quam tu in cruce sustinuisti; & quidem illi coniunctam: vt
sic magis tibi placeat meum etiam *tædium*, & acerbitatem offero propter il-
lam, quam tu sensisti, cùm vinum cum felle mixtũ tibi fuit propinatum. Of-
fero & meam *lassitudinem*, ac defatigationem propter eam, quam tu in cruce
sustinuisti. Coniungantur tuis dolores mei; sintque oblatio in gratiarum a-
ctionem propter tuos: & imiter ego te in sustinenda pœna, vt ad tuam quo-
que perueniam gloriam.

Dolores nostri iungendi doloribus Christi.

HINC etiam disces, s *non despicere te ipsum in infirmitate* (vt Ecclesiasticus
monet) nec parui te propter eam facere: siquidem Christus D.N. tanti sem-
per fecit ægrotos, adeoque eorum vices doluit, vt eorum infirmitates tan-
quam proprias sentiret; & idem in ipsis infirmis & illorum loco se collocat:
vt ex ijs apparet, quæ in die nouissimo dicturus est: t *Infirmus eram, & visita-
stis me.* Et hoc spiritu licebit ei dicere: siquidẽ, Dñe, & Saluator mi, infirmita-
tem meam tanquam tuam suscipis; visque vt fideles tui me in ea constitutũ
visitent: veni & tu, vt visites, maneasque mecum in hoc lecto: absque enim
visitatione tua, parùm mihi proderit hominum visitatio: neque hæc mihi
deerit, si te in mea habuero societate.

s. *Eccl.* 8. 9

Christus ab infirmis inuitandus.

t *Matt.* 25. 30

VII. Consideratio de, morbis qui propter fines gloriæ Dei altiores eueniunt.

Punctum 1

AD INFIRMANTIVM solatium expedit, eos considerare: infirmi-
tates non semper euenire in pœnam peccatorum; sed nonnunquam
Deum eas mittere, solùm ad manifestandam suam gloriam, suo-
rumque electorum exercitationem: ex quibus magna lucra sibi comparẽt.
Ita Christus D.N. respondit Apostolis causam quærentibus: cur homo qui-
dam cæcus natus esset: a *neque hic* (inquit) *peccauit, neque parentes eius, sed vt
manifestentur opera Dei in illo*; & de infirmitate Lazari dixit: b *quod esset pro
gloria Dei, vt glorificaretur filius Dei per eam.* Ex quo fit aliquando, vt Iustus,
etsi culpas aliquas habeat, patiatur tamen infirmitatem maiorem, quàm il-
læ sint promeritæ; idque ob alios fines, quos Deus intendit: quemadmo-
dum fallus est S. Iob, cùm dixit: c *vtinam appenderentur peccata mea, quibꝰ iram
merui; & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appare-
ret.* Sed hoc ipsum tamen summæ consolationis & lætitiæ motiuum est:
multò enim melius est, pendere sicut Christus innocens, in cruce; quàm,

a *Isai.* 9. 3.
b *Ioan.* 11. 4
c *Iob.* 6. 2.

sicut

sicut bonus ille latro, alicuius culpæ reus : estque valdè glorioſum in hoc imitari Ducem noſtrum, & ſplendidum ſanctorum eius Martyrum exercitum: quorum cruciatus non inferebantur, propter illorum culpas: ſed vt teſtimonium redderent fidei, & charitatis ſuæ erga Deum. eſt autem genus quoddam martyrij, infirmitates ſine culpa ferre, vt Deus in illis glorificetur. Vnde tantum mihi bonum, vt poſſim ego materia eſſe diuinæ gloriæ, ita vt illa mei cauſa creſcat? crucier, mi Domine, patiarq; tormenta, modò tu ex hoc glorificeris. Quamuis autem optimum in hiſce afflictionibus illud ſit, quod culpa careas, propter quam illæ eueniant. non tamen abijcere debes animum, propterea quòd alicuius talis culpæ te reum agnoſcas. vtrumque enim ſimul eſſe poteſt: & quod infirmitas ſit tuorum peccatorum pœna; & ſimul cedat in gloriam Dei: vt ille ſcilicet ex ea glorificetur; non ſolùm propter ſuam iuſtitiam, quæ in eo elucet; ſed propter alias etiam cauſas maioris eius gloriæ.

Glorioſum ſine culpa pati.

Martyrium.

Punctum 2.

POTES ergò hinc vlterius conſiderare, Deum tibi mittere infirmitates, vt fidem, ac fidelitatem tuam probet; videatque quàm ſtrenuè pro eius amore decertes, vſque ad victoriam conſequendam, ex qua plurimum ipſe honorificetur, ac glorificetur: cùm magis illa ſit ipſius, quàm tua. Cogita ergò frater, cùm ægrotas, lectum eſſe locum certaminis, in quem ingrederis, vt cum militum, & crudelium hoſtium exercitu pugnes: cum rigore ſcilicet, & æſtu: cum faſtidio, & ſiti: cum doloribus & angoribus; & cum medicamentorum moleſtijs: & ſtatim oculos in cœlum cõijce, cogitans, Chriſtũm D.N. tanquam Agonothetam te aſpicere, ſicut S. Stephanum, cùm lapidaretur, reſpiciebat: tibique animum inde addere ad pugnam: eò quòd de ipſius honore agatur, niſi vincas; ac de tua vita, ſi ſuccumbas. Aliquando etiam aſpice, quaſi propè te, & circa tuum lectum manentem: in eo enim viuis, & moueris; in eoque manes, dum affligeris ipſumque habes intra te: vt in te, & per te ipſe pugnet, gratia tua te adiuuans, vt victor euadas.

Probatio & occaſio victoriæ.

Deus videt.

EIVS ergò præſentia excitatus & animatus, propugna eius honorem, nullam admittens culpam, nec dans locum impatientiæ alicui; ſed lubens accipiens omnes, quas ſuſtines pœnas, vt DEVS in eis glorificetur. Cogita, Deum collocare te in lecto iſto, vt talis à te ſanctitatis odor prodeat, qui ob tuam patientiam ædificet eos, qui te videbunt, & excitentur ad glorificandum patrem tuum cœleſtem, ſicut de S. Tobia dicitur: d *quod cæcitatem ideo permiſerit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & Sancti Iob, quia nec contriſtatus eſt, quod plaga cæcitatis euenerit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit omnibus diebus vitæ ſuæ.* Cogita etiam, adeſſe tibi ad latus & Angelum cuſtodem, & Dæmonem, obſeruantes, quid agas; & contendentes,

d *Tob. 2. 12.*

Angelus & Dæmon.

vt te quisque ad suas partes trahat. Caue igitur, ne custodem tuum confundas: lætifices verò hostem: occasionem illi præbens, vt triumphum de te agens, Deum ipsum irrideat; sed stude potiùs hostem Dæmonem confundere; sanctum verò Angelum lætificare & occasionem ei præbere, Deum glorificandi, ob patientiam, quam eius amore in ea aduersitate ostendisti.

Punctum 3

Deus laudatur per sanitates miraculosas.

A L I O S præterea fines, præclaros valdè licèt respicere, quos DEVS D. N. per huiusmodi infirmitates intendit: in quibus perpendes diligenter, quam partem habere possis. Aliquando enim DEVS nobis infirmitates mittit, vt gloriam suam, ab eis nos liberando, manifestet: dum nos ad tanta fide, ac fiducia orandum ipsum promouet, vt sanitatem prodigiosè restituat: quemadmodum multis cæcis, leprosis, & alijs infirmis rogatus sanitatem dedit; nec cessat quotidiè similia prodigia edere; vt & credatur, & laudetur propter illa. propterea enim dixit: e *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me*: non solùm propter honorem, quem mihi exhibes, dum adeò confidenter ad me recurris; sed quod tua confidentia occasionem præbes honoris & gloriæ, quæ mihi oritur, cùm à tua tribulatione ego te eruo. Imò etiam idem Dominus easdem infirmitates nobis mittit, vt & nos glorificemur & honoremur earum occasione, ob rationem & modum, quo nos eruit ab eis: qui modus ita in ipsius gloriam cedit, vt etiam cedat in nostram: propterea enim dixit: f *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Noli, ô anima, ex eo affligi, quòd videas te tribulatam, & corpori infirmo immersam: quia non es sola, sed optimum habes comitem: *medicum* scilicet, qui tui curam gerit & *infirmarium*, qui tibi ministrat; *amicum*, qui præsentia sua & alloquio te recreat; & *socium* talem, qui te semper comitatur. Et si oculos habes, quibus eum cernere possis, optimis *societatis* eius fructibus frueris. Finis eius non est, torquere te, sed sanare; non te perdere, sed liberare, & glorificare: vt totus mundus intelligat, te ab ipso amari; qui te ita liberat, & honorat. Quando autem te non liberat ab infirmitatibus, etiam ipse glorificatur, teq; glorificat, ob dona præclara, quæ tibi communicat: dolando & poliendo te tanquam viuum lapidem in cœlestis Ierusalem ædificio, in eminenti & glorioso eius loco collocandum. In gloriam Dei cedit coniunctio illa corporis infirmi, cum anima hilari & læta: quæ dicit cum Apostolo: g *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*: & eius gloria in me manifestetur. Magna Christi gloria est, quòd habeat in mundo viua sui ipsius exemplaria: qui in hoc glorientur, quòd h *stigmata* ipsius *Domini Iesu in corpore suo portent*; & qui ipsas infirmitates pro fauoribus, ac delitijs habeant: & i *mortificationem Iesu in corpore suo*

e *Psal. 49. 15.*

f *Psal. 90. 15. Infirmitas gloriam adfert.*

g *2. Cor. 12. 10. 9.*

h *Gal. 6. 17.*

i *2. Cor. 4. 10.*

circum-

circumferant, vt & vita ipſius Ieſu manifeſtetur in mortalibus *eorum corporibus*
Magna eſt gloria creatoris, creaturas habere adeò ſibi ſubiectas & obedientes: vt ſinant ſe, pro ipſius arbitrio tractari: ſiue reddat, ſiue auferat corporis ſanitatem, ac vitam: magnæ felicitati ſibi tribuentes quod omnem eius volũtatem exequi poſſint; quia totam ſuam vitam in ea executione ponũt. Cùm igitur DEVS ita glorificetur, ex eo quod tu cum patientia & lætitia, quæ ipſe tibi mittit, ſuſtineas ob illos fines, quos ipſe intendit: da operam, vt ita ſuſtineas, ne ipſe contemptui, ſed magno honori in æternum habeatur, Amen.

Gloriosum Deo ab infirmis ſibi ſeruiri.

CAPVT IV.

RESPONDETVR QVERELIS INFIRMORVM FERuentium quod præſtare non poſſint quæ ſani. Inſinuantur ſummatim, quæ ipſis facienda ſint, & patientiæ bona.

EX PRÆDICTIS in ſuperioribus capitibus ſufficientia reſponſa deduci poſſunt, ad pias feruentium querelas, cùm infirmantur, aut valetudinarij ſunt: eò quòd videant, ſe non poſſe ea præſtare, quæ aliàs ſolebant; vel quæ alij præſtant: iudicantes, ſe decreſcere ac deficere in virtute: vt qui non impleant illa *tria*, quæ Chriſtianus quilibet tenetur explere erga *ſe*, erga *proximos*, & erga *Dominum* Deum noſtrum. nam neque ſolitas *pœnitentias* obire poſſunt: cùm potiùs alijs ieiunantibus, ipſi veſci carnibus cogantur; & quando alij vigilant, & laborant: ipſi dormiunt, & in lecto iacent; nec munia ſua erga *proximos* præſtare poſſunt, ſiue gubernationis, ſiue prædicationis, lectionis, aut miniſterij pauperum; nec quod tenentur, quo ad *diuinum* cultum, ſiue orando, ſiue Miſſam audiendo, ſeu diuinis officijs, & ſimilibus alijs aſſiſtendo, quam ob cauſam ſolent eſſe triſtes, abiecto & puſillo animo: iudicantes ſe non ita eſſe in gratia apud Deum, ſicut alij: quibus quodammodo inuident, videntes, ſe non poſſe præſtare, quod illi. Quod totum planè euaneſceret: ſi bonam ſuam ſortem agnoſcerent, vellentque contenti cum illa eſſe. Ad quod eſt ſupponendum: *duplici* infirmitatum genere ſolere Dominum noſtrum ſuos viſitare, vt clariſſimos in ſanctitate faciat: *grauioribus* ſcil. per duas interdum, vel quatuor ſeptimanas grauiter eos premendo: aut *leuioribus*, ſed continuis: quales ſunt ordinarij valetudinis defectus, in aliquibus quidem maiores, in alijs verò minores, relictis interim eis, aliquibus viribus ad nonnullos labores obeundos. *Priores* mittere ſolet *peccatoribus*, vt in eas anguſtias redacti, conuertantur, vitæq; rationem mutent: quemadmodum in primo Tractatu eſt dictum, eaſdem etiam mittit *tepidis* iuſtis, vt renouentur, & ad primum feruorem redeant: etſi *feruentes* ſunt, vt multum ad-

Infirmitas renouat hominem.

huc crescant, quasi cursum denuò incipientes: Quamuis enim, durate infirmitate, videantur retrocedere, nihilq; aliud facere, quàm pati: hoc tamen ipsum eò tendit, vt maiori feruore ad laborandum redeant. Hoc mirificè delineauit Deus in illo signo, quod Regi Ezechiæ dedit, restitutæ ipsi sanitatis, cuius supra fecimus mentionem. Nam quemadmodum sol, eo die ab oriente per aliquot horas continuè progressus; repentè ex voluntate Dei, retrocessit per decem horas, non tamen secuta nocte: quia non transijt ad alterum hemispherium; sed nouum ortum faciens denuò cœpit cursum ab oriente, & ita fecit diem valdè longum, & extraordinarium. Ita Iustus, qui ab oriente suæ conuersionis, aut ab infantia sua prosperè in diuino seruitio perrexit, emittens ex se lucis & gratiæ radios tanquam sol; Dei legem seruans corde perfecto, quemadmodum Rex ipse Ezechias dixit se fecisse: talis (inquam) Iustus ex cælesti consilio incidit in aliquam infirmitatem, vel aduersitatem aliam, quæ in specie facit eum retrocedere, sibique videtur, iam non habere virtutem, nec religionem; sed contrariam viam tenere, quàm eius status & vitæ ratio exigit: reuerà tamen, licèt infirmitas, aut calamitas grauiter premat, nõ illum interiùs obscurat, nec in peccati noctem deijcit sed iterum in oriente, & in statu quodam Tyronis & incipientis, vt sibi videtur, collocat; vt iter suum denuò quasi nũquam illud inchoasset, tãto feruore currere incipiat, atq; si cursum suum eo die primùm ineiperet. Et hic vnus est ex præcipuis fructibus, quos Deus ex infirmitatib. & aduersitatibus educit: ita nos renouando, vt finis aduersitatis initium sit vitæ nouæ, & quasi mane quoddam, & iuuentus feruentissima. iuxta illud quod per suum Prophetam dixit: quòd postquam transierit per vallem Achor, hoc est per tribulationem, a *canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti.* Nam in ipsa tribulatione reiuuenescet, & renouabit cantica & exercitia virtutum cum eo feruore, quo eadem exercebat, in primis diebus conuersionis suę: quando eum Deus ex miserando eduxit statu, in quo erat. Et hoc est, quod habetur in libro Iob: b *consumptæ est caro eius à supplicijs*, ac doloribus infirmitatis, & quia sic satis est purificatus, par est, vt *reuertatur ad dies adolescentiæ suæ*, primumq; feruorẽ. *Et tũc deprecabitur Deũ, & placabilis ei erit, & videbit faciem eius in iubilo*, ob eius vitæ mutationẽ, quã est expertus, *reddetq; homini iustitiam suam.* Et hęc erat renouatio, quã S. ipse Iob. in medio plagarum suarum vehementi desiderio optabat, dicens: † *quis mihi tribuat: vt sim iuxta mẽses pristinos, secundũ dies, quibus Deus custodiebat me? quãdo splendebat lucerna eius super caput meũ, & ad lumen eius ambulabã in tenebris* huius mundi? *sicut fui in dieb. adolescentiæ meæ, quãdo secreto Deus erat in tabernaculo meo?* mecũ agens familiariter, quando tanta mihi erat lactis & spiritualis dulcedinis abundantia, *vt pedes meos lauaram*, & affectus dealbaré,

Infirmus proficit, etsi videatur deficere.

a *Osea.2.15.*

b *Iob.33.25.*

Iob 29.

butyro & petra vitæ, quæ Christ⁹ est. *Sudebat mihi rivus olei* ac deuotionis, quã anima mea imbibebat. Hoc S. ille desiderabat in medio suarũ tribulationũ, cuius Deus citò expleuit desideria, restituens ei sanitatẽ, & omnia, quæ prius habebat, *duplicia*: nam, si prius iustus erat, multò postea sanctior euasit.

§. *I. Infirmos debere suis obligationibus satisfacere.*

NE TAMEN existimes, hoc nos agere, vt omnis profectus reijciatur in id tempus, quo cessãt infirmitas: nam potiùs volum⁹ persuadere, te in eius decursu posse multum in sanctitate crescere; vt ex his, quæ hactenus diximus, satis liquet. nam licèt nõ facias ea opera, quæ sani faciũt; facis tamen, quod Deus vult te tũc facere: perfectio autẽ & merita Iusti, nõ tam consistunt vt ait S. Thom.) in faciendo, aut patiendo, etiã in distribuẽdis bonis fortunæ pauperibus, aut effundendo sanguine in martyrio: quam in faciendo id, vt voluntati diuinę obediat; eiq; quod Deus vult, sese cõformet. quod propriũ est ipsius charitatis. Nam (vt dixit Dauid) d *vita* & fœlicitas nostra *in voluntate eius* est. Cùm igitur Deus tunc nolit, vt opera facias hominis sani, sed vt molestias feras hominis infirmi: merita & profect⁹ tui non sunt in faciendo, sed in patiendo: vt ei obedias, te ipsum humiliando, & parendo, vsq; ad mortem in ipsa cruce, cui es affixus. Quod si perfectio tua consistit in *obedientia*, maiores hic habes eam præstandi occasiones, quàm in ipsa sanitate, ob materiæ difficultatẽ. Nam tunc obligat te *patientiæ* præceptum, quod exples in multis reb. valdè molestis; in doloribus scil. corporis tolerandis; in acerbitatib⁹ & molestijs medicamentorũ; in isto quasi carcere; & lecti defatigatione, ac vexatione; in absentia rerum delectabilium, quibus sani licitè recreantur: in necessitate ac dependentia à multis alijs, qui tibi adsint: sine quorum auxilio nõ potes ducere vitam, & necesse est, eos in multis, quæ tuo palato arriderẽt, deesse, in tædio item, siti, & melancholia, quæ ex his omnibus oritur. Et nihilominus vrget te quoq; præceptum *vitæ* conseruandæ; cui parêre oportet: comedendo etiam cum fastidio, ne morti desoccasionem, & non bibendo, etiam cùm valdè sitis: si id tibi noceret. Est quoq; obligatio obediendi *medico*, & infirmario: & licèt præceptum non esset; erit tamen obedientia cõsilij perfectissima, iuxta illud Ecclesiast. e *da locum medico*. Quid est enim locum ei dare, nisi te ad ei obediẽdum, &, quod præscripserit, exequendum, offerre: etiamsi tuo palato amarum sit; & carni dolorem adferat? Et, ne existimes, hãc obedientiam esse valde facilem, subiungit: *qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici*. quasi diceret ob eius peccatum puniet eum Deus aliquo morbo: qui ipsum compellat aduocare medicum, qui, artem suam exercendo, erit simul iustitię diuinæ executor, in rebus asperis & molestis præscribendis.

Perfectio infirmi in patiendo.

2. 2. q. 104. a 3.

d *Psal. 29. 6*

Obedientiam maxime exercet infirmitas.

e *Eccl. 38. 12*

PRÆTEREA, ne te liberum omninò existimes à *tribus* obligationib.

recte

rectè valentium, modum hic præclarum, tibiq́ue valdè accommodatum aperiemus, vt satisfacere eis possis, cum non minori fructu, quàm ipsi sani. Tecũ enim loquitur, cùm ægrotas, Propheta Micheas, cùm dixit: f *indicabo tibi ô homo, quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te; vtiq; facere* IVDICIVM *& diligere* MISERICORDIAM, *&* SOLICITVM *ambulare cum Deo tuo.*

f *Mich.5.6.*

1. *Iudicium.*

PRIMVM igitur, in infirmitate *facere* debes IVDICIVM & iustitiam, Dei causam ita iustificando, vt apertè confitearis, iustũ eum esse: cùm huiusmodi pœnis tuas culpas punit, vt in secunda consideratione est dictum: &

Dei iustitia.

tu ipse, tanquam diuinæ iustitiæ minister, exequeris contra te ipsum, quidquid tanquam infirmo molestiam & pœnam adferet. Deinde statim ab initio infirmitatis illud etiam facies IVDICIVM, vt peccata tua cũ magno dolore examines; medicumq́; spiritualem, qui Confessarius est aduoces, vtei

Confessio.

omnia confitearis: & sic sanatus in anima, infirmitatis radicem, quæ culpa

g *Eccl.38. 1.*

est auferas. Ita suadet Ecclesiasticus dicens infirmo: g *Auerte à delicto, & dirige manus: & ab omni delicto mũda cor tuũ.* quasi dicat: Statue firmiter, te nolle amplius peccare; manus verò & reliquas tuas potẽtias ad bonorum operum exercitationem applicare velle: munda etiam cor tuum ab omni delicto per Pœnitentiam & Confessionẽ. Nec ad hæc præstanda expectes, donec id medicus iubeat; sed eum potiùs præueni, animę prius, quàm corporis sanitatem quærens; & medico remouens obicẽ tuorũ peccatorũ: quę impedire possent fœlicẽ ipsius artis & industriæ exitũ. Quod si sæpius aliàs confiteri consueuisti: ne bonam consuetudinem in infirmitate, quod in te erit, prætermittas: siquidem magis tũc opus habes auxilio gratiæ, quã hoc Sacramentũ præstabit; vt te sine peccato conserues. Faciendum etiã est IVDICIVM

Patientia.

de te ipso circa *mortificationes*, operibus molestis, quæ à sanis sunt correspondentes. Tua enim temperantia adeò nunc tibi esse potest molesta, atq; sanis ipsum ieiuniũ: & dolor, quẽ nũc sustines, premet magis, quàm sanum lædat disciplina; & si ei quod nunc cogeris sustinere, etiam voluntatem tuã ita coniungas, vt sponte sustineas: erit tibi vtilissimũ. Deniq; faciendum est

Sermo consideratus.

IVDICIVM & iustitia, cùm ab alijs visitaris, & colloquia conuersationesq́; cum illis misces. intelligens infirmitatem tuam non facere tibi potestatem de aliquo murmurãdi, aut permittẽdi alios murmurare, aut in tua pręsentia aliquid dicere, quod Deo displiceat, quando id cõmodè poteris impedire.

2. *Misericordia.*

SECVNDVM tibi faciendum, est *diligere* MISERICORDIAM: exercendo scilicet virtutum opera eo modo, quo tunc poteris, perpendens, sæpè Dominum Deum nostrum mittere infirmitatem ijs, qui duro sunt corde, nec aliorum miserijs tanguntur: vt videntes, se opus habere aliorum misericordia, discant & ipsi proximorum suorum misereri. Siquidem ipse Christus D.N. (vt Apostolus dixit) vt h *nostris infirmitatibus compati* posset, vo-

h *Heb.4.15*

luit

luit *tentari per omnia*, ac dolores experiri, quemadmodum nos, sed *absq; peccato*. Et Prælatus, qui patitur infirmitates, infirmantibus suis compatitur; & qui aliquando est infirmatus, est pius & solicitus infirmarius. Et Ecclesiastic. monuit; i *intellige, quæ sunt proximi, ex te ipso*: ex tuis igitur affectibus, ac desiderijs cognoscere oportet ea, quæ tui proximi in huiusmodi occasionibus habent. Et quemadmodum tu desideras ab alijs in tua infirmitate visitari, recreari, & solatium accipere, tibiq; ministrari: ita reliqui infirmi tantundem à te desiderant: & par est, te id, eoque modo erga eos præstare, quod illos velles erga te. Ex quo fit, vt meritò debeas MISERICORDIAM & commiserationem erga famulos & infirmarios, qui tibi ministrant, exhibere: non illos nimium absque necessitate onerando; nec tuũ solatium & leuamen cum nimio eorum non necessario labore, quærendo. MISERICORDIAM etiam, quomodo poteris, debes in pauperes ostendere: Eleemosynis tuis eos iuuando: vt suis illi orationibus tibi impetrent sanitatem. quemadmodum k *viduæ flentes* impetrarunt resurrectionem *Tabithæ defunctæ, ostẽdentes S. Petro tunicas & vestes, quas Tabitha illis dabat*. Quòd si pœnas doloresque tuos in suffragium alicuius animæ in purgatorio detentæ obtuleris, vt 4. Consideratione suprà dicebamus: acceptissima erit tua misericordia.

SVPER omnia autem necesse est SOLICITVM *ambulare cum Deo tuo*: idque varijs modis. *Primum* faciendo, quòd suadet Ecclesiasticus illis verbis: l *da suauitatem, & memoriam similaginis; & impingua oblationem*: q.d. offeras Deo thus, quod cum odore suauitatis sursum ad ipsum ascendat, exercẽdo, *orationis* actus, in præcedentibus capitibus indicatos. *Deinde*, offerendum est electissimæ, & purgatissimæ similaginis, seu farinæ memoriale, sanctissimum scil. altaris Sacramẽtum: in quo Saluatoris nostri Passionis memoria repræsentatur, & hæroicæ ipsius patientiæ fructus percipiuntur. Hoc autem perficies, si aliqua *Sacra* pro te fieri cures; &, quoties poteris, *Communices*: id quod Religiosi facilius, quam sæculares, curare possunt. cùm enim ægrotantis necessitas maior sit, non decet, eum recenti hoc subsidio, & fortitudine, quam sanctissimum hoc Sacramentũ tribuit, priuari, quando commodè illud suscipere potest. Quod si Sacramentaliter non possis, communica saltem spiritualiter: desiderans ex toto corde, Sacramentaliter illud quotidiè suscipere: vt quotidiè te foueat, animumque tibi in ea afflictione addat. *Et impingua* (ait) *oblationem*: studẽs hoc totum facere pio ac tenero affectu: cupiens totum cor tuum præbere Deo, tanquam id quod ipse maximè expetit. Debes etiam ita SOLICITVS *ambulare cum Deo tuo*: vt hanc solicitudinem reliquis omnibus præferas, imò reliquas omnes ad hãc tanquam magis præcipuam referas: ex qua bonus reliquarum exitus pendet.

Compassio

i *Eccl.* 31. 18.

Moderatio.

Eleemosyna.

k *Act.* 9. 39.

Suffragium.

3.

Solicitudo.

l *Eccl.* 38. 11.

Oratio.

Missa & Communio

Affectus.

m 1.Pet.5.7 sic enim facies, quod S. Petrus monuit; m *omnem solicitudinẽ vestram proijcin Deum; quoniam ipsi cura est de vobis*: proijciẽda igitur est in Deum solicitudo vitæ, sanitatis, cibi, & potus; medicamentorum, & eorum effectuum; delitiarum, & rerum omnium, quæ ad tuã familiam, ad fortunas, & honorem spectant: confidens curæ, quam prouidentia diuina de tuis rebus gerit, vt proxima prima Consideratione est dictum. Nam si in tua infirmitate de ijs eris solicitus, quæ ad voluntatis Dei executionem spectant: ille quoque solicitus erit, & prospiciet de ijs, quæ ad tuam necessitatem subleuandã erunt oportuna: & præbebit auxilium, vt etiã in lecto iacens, implere possis quę tui sunt muneris, in eo gradu, quo tunc obligaris. Memento: Christum D. N. etiam cùm penderet in cruce, & quidem omninò afflictum, non tamen fuisse otiosum, nec prætermisisse facere, quod redemptoris officium a billo poscebat: & prædictas tres obligationes expleuisse. nam & pro se, & pro hominibus orauit cum clamore, & lacrymis; petijt veniã pro suis inimicis; remisit latroni culpam, & eidem promisit paradisum; curam gessit matris suę, quam discipulo cõmendauit; & discipuli, quẽ matri dedit in filium. Quibus omnibus docere te voluit, etiã cùm es infirmus, non debere te tuũ officium & obligationes prætermittere; in eo quod iuxtà vires tuas poteris præstare. *Deniq*; ad hanc cum Deo tuo SOLICITVDINEM spectat: vt magna attentione, ac vigilantia resistas omnibus tentationibus; quæ te ad impatientiam impellent: siue à Dæmone suggerantur, siue à carne, siue à quocunque homine, etiã tibi coniunctissimo: Dei semper honorẽ propugnando; eiusque causam, etiã cum tuæ iactura, iustificando. quemadmodum fecit S. Iob, quando illius vxor, videns ipsum n *testâ saniem radentem, & in sterquilinio sedentem*, Deumque nihilominus laudantem, ei dixit: *Benedic Deo, & morere*: hoc est, imprecare ei mala, teq; vlciscere ob ea, quæ tibi infert; & irrita illum, vt te tandem interficiat: siquidem tibi est melius citò mori, quàm tam diu cruciari. cui vir Sanctus respõdit: *quasi vna de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala: quare non suscipiamus?* non solùm, inquit, non imprecabor mala; sed semper potiùs Sancto eius nomini benedicam pro omnibus, quæ facit; siue bona nobis largiatur, siue mittat mala. eum itaque in modum resistere decet omnibus tentationibus, & munire te patientiâ, quæ optimum est, & potens armorum genus contra eas. Ex quibus omibus licebit colligere: si calicem hũc infirmitatis pro Christo bibere cupias, te non minus meriti habiturum, quàm ipsi sani. Nam (vt S. Bonauentura ait) maius meritum est; patienter aduersa perferre, quàm in bonis operibus præstandis laborando sudare: vt enim ait Scriptura:

n *Iob.2.8.*

De proces. S. Religi. c. 25. citans S. Gregor.

o *Deut. 33. 19.*

o *Deo immolabunt victimas iustitiæ, qui inundationem aceruorum maris quasi lac sugent.*

§. 20. *Bona* PATIENTIÆ.

PRo vltima solatij, & consolationis causa, pro infirmis & afflictis, qui non possunt ea præstare, quæ sani, breuem summam subijciemus bonorum, quæ secum adfert PATIENTIA: à qua præcipuè prouenit vt infirmi suis obligationibus satisfaciant, vtilitatem ex infirmitatibus percipiant, hostiumque impugnationibus resistant: & ipsa eadem fons est innumerabilium bonorum, quæ cedunt in gloriam Dei, & commodum proximorum, ac nostrum in omni genere boni, quod vocamus honestum, vtile, ac delectabile, quemadmoduum ex hactenus dictis clarè colligitur. *Thurecrem. Tract. 28. in Regul. S. Benedicti.*

PRIMVM PATIENTIA nos in vitæ Christianæ fastigio collocat. illa enim (vt S. Apostol. Iacobus ait) o *opus perfectum habet*: ex qua (vt ait Gloss.) oritur etiam perfectio, ad quam ascenditur per gradus octo Beatitudinum, quas Christus D. N. in monte prædicauit: quorum vltimus consistit in PATIENTIA. Quæ etiam est lapis Lydius, in quo dignoscuntur gradus sanctitatis, iuxtà illud Sapientis: p *doctrina viri per* PATIENTIAM *noscitur*. Nam in eo, quod nouit sustinere, ostendit, se veram sapientiam habere, vitamque suam illi accommodare. 1. o *Iacob. 1. 4. In id. Iob. 4. 6. vbi est perfectio viarum tuarum.* p *Prou. 19. 11*

Ex quo apparet, PATIENTIAM, certissimum esse indicium amoris, quem habemus erga Deum: cuius intuitu incómoda huius vitæ, & aduersa sustinemus: non admittentes propter ea vllam culpam. Quare inter virtutes, quæ circa huiusmodi mala versantur, hæc est primogenita charitatis. de qua dixit Apostolus in primo loco, q *charitas* PATIENS *est*: cuius primi fructus (quos idem Apostolus r *fructus spiritus* appellat) sunt pax, & PATIENTIA. est enim diuino huic spiritui familiare, per charitatem efficere pacem in medio tribulationum; & PATIENTIAM in ipsa dolorum acerbitate. Vocatur autem fructus diuinæ huius arboris, eò quòd spiritus noster, eo alatur, imò & recreetur: quia s *libenter gloriatur in infirmitatibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi.* 2. q 1. *Cor 13. 4* r *Gal. 5. 22.* s 2. *Cor. 12. 9*

ET hinc oritur tertia eius excellentia, quia reddit nos valdè similes IESV Christo D. N. cuius vita, vt vidimus, tota fuit exercitatio quædam PATIENTIÆ. est autem valdè glorioſum, si quis Duci suo; Regi ac Deo suo assimiletur, eius insignibus induatur, secumq; semper illum habeat: Dicens cum Sponsa: t *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. desiderium enim eum imitandi (ait S. Bernard.) impellit me, vt semper de eius laboribus cogitem, coram oculis, & inter ipsa vbera mea habeam; dulcibusque affectibus eos amplectens, eorum fragrantia cor meum confortem vt myrrhæ fasciculum, quem ipse mihi attribuit, portare valeam. 3. t *Cant. 1. 13 Serm. 43. in Cant.*

4.

HVC accedit, quod PATIENTIA reddat nos similes martyribus, qui per eam consecuti sunt hanc excellentiam : & per eandem licebit nobis excellentiam illam obtinere, & martyrij cognomen promereri, Nam (vt S. Chrysostomus ait) non est leue martyrium, quod quis inter grauissimos dolores, qui ad iras & blasphemias prouocant, ita se ipsum contineat, & refrenet: vt nec faciat, nec dicat aliquid, homine Christiano indignũ: & paulò pòst: Fer ergò forti & generoso animo, quæ accidunt: hoc enim est tibi martyrium: ac propterea S. Iob martyris laudẽ promeritus est, quòd dolores, & calamitates forti animo perpessus sit: *huius sufferentiam* S. Iacobus Apostol. simul cum Regis martyrum patientia nobis ob oculos ponit, tanquam exemplar quod imitemur.

In Psal. 17. circa mediũ.

Et homil. 1. in 2. ad Cor. & hom. 5. ad popul.

ũ Iacob. 5. 11

5.

EX quo fit, vt PATIENTIA glorioſas obtineat de maximis noſtris inimicis victorias: ſiquidem non ſolùm homines vincit, ſicut Martyres tyrannos vicerunt, & eorum carnifices; ſed eâdem (vt S. Gregor. perpendit) qui alios vincebat, vincit ſe ipſum; ac de ſuis propenſionibus, & animæ perturbationibus triũphat. Quamobrẽ dixit Sapiens; x *melior eſt* PATIENS *viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbiũ*; & ipſe Saluator: y *in* PATIENTIA (inquit) *veſtra poſſidebitis animas veſtras*, hac ſentẽtia inſinuans impatientiã, ab earum poſſeſſione nos expellere. Infirmus enim impatiens à ſuo humore vincitur, & poſſidetur à perturbatione, cui ſe tãquam mancipiũ in pugna, quam cum illa habet, victũ tradit. At PATIENTIA de omnibus triumphat, iubet, prohibet tanquam Domina ſuis potentijs; cui omnes obediunt, ſeſeque proſternunt. O PATIENTIA (ait S. Auguſtin.) *tu omnia vincis aduerſa, non colluctando, ſed ſufferendo; non murmurando, ſed gratias agendo.*

3 p. Paſtoralis admon. 10.

x *Prou. 16. 32*

y *Luc. 21. 19.*

Serm. 11. ad Fra in Eremo.

6.

EX hoc PATIENTIÆ bono aliud ſuauiſſimum oritur: quod omnes dolores faciat valdè tolerabiles; & vt labores minùs premant: ſicut è contrà, impatientia omnia facit grauiora & moleſtiora; & in cauſa eſt, cur etiã ſint prolixiora: quia Deus pænã protrahit, quẽadmodum ipſa culpa dilatatur. Quam ob cauſam dolor in Inferno & intolerabilis eſt, & æternus: eò quòd damnatus: qui illũ ſuſtinet, ſit impatientiſſimus. Quare impatientes, (vt ait S. Auguſtinus) dum pati repugnant, non ſe liberant à malis: ſed ea ſibi faciũt grauiora. At PATIENTES, qui potiùs tolerare volunt, quàm peccare, facilius ferentes mala leuiora, hoc eſt ipſas pœnas; euadũt maiora, ipſas ſcil. culpas, in quas ipſos deijceret impatiẽtia. ita enim Sapiens; z *qui impatiens* (inquit) *eſt, ſuſtinet damnũ.* Impatiens enim infirmus vermem deuorat, qui eius conſcientiam rodat; & cor tanquam acerbum, & turbatiſſimũ mare inquietum reddat: PATIENS autem magna quiete, & ſecuritate fruitur: quam illi adfert ſua PATIENTIA. nam (vt idem Sapiens ait) a *ſecura mens, quaſi iuge conuiuium.*

Lib. de bono patientiæ cap 2.

z *Prou. 19 19.*

a *Prou. 15. 15*

Supra.

Ex Quo etiam oritur, vt Patientia liberet à multis æternis, & gloriæ coronam obtineat cum excellentia singulari. Per eam enim (ait S. Augustinus) inferni portæ occluduntur; paradisi reserantur, eam ex corde diligentibus: Per eandem (ait S. Hieronymus) impleri, quod Christus Seruator noster monuit, cùm dixit: b *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Qui autem sunt hi violenti, nisi, qui aduersa tolerantes, vim sibi ipsis inferunt? nam etsi in lecto iaceant corpore debiles: sunt tamen spiritu fortes: & ita tolerantes dolores, magna vi rapiunt c *regnum Dei*, quod est *iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto*: portasque aperiunt cœli Empyrei, vt ingrediantur ad corregnandum cum ipso Christo.

b Mar. 11 12.

c Rō. 14, 17.

Propter hanc vim & efficacitatem, quam habet Patientia, assimilatur valdè ipsi Deo, in eo, quod bona educat ex malis, conuertendo hęc in materiam, & augmentum insignium virtutum: quas generat, tanquam mater; fouet, tanquam nutrix; protegit, vt murus; perficit, vt Magistra: & præbens perseuerantiam, dat omnibus coronam. Tolerans molestiã, quam tibi adfert fames & sitis, acquiris temperantiam, & abstinentiam: & ita facis tibi facilè ieiunium; tolerans molestiam, quam adferunt iniuriæ, & contemptus à tuis inimicis illati, comparas tibi humilitatem, & auges charitatem; tolerans paupertatis miserias, cohibes cupiditatem: & ita seruas iustitiam, vt nemini inferas nocumentum. Patientia (ait S. Cyprianus) est, quæ iram temperat, linguam refrenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in Virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis, indiuiduam charitatem: facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias & contumelias mites. docet, delinquentibus citò ignoscere; si ipse delinquas, diu & multùm rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat. Hæc S. Cyprianus. Quamuis autem Patientia omnes prædictos effectus proferat in omni genere laborum & calamitatum; eminenter tamen eos manifestat in infirmitatibus, & acutis doloribus: vbi magnæ sunt eosdem exercendi occasiones. Quare illa est, quæ respondet querelis, & interrogationibus afflictæ Noemi dicentis: *Cur vocatis* d Noemi, *quam Dominus humiliauit, & afflixit omnipotens?* ô anima, (ait patientia) quid lamentaris? attende bene, quid dicas: ego enim sum, quæ hoc tibi nomen impono; præbeoque pulchritudinem, quam illud significat. Nam licèt exteriùs turpis videaris, cùm tanta laborum multitudine: ego tamen pulcherrimam te efficio interiùs cum multitudine virtutum. Es pallida & macra in corpore ob infirmitates: at ego magnam tibi pulchritudinem tribuo, &

Tract. de bono patiẽ. circa finem.

“
“
“
“
“
“
“
“
“

d Ruth. 1. 21.

fortitudinem in spiritualibus bonis; ego acerbitatem tuam in dulcedinem conuerto & tuam miseriam in magnam fœlicitatem. nam ego te obedientem efficio, humilem, temperatam, modestam, alijs compatientem, & omnium, etiam hostium amantem. Desine itaque conqueri, nomenque NOEMI, & *pulchræ* cognomen admitte: *Deus* enim te *humiliauit*; vt per me exaltaret; & *Omnipotens afflixit te*, vt mei causa te consolaretur.

CAPVT V.

PERFECTIONIS DETRIMENTA QVAE EX infirmitatibus & conualescentia oriuntur: & ratio eis occurrendi.

CVM HACTENVS commoda & vtilitates retulerimus infirmitatum, & præclaros fines, quos DEVS D.N. per eas intendit: operæ pretium nunc est, earundem pericula ac detrimenta recensere, quæ ex eisdem contra perfectionem oriuntur; vt ea præueniendo, auertamus. Sæpe enim, quod DEVS in vtilitatē nostram statuit: hoc nos ex incuria conuertimus in detrimentum. Et experimur in multis infirmis & valetudinarijs, infirmitatem corporis etiam spiritui communicari, & efficere, vt ipsa anima vitijs & imperfectionibus inficiatur, & infirmetur: tum quòd desint illi orationis & meditationis exercitia, quæ illam sustentabant, & excitabant: tum quòd spiritus debilis infirmo corpori immersus non aliud cogitet, quàm de solatio & recreatione sua: ad quam quærendam & obtinendam, sensualitatis & cupiditatis passiones relaxantur: sicut è contrà iræ, & impatientiæ perturbationes, cùm deest aliquid eorum, quæ desiderat. murmurando (vt ait Hugo de S. Victore de morbi grauitate, de medicamentorum acerbitate, de insipiditate ciborum, de infirmariorum & medicorum incuria. Et in singulis horum *quatuor* plures inuenit occasiones conquerendi, & impatienter ea ferendi, quibus admiscentur multæ suspiciones, & iudicia temeraria: quæ eius anxietates, melancholias, & iras augent in eos, qui ipsius curam gerunt: & exaggerat, si qui sunt, defectus: alios verò mille, qui verè non sunt, sibi confingit; & molestias, ac difficultates, quas patitur, mirum in modum exaggerat. Quæ tamen oēs culpæ potiùs ex spiritus, quàm ex corporis infirmitate oriuntur: Ipse tamen huic omnia tribuit: vt, quicquid caro appetit, obtineat; & eandem tanquam excusationis pallium accipit, ad occultandum aut excusandum malum, quod ipse facit; aliorum potiùs incuriæ, & infirmitatis grauitati, imò quodammodo ipsimet DEO, qui eam misit, illud attribuendo. Nam quemadmodum Adamus culpam suam excu-

Lib. 1. de Clausto a cima c. 12.

Quatuor infirmorum querela.

sauit,

sauit, dicens: e *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*: quasi dixerit, tu Domine huius mei lapsus es causa: eò quòd talem mihi mulierem dederis sociam: ita infirmus dicit: infirmitas, quam mihi misisti, causa est, cur talia faciam. quod si tu tanto onere non me pressisses: non frangerem ego iugum tuum. Sed Adami filio non patrocinabitur excusatio, quæ parenti non profuit: nam infirmitas non cogit liberum arbitrium, nec plus onerat premitve, quàm possit homo ferre absque peccato. Quare, si oneri succumbit, propterea id ei euenit, quod non recurrat ad ipsum Dominvm, qui imposuit, vt auxilium præbeat ad portandum: sed arroganter præsumit solus portare eo modo, quo proprius illi spiritus dictat.

e *Gen.* 3. 12.

Infirmitati non imputes sed tibi.

Hinc verò *duo* alia incommoda oriuntur, quæ tendunt ad contraria extrema. alterum est eorum, qui in suis infirmitatibus omnem suam cogitationem & fiduciam constituunt in remedijs medicorum; obliti ipsius Dei, qui præcipuus est omnium medicus. Quemadmodum fecit Rex f *Asa* cùm *ægrotaret dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* Sed benè dicitur, quòd infirmitas fuerit *pedum*, per quos affectus animæ & gressus vitæ eius significantur. Hi enim verè magis infirmabantur, quàm corporis pedes. Sed ille non intellexit, quid Deus per illum dolorem illi significaret: voluit enim Devs illum monere, vt ad se rediens prauos suos gressus, vitamque corrigeret: & ad verum cœlestem medicum pro verò remedio recurreret. sed quemadmodum *stupidus* quispiam, cùm in hanc partem vocatur, in aliam se conuertit: ita ille à Deo vocatus, vt ipsum quæreret; ipso neglecto, ad terrenos medicos se conuertit: in quibus totam suam collocat fiduciam, contemnens diuinæ sapientiæ artem, pro arte medicinæ terrenæ.

Deo plus quã medicinæ fidendũ.

f 2. Par. 16 12.

Infirmitas pedum.

Stupor infirmorum.

Sed neque in hoc satis rectè incedunt infirmi, iudicij & voluntatis suæ tenacissimi: qui in alterum extremũ inclinantes, & corrigere, & docere volunt etiam ipsos medicos; eoque deducere, vt quod propria ipsorum voluntas & appetitus desiderat, ea medici præscribant: non tam periti & prudentis medici arti innitentes, quàm proprio suo iudicio, & sensuum appetitioni: quemadmodum infirmus ille g *Naaman* Syrus, qui Elisæi Prophetæ consilium sequi recusabat, quo à lepra sanaretur; volens aliud sequi, quod proprium iudicium illi dictabat. Ex quo inobedientiæ & querelæ oriuntur multorum infirmorum, arrogantium sibi artem medicam: eò quòd cupiãt medicamenta accommodare suis apprehensionibus, & appetitionibus: qua ratione producũt magis & augent proprias infirmitates, & earũ molestias.

Nemo sibi medicus.

g 4. Reg. 5. 11.

Hæc Lepra solet etiam adhærescere ijs, qui existimant se esse spirituales. Qui, cùm deberent esse Christi discipuli, facti sunt (vt S. Bernardus

ait)

ait) discipuli Hypocratis: & ex Christi schola transierunt ad scholam Galeni. quare totum suum studium, & curam ponunt in procuranda corporis sanitate, & vita: non tanti facientes animæ salutem: Et præscripta cœlestis medici pharmaca abijciunt, vt terreni præscripta sequantur; non quidem omninò manifestè, sed occultè, pallio scilicet conseruandæ sanitatis, ad seruiendum vlteriùs, & meliùs eius largitori: adferentes pro se illud Dauidis: h *fortitudinem meam ad te custodiam*: quia non ob delitias meas, sed ob tuum seruitium illam appeto.

Serm. 30. in Cant. Nimia cura sui in vitio est.

h *Psa. 58. 10*

§. 1. *Sex remedia contra hæc incommoda.*

I. INCIPIAMVS horum, in spiritu potiùs, quàm in corpore, infirmorum curationem à præscripto illo ac decreto, quod cœlestis Prothomedicus suis constituit discipulis dicens: i *qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* k *& in vitã æternam custodit eam.* sed quomodo eam perdet? id faciet (ait S. Bernardus) aut vitam suam tradendo in mortem, sicut *Martyr*; aut eam affligendo, sicut *pœnitens*: quamuis genus quoddam sit martyrij, l *si spiritu facta carnis mortificentur.* Noli errare sed certò tibi persuadeas: te non posse in hac vita esse perfectum Christi discipulum: nisi alterum ex his Martyrium, aut vtrumque corpus tuum subeat. Nam aut tolerandum tibi est martyrium dolorum, & infirmitatũ quas Deus tibi miserit; aut, si corpore sanus viues, subeundem tibi est martyrium pœnitentiarum & afflictionum, quas tu ipse spontè subibis. Et fortè volet DEVS, te infirmari: quia, cùm sanus es, multùm tibi indulges, aut indulgeres, si non infirmareris. Quod si vtrumque Martyrium effugere studeas, non Christi, sed Epicuri discipulus eris, carnis scholam frequentans: m *cuius prudentiam* S. Apostolus dicit, *esse mortem, & carnis sapientiam inimicam* esse DEO: *legi enim Dei non esse subiectam*, sed rebellem: quia tota illa in eo est, vt n *curam eius facias in desideriis*, & propensionibus eius explendis. Non id dico, vt tu ipse infirmitatem quæras, aut culpabilem eis præbeas occasionem: sed vt sanctos Martyres imiteris. qui (vt S. Athanasius ait) prudenter subducebant se ab ira Tyrãnorum & carnificum: quando autem Deus illos eorum manibus tradebat, cum hilaritate Martyrium acceptantes, patienter tormenta tolerabant: ita etiam, quod in te est, prudenter debes sanitatem tuam conseruare, morbumque præuenire: si tamen Deus corpus tuum doloribus & afflictionibus tradiderit amplectere cum gratiarum actione hoc Martyrium: & molestias, quæ solent ipsas ægritudines comitari patienter omnia tolerando, & magnæ fœlicitati tuæ tribuendo, quòd Martyrum Regem, saltem in hoc dolorum Martyrio imiteris, qui fortè dignus non es, eum in Martyrio sanguinis imitari.

Aut martyr, aut pœnitens.

i *Ma. 16. 25.*

k *Ioa. 12. 25.*

l *Rom. 8. 13.*

m *Rom. 8. 6.*

n *Cap. 13. 14.*

In Apologia pro sua fuga

Infirmitas non procuranda, sed toleranda.

COGITA,

COGITA, te arborem esse, in o *monte myrrhæ* plantatam iuxta Iesum Christum Saluatorem tuum, qui in eodem monte semper habitauit. Et quemadmodum, quando huiusmodi arbores parum myrrhæ per poros proprios distillant, excorticantur in aliquibus partibus, & punguntur, vt distillent copiosiorem: ita DEVS D.N. videns te, dum sanus esses, ne te ipsum vinceres, parum myrrhæ mortificationum sponte proferre: voluit infirmitatibus ac doloribus te pungere vt in eis te exercendi occasionem haberes. par est autem, operam dare: vt sis *Myrrhæ* arbor valdè fœcunda & copiosa in patientia: & ne in *spinam* degeneres ob impatientiam: tuis alios querelis pungendo, malisque tuis exemplis eorum cõscientias lædendo. Cogita, *quatuor* illas res, quæ sunt in infirmitate, esse instar quatuor stylorum, quibus Deus te pungit: non vt alios tu mortifices; sed te ipsum, in tolerandis corporis *doloribus, medicamentorum* acerbitate, *fastidio*, siti, & infirmariorum *negligentiis*. NAM licèt huiusmodi aduersis imponat tibi spineam *coronam* in hac vita; simul tamen fabricat tibi magnæ gloriæ coronam in altera: quam per patientiam consequeris: & per eandem corpori tuo dabit *quatuor* glorioſas dotes, faciens illud *immortale, impatibile, agile, & spirituale* ac splendidum; & sic omnibus tuis laboribus finem imponet in æternum; p *dans* tibi (vt ipse promisit) *coronam* hanc preclaram pro afflictione, quam sustinuisti; & *pro cinere*, quo te operuisti. Quod etiam dixit Christus Dominus S. Catharinæ Senensi, apparens ei cum duplici corona, altera *spinarum* in vna manu, altera *rosarum* in altera: dicens, vt alteram earum sibi eligeret, quam vellet in hac vita; ita tamen, vt, quam nunc reijceret, reciperet in altera vita. Illa verò ex eiusdem Domini, qui eas ostendebat, inspiratione, *spinarum* coronam elegit, & absque vlla mora capiti suo infixit: vt suo sponso, qui simili coronatus fuerat, similior euaderet: alteram verò *rosarum*, in alteram vitam reiecit: in qua flores nunquam marcescunt, nec prosperitates finiuntur, quia sunt ætetnæ. ô si huiusmodi electionem facere posses, gauderes, te in isto lecto sic coronatum iacere spinea corona, quam tuus Saluator tibi imposuit! tanta enim eius est charitas, vt sæpiùs etiam in hac vita, dum spinam corpori infigit, rosam simul in spiritu inserat: conuertens scilicet spinam in rosam: vt ægros ipsos magis in infirmitate recreet, quàm ipsi sani recreentur in sanitate; maiusque tribuat eis in dolore solatium, quàm alij habeant in requie. Et quia hoc nõ intelligis, tu ipse es in te crudelis; maximumque tibi adfers detrimẽtum, cùm te tanto solatio priuas. Id enim signauit sapiens, cùm dixit: q *qui impatiens est sustinebit damnum*. cùm enim paruum damnum ferre recusas, cogeris multa & grauiora in corpore & anima, in hac & futura vita tolerare. quot enim commoda diximus adferre PATIENTIAM: tot incommoda adfert, quæ illi aduersatur impatientia. repellit enim hæc omnia

2. o *Cant. 4. 6.*

Ex Plinio lib. 12. c. 14.

Myrrha sit fragrans non spina pungens.

3. *Corona nũc spinea, post glorioſa.*

p *Isai. 61. 3.* *In eius vita.*

4. *Spina mutatur in roſam.*

q *Pro. 19. 19.*

Patientia commiserationem excitat.

commoda, quæ illi erant à DEO, ab eius Angelis, & alijs hominibus ventura: Qui, licet ex propensione sua commiseratione tangantur: solent tamen impatientem huiusmodi infirmum euitare. Contrà verò etiam dum-
r Luc.16.21. ores propendent ad commiserationem eius, quem vident esse valdè patientem. Propterea enim Christus D. N. dixit: r *canes linxisse vlcera* patientis *Lazari*: quia enim nec panniculum habebat, quo ea tergeret; nec medicamenta, quibus curaret: disposuit prouidentia diuina, vt *canum* linguæ loco molli panniculi, & suauium medicamentorũ, illi mederentur: vt & sordes purgarent; & dolorem, quo afficiebatur, lenirent. Vt ex hoc intelligas diuinam prouidentiam etiam crudelia corda vt canes immutare, & emollire, vt infirmis patientibus compatiantur, & ministrent.

Canis Lazari medicus.

5. *Medico propter Deum obtempera.*

HVIC PATIENTIÆ spiritui coniungere debes spiritum OBEDIENTIÆ, vt medicis obtemperes in omnibus, quæ prudenter in tuam sanitatem constituunt: etiamsi aspera illa sint, ac sensui ingrata. extollenda verò est intentio tua ad finem sublimiorem. non enim hæc obedientia propter sanitatem solam est præstãda: (nam hoc & gentiles & peccatores faciunt) sed quia Deo placet, gratumque est, quòd medico obedias: siquidem ipse dixit: s *honora medicum, propter necessitatem*, quia eo opus habes, *etenim illum creauit altissimus*. qui honor non solùm consistit in *reuerentia*, qua dignus est; aut *mercede*, quæ illi debetur: sed etiam in *obedientia* qua paretur ei in ijs, quæ circa meã sanitatem præscribit: nam qui in ijs ei non obtemperat: eundem contemnit, quasi parui faciens eius peritiam, & quæ præscribit. alioquin, cùm tuam sanitatem adeò desideres: non negligeres, quod ille præscribit. Hoc monitum spectat magis ad eos religiosos, qui ex legibus suis habent, vt ægritudinis tempore obediant medicis corporis dirigentes scilicet eãm obedientiam ad finem ipsius religionis. Quemadmodum S. Bernardus, cùm à suo Abbate iuberetur obedire cuidam rustico, qui se obtulit ad eum curandũ; quamuis ille, quædam valdè disparata præscriberet, subijciebat ipse suum iudicium, eique ita in omnibus parebet, atque si ipsemet DEVS eadẽ iuberet.
s Eccli.38.1.

In eius vita.

6. t Eccli.38.2. u 1.Cor.3.7. *Deus per medicos sanat.* x *Isa.38.2.*

Ex quo fit, quòd hæc obedientia non debeat præstari, collocando propriam fiduciam in ipsis medicis; sed in prouidentia DEI, t *à quo est omnis medela*. ipsius enim est efficere, vt medici scopum attingant; & medicamenta suam habeant efficacitatem: eũm in modum, quo dixit Apostolus: u *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus*. ita neque medicus, qui aliquid præscribit; neque infirmarius, qui illud exequitur, sanitatem dant ægroto; sed ipse DEVS, qui eos dirigit: vtens eorum industria; addens verò, quod illis deest: vt adhibita remedia, suum effectum consequantur. ac propterea sæpè adfert sanitatem per media, quæ videntur contraria, & repugnantia, x *posita*. exempli causa, *massa de ficis* calida *super vulnus*

calidum,

calidum, vt *sanaretur*; & y *linendo lutum ex sputo super oculos cæci, vt visum reciperet*; extrahendo; z *fel* ex intestinis piscis, ad *sanandum oculos, in quibus esset albugo*. Et propterea dicitur, etiam *aqua* ei mederi, qui sit alias superuictus: nam si Deus vult sanitatem reddere; id ea via facit, de qua minus cogitatur: quæ vt plurimũ est, *obedientia* prudentibus & Christianis medicis exhibita: quia nõ faciet Deus infirmis inobedientibus, & proprias voluntates sequẽtibus, sicut noluit sanari a *Naaman*, donec se subijceret & obediret Eliseo. Refert tamen non parum, q medici arti suæ virtutẽ etiã coniungant; & industriæ, ac diligentiæ humilem in Deo fiduciam: orantes, vt feliciter euenire iubeat, quę ipsi præscribunt. quemadmodum monet Ecclesiasticus, de eis dicens; b *ipsi vero Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorũ, & sanitatem propter conuersationem illorum*. & ita ipsis medicis expedit ratione officij sui, quod multis alias erroribus & periculis est expositum. ac propterea fauore & auxilio Dei opus habent, ne in illa incidant, cum iactura etiam suæ opinionis, eò quòd plus æquo arti suæ tribuerint.

y *Ioan.7.96*
z *Iob.6.9.*
Obediens etiam per contraria sanatur.
a *4. Re.5.14.*
Medicum iuuat pietas.
b *Eccl.38.14.*

§. 2. *Remedia incommodorum conualescentiæ.*

Sed vt ad ipsos infirmos redeamus, necesse est, eos cognoscere impugnationes inimici in reliquijs infirmitatum; & nominatim in *conualescentia*. in qua solent vt plurimùm in *quinque* vitia impingere: *gulam* scilicet, *otiositatem*, *relaxationes* prophanas: *inconstantiam* in ijs quæ benè proposuerant, dum infirmitate premerentur; *obliuionem*, & iugratitudinem beneficiorum acceptorum.

Quinque vitia conualescentiũ.

Gvla est veluti dux, prætextu necessitatis, ad vires deperditas reparandas. excedunt enim hoc nomine tam in quantitate, quàm in qualitate ciborum, cùm detrimento virtutis temperantiæ: imò aliquando etiam ipsius recuperatæ sanitatis. Gulam sequitur Otiositas, ex prætextu debilitatis: quare nimio somno indulgent, aditumq; pigritiæ præbent, ac tædio piorum exercitiorum, orationis, & familiaris cum Deo consuetudinis, à quo sanitatem receperunt. Et quoniam Dæmones statim accurrunt ad otiosos: non negligunt, eos, ad malas cogitationes, & inutilia desideria incitare. De huiusmodi. n. infirmis, & valetudinarijs, valdè aptè intelligitur dictũ illud sapiẽtis c *in desideriis est omnis otiosus*. variarũ sc. deliciarũ, & inaniũ colloquiorum, ac recreationũ. Nam statim Sathanas, proponit illis Recreationes aliquas vitiosas, & Prophanas, suiq; status ac pfessionis indignas. ad quas tamen facilè accedunt, quasi infirmitas potestatẽ eis faceret videndi, audiendi, & de omnibus, quæ illis in mentem veniũt, colloquendi; aut etiam faciendi, quod ipsos alias non decet. Ex quo prouenit vt ipsamet d *desideria*, (vt idem Sapiens dixit) *ipsos occidant*, crucient scilicet culpis, & earum remorsibus. Hinc etiam oritur, vt feruentia illa Proposita, quæ in infirmi-

1. *Gula.*

2. *Otium.*

c *Pro. 13. 4. iuxta LXX*

3. *Recreatio prophana.*

d *Pro. 21 25.*

4 *Inconstantia.*

tate conceperant, FRIGESCANT, sintque quasi e *oliua proiiciens florem suum.* Cùm enim DEVS ita infirmum emolliuerit, vt flores bonorum propositorum produceret, is in conualescentia ita eos proijcit à se, vt nullum fructum adferant. Et ita incidit in quintum vitium, quod est *ingratitudinis* beneficiorum acceptorum à Deo in decursu infirmitatis, & modo, quo ab ea fuit liberatus: nec eorum aliter est memor, quàm vt cum iactantia quadam & superbia eis referendis recreetur: non dans *gloriam*, DEO, cuius verè est; nec *gratias* agens, quas propter illa meritò debuit.

e *Iob.* 15. 33.

5. *Ingratitudo.*

HORRENDVS est casus Regis Ezechiæ: cui DEVS in ægritudine adeò fauit ob lacrymas, cum quibus orauit: vt, cum adeò prodigioso miraculo, quale suprà retulimus, illi dederit sanitatem, pro cuius gratitudine, laudis Canticum valdè pium cecinit. & nihilominus addit Scriptura diuina: e *sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit: quia eleuatum est cor eius, & facta est contra eum ira.* Nam cùm f *Rex Babylonis misisset ad eum literas & munera*, vt de recuperata sanitate illi congratularetur; & intelligere posset miraculum, quod in ea recuperanda DEVS fecerat: Ezechias inaniter *lætatus* ea legatione, *ostendit legatis*, non sine iactantia, *omnes* suas diuitias, & *thesauros*; retulitq; miraculum, quod illi scire cupiebant: non dans gloriam Deo, qui fecerat; nec eius magnalia prædicans cum intentione & telo legatos ipsos, & reliquas prouinciæ eorum gentes conuertendi, vt verum DEVM agnoscerent, & adorarent; eique, vt par erat, seruirent. Quam ob rem adeò est Deus iratus: vt statim miserit ad eum Isaiam Prophetam, à quo culpæ suæ grauitatem agnosceret. (adeò enim vanitas eum excæcauerat, vt culpam suam non agnosceret) minatusque est illi horrendas pœnas, quas Deus statim misisset, nisi humili sua pœnitentia eas præuenisset; &, vt in aliud tempus differrentur, impetrasset. Illud verò magnum meritò incutit metum, quod in eo casu addit Scriptura: g *dereliquit eum Deus, vt tentaretur: & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius*: quasi diceret: elatus fuit superbia intus in corde suo, ob acceptos à Deo fauores, & beneficia: suis ea meritis tribuens. ideoque permisit Deus tentationem illam: vt superbia, quæ latebat, prodiret exterius, & agnosceretur ac curaretur. Si igitur hæc Regi adeò zeloso & sancto euenerunt: quomodo non timebunt, qui ex suis infirmitatibus conualuerunt, magnaque à Deo beneficia perceperunt; si ingratos se præbeant, & acceptis beneficijs abutantur? Noli multum inaniter tribuere bonis affectibus, ac desiderijs, quæ in tua infirmitate concepisti: non enim quidquid splendet est aurum; nec desideria illa & animi proposita Deo seruiendi adeò sunt solida; & firma: sicut tu existimas, nec humilitati innituntur, quam tu cogitas. Vt ergo hunc errorem deponas, accidit desertio à Deo; & permittit tentari te, & succumbere. idque interdum, non

Ingratitudo Ezechiæ regis.

c 2. *Para.* 32. 25. f 4 *Reg.* 20. 12. *Isai.* 39. 1.

g 2. *Par.* 32.

Tentatio virtutem probat.

vehe-

vehementibus tentationibus, sed leuibus, ac facilibus: quales fuerunt huius Regis. vt ipsa experientia agnoscas; quanta tua sit imbecillitas, & miseria. siquidem paruæ adeò occasiones sufficiunt, ad te in magna vitia deijciendum; & ex ipsis diuinis beneficijs nouorum peccatorum occàsionem cum superbia, & ingratitudine sumendam.

1. *Bona proposita mox exequere.*

EX alieno igitur periculo disce, cautus esse: daque operam, vt bonorum desideriorum flores, quæ DEVS tibi in angustijs infirmitatis dedit, fructum statim proferant: executioni ea mandando, quantum licebit; & fidelem te præbendo in exequendis bonis inspirationibus in gratiarum actionem, ob sanitatem, à Deo propterea fortè collatam, quòd te ad eas exequendas obtuleris.

2. h *Marc. 2. 11 Ioan. 5. 9.*

MEMOR esto, Christum D.N. non sine causa, cùm duos infirmos in suis grabatis iacentes, pedum & manuum vsu priuatos, sanitati restitueret, vtriq; dixisse: h *tolle grabatum tuum, & ambula: eosq; statim grabatum ipsum suprase sustulisse, & ambulasse.* vt intelligas: quando DEVS sanitatem tibi impertit, suamque voluntatem inspirat: debere te meritò in gratiarum actionem statim illam exequi, etiamsi onus sit graue: nam, qui sanitatem dat, vires quoque dabit, ad pondus tollendum, quod cum illa imponit. Quòd si Dæmon, aut caro tua, & praui consiliarij, dissuadeant: respondè, quod Paralyticus ille cum reprehenderetur, quod grabatum suum tolleret in die Sabbathi: dixit enim: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula.* & hoc mihi satis est, vt id præstem. Quòd si in hoc fidelis non eris: meritò potes pœnam timere, quam eidem Paralytico Christus Dominus fuit minatus dicens: *iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Grabatum statim tollendum.

3. 4 *Dialog. 14*

ACCIPE exemplum eius quod facere debes, in S. illo viro SERVVLO paupere & infirmo. de quo S. Gregorius hæc refert: quod vsque ad finem vitæ in grabato paralyticus iacebat; nec stare poterat: nec vnquam in lecto surgere, vel ad sedendum valebat: nunquam manum suam ad os deducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare: nec tamen propterea *otiosus* vnquam erat. & cùm nequaquam literas nosset: ex Eleemosyna tamen, quam accipiebat, Scripturæ Sacræ sibimet codices emerat: & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere, studiosè faciebat. factumque est, vt iuxtà modum suum plenè Sacram scripturam disceret: vt seorsim eam meditaretur. studebat autem semper, in dolore gratias agere: hymnis Deo, & laudibus, diebus ac noctibus vacare. Quamobrem promeruit in hora mortis Angelorum laudes in cœlo audire: ad quas, dum aurem cordis intenderet. Sancta illa anima carne soluta est. Quâ scilicet exeunte, tanta illic fragrantia odoris aspersa est: vt omnes, qui illic aderant inæstimabili suauitate replerentur, quousque corpus eius sepulturæ traderetur:

S. Seruli infirmi exercitia.

,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

retur: in testimonium gloriæ, qua eius anima fruebatur, ob dolores, quos in terra fuerat perpessus. Ex quo exemplo, intelliges, feruenti etiam pauperi non deesse, vnde possit *Eleemosynas* facere: & licet ægroto, *occupationem* tamen non deesse; & ignarum, inuenire tamen *industriam*, qua sapiens euadat; & quamuis Paralyticum, & manuum ac pedum vsu priuatum: habere tamen *cor & linguam* liberã ad laudes diuinas decantandas; & gratias continuas Deo suo in medijs suis doloribus agendas. Quod si DEVS ab illis calamitatibus eum liberet: perduraret tamen in diuinis laudibus, ob nouam causam ac titulum, quo ad eas agendas se videt obstrictum.

4. ESTO denique memor Samaritani illius, quem CHRISTVS Dominus noster cum alijs nouem socijs à lepra mundauit; & tamen solus redijt, *cum magna voce magnificans Deum*, gratiasque ei agens. cuius fidem animiq; gratitudinem ipse Christus approbauit; reliquorum verò nouem ingratitudinem & doluit, & reprobauit: quòd cùm essent Israelitæ, magisq; propterea tenerentur ad gratitudinem: eam tamen ingrati neglexissent; non agnoscentes beneficium, nec bonum socij exemplum sequentes. Vt plurimùm enim, ex infirmis, qui sanitati restituuntur, etiamsi in petenda sanitate feruentes omnes sint, & importuni: plurimi tamen sunt in gratiarum actione negligentes. Tu autem da operam, vt sis ex numero paucorum, feruentior in agendis gratijs; quàm in petendis: vt DEVS cœlestia sua dona tibi multiplicet; sicut solet ijs, qui se gratos ostendunt.

i *Luc.17.15. Gratus sis sanitate recepta.*

CAPVT VI.

VLTIMA AD MORTEM INFIRMITAS, & horrendæ illius horæ tentationes, earumq; remedia.

QVAMVIS Sathanas nostræ perditionis auidissimus, toto vitæ nostræ decursu non cesset, horrendis nos tentationibus aggredi, vt suo loco dicemus; & multo minus officiũ hoc negligat tempore aliarum infirmitatum; in vltima tamen, quæ illum non latet, a *iram* suam *magnam* magis ostendit: *sciens quod modicum tempus habeat*, ad nos aggrediẽdos: &, nisi tunc nos vincat, in æternum se victum mansurũ. Cuius horrendi cõflictus depicti sunt in illa visione, quam refert S. Ioannes in Apocalyp. dicens: b *Ecce vidi equum pallidum, & qui sedebat super eum, nomen illi* MORS, *&* INFERNVS *sequebatur eum.* Quis in illo certamine equus est pallidus, nisi corpus infirmum, macrum, ac decolor ex infirmitate? quis verò illi cum MORTIS cognomine insidet, nisi MORS ipsa: quæ aculeum &

a *Apoc.12. 12.*

b *Apoc.6.8*

calcar lethali ægritudini addit: qua tyrannicam suam furiam exequatur? & quis INFERNVS ille, qui eum sequitur, nisi *sepulchrum*, in quod corpus defertur; & *æternus* carcer, in quem anima misera detruditur: quæ se tentatori ad pugnandum cum ipsa accedenti, dedit. *Triplici* enim horrendarum tentationum genere eam aggreditur, ob trium prædictarum rerum timores: quibus ad impatientiam, diffidentiam, & alia innumera peccata eam prouocat, & impellit.

1. *Infirmitas corporis.*

PRIMÆ tentationes oriuntur ex *corporis* infirmitate; & ijs, quæ illam comitantur. Nam continui dolores, cibi inappetentia, sitis anxietas, febris æstus, defectus somni, somniorum deliria, medicamentorum acerbitas, & variorum remediorum cruciatus, multò magis tunc premunt, & sunt quasi milites tentatoris; qui, vt corpus ipsum oppugnant, donec prorsus destruant: ita miserum spiritum vrgent, vt deijciant in tristitias nimias, anxietates, & agonias: ex quibus maiores oriantur iræ, impatientiæ, murmurationes, & querelæ in eos, qui ipsi assistunt: imò interdum etiam in ipsum Deum. Quò autem maior est sanitatis amor: eò tentatio est terribilior: quæ ipsam infirmitatem ita auget: vt etiam prohibita media desideret; contemnens Dei legem, vt corporis molestiam possit alleuiare. quemadmodum c *Rex* ille, qui, *cùm ægrotaret, misit nuncios suos, vt consulerent Belzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel.* Quamobrem miserè in peccato suo mortuus est.

c 4 *Reg.* 1. 2, 6.

2. d *Eccl.* 41. 1. *Mortis timor.*

POST has tentationes, valdè premunt secundæ, ex d MORTIS timore ortæ: cuius *memoriam* dixit Ecclesiast. *amaram esse homini pacem habenti in substantijs suis*; resque huius vitæ diligenti: sed quanto erit amarior eius præsentia, quã iam iam videt imminere: præcipuè si in flore suæ ætatis eueniat; videatq; abscindi se, cũ incipiebat hac vita frui? mors. n. (ait S. Augst.) adeò molesta est & acerba: vt nec verbis explicari, nec vllis industrijs euitari possit. Huic acerbo adeò timori *tria* alia tentationũ agmina cõiunguntur, orta ex bonis, in quibus affectum & amorem suũ repositũ habet. Impugnat enim dolor, ex *discessu* à filijs, aut vxore, aut marito, aut cognatis, & amicis, quos valdè diligunt; & ex *diuitijs*, thesauris & possessionibus relinquẽdis: quas sibi congregauerant; ex *dignitatibus* quoque, honoribus, & officijs acquisitis. & quoniam necesse est, hæc omnia relinquere: ideò ea singula adhibet Sathanas, ad cor expugnandam illis alligatum. Et quoniam ipse nudus est, luctatur verò cum vestito: citius hic ad terram deijcitur: quia (vt ait Sanctus Gregorius) habet vnde teneatur. deijcitur autem in impatientiam, & tristitiam adeò profundam, vt nonnunquam peruenerit ad blasphemiam in ipsum Deum, tanquam iniustum & crudelem qui tam citò illum spoliet rebus quas dederat.

Lib. 13. *de Ciuit. Dei cap.* 11.

Amici.

Opes.

Honores.

Homil. 32. *in Euang.*

SED

3. *Metus futurorum.*

SED adhuc multò terribiliores sunt tertiæ tentationes ex timoribus ortæ rerum, quæ sunt venturæ. Nam tunc Sathanas memoriam præteritorum peccatorum renouat, eaque exaggerat: diligentiam verò adhibitam, ad veniam eis impetrandam, imminuit; extollit diuinæ iustitiæ seueritatem, in ratione exigenda: terribilitatem inferni, quem minatur. Quòd si permittatur, torquet ipsam imaginationem horrendarum rerum imaginibus; verbisque internis detestandis, & blasphemijs contra diuinam misericordiam. idque totum in eum finem suggerit, vt in desperationis abyssum præcipitet, veniæque impetrandæ portam occludat. Denique pauperculæ animæ d *domus* oppugnatur in illa hora simul à *pluuijs* è cælo, à terræ *fluminibus*, &, à *ventis* flantibus: affligunt enim *infirmitates* à Deo missæ; *bona* terrena, quæ deserit: & maligni *spiritus*, qui fortiter eam impellunt, vt deijciant. Quod si misera fundata sit super *arenam* mobilem, vitæ praua, tepidæ, ac inordinatæ: magno periculo est exposita decidendi. Si autem super *lapidem* solidum & fortem vitæ cuiusdam bonæ, feruentis, & ordinatæ, non cadet propter hasce tentationes, sed victrix potiùs earum euadet.

d *Matt.* 7. 25.

1. *In die mala liberat nos Dominus.*

SED remedia iam adhibere incipiamus, vt ex grauibus adeò certaminibus victores euadamus: consuetudinem vincendi hostes, in vita facientes: vt facilius eos in morte superemus: domum animæ nostræ ædificantes super fundamentum adeò firmum: vt in eo certamine sit secura. si enim eam fundes super viuam petram, qui est CHRISTVS; & imitationem Sanctæ eius vitæ: ille occurret tempore illius pressuræ, vt te protegat; & sustentabit ædificium quod toto præterito tempore firmum conseruauit. Propterea enim apud Iob dicitur DEVS e *in sex tribulationibus liberare* iustum; *& in septima non tangere* eum *malum*. significatur enim: (vt S. Gregorius declarat) quòd quem DEVS iuuit, vt *sex* vinceret tentationes, quæ in vitæ decursu eueniunt: eundem etiam iuuabit in *septima* tribulatione, quæ superuenit in die mortis, & rationis, ac iudicij extremi: ne tunc malum aliquod eum tangat. quamuis enim tangant eum ægritudinis dolores, & timores, qui affligunt: at hoc non culpæ malum est, sed purificantis pœnæ. Et propterea Sapiens dixit: f *iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum* & malitia *mortis*; etiamsi ipsa mors tangat: quia tormenti nomen non meretur, quod non est peccatum, sed hostis victoria.

e *Iob.* 5. 19. *Lib.* 6. *Moral.* c 15.

f *Sapi.* 3. 1.

2. *Angelorum in morte fidelitas.*

AD eandem victoriam multum confert Angelorum Sanctorum custodia. si enim Dæmon in ea hora adeò solicitè nostram procurat perditionem: eò quòd videat modicum sibi tempus superesse: quanto erit magis solicitus de nostra salute Angelus Sanctus, qui optimè etiam nouit, modicum sibi tempus superesse: &, si tunc amittat sibi commissum, amissurum

etiam

etiam in æternum. & in vltimo g *prælio inter Michaelem, eiusque Angelos cum Dracone & Angelis eius*, victoriam S. Michael obtinuit: ad significandum, quòd ad singulos in vltimo prælio accedant tanta fortitudine: vt, nisi sibi ipsis desint, eorum sit futura victoria: cuius triumphum Angeli ipsi celebrant. Quemadmodum apparet in h *mendico* & infirmo *Lazaro*. ad cuius mortem venerunt Angeli sancti, qui *animam eius portarunt in sinum Abrahæ*, facientes illi in angustijs dolorum, ac desertionum eius: vt requiem consequeretur, quam suâ constantia in ijs tolerandis fuerat promeritus.

g *Apoc.* 12.

h *Luc.* 16. 22

§. 1. *Contra tentationes ex doloribus, ac tristitijs proue-nientes.*

DESCENDENTES ad agendum in particulari de *tribus* prædictis tentationibus, quâuis contra *primas* posita sint multa remedia, apponemus hic efficacissima pro his angustijs. PRIMVM autem deducemus exeo, quod CHRISTVS Dominus N. dixit S. Petro, cùm is impedire volebat ipsius Passionem: i *calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non bibam illum*? k *an putas: quia non possum rogare Patrem meum; & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturæ; quia sic oportet fieri*: vt ego moriar? ô si horum verborum vim, & rationum eius efficacitatem assequereris! Quis hic erat Seruatoris nostri *calix* nisi (vt suprà diximus) omnium tribulationum, & persecutionum, quas in vltimo vitæ suæ agone sustinuit? quæ licèt per manus Dæmonum, eorumque ministrorum inferrentur; erat tamen calix ab æterno *Patre* datus: quia is eas permittebat, & ad mundi redemptionem, & ipsiusmet Christi exaltationem dirigebat. &, quamuis potuisset ipse ab eis liberari; noluit tamen: sed promptissimè amplexus est. & quamuis Angelorum legiones potuisset in suum auxilium adducere; non tamen illos admisit, vt ab imminentibus pœnis ipsum eriperent; præter vnum, qui venit, vt consolaretur, & l *confortaret eum*. Et quoniam calicem hunc cum suis omnibus acerbitatibus, tanquam à sapientia & bonitate cœlestis sui Patris decretum aspiciebat: gaudebat spiritu, hauriendo illum: etiamsi carni esset acerbissimus: Et quamuis Sathanas in hora mortis eius accessit; nec ab eo tentando destitit: per Scribas, & Pharisæos; per lictores, & carnifices; vt eum ad culpam aliquam impelleret: semper tamen ipse victor, & ab ea liber euasit. Hunc ergo in modum firmiter tibi credendum est, quidquid molestum in vltimo mortis conflictu, tibi eueniet; siue id à *naturæ* miseria, siue à *Dæmonis* malitia proueniat; calicem esse, quem cœlestis tuus Pater hauriendum offert: à cuius ordinatione & permis-

1.

i *Ioan.* 18. 11
k *Matt.* 26. 53.

Calix Dæmonum à Deo permissus.

l *Luc.* 22. 43.

sione decretus est in animæ tuæ bonum: nisi tu tibi desis. Nullius siquidem Pater videns coram se filium tentatum, afflictum, ac desolatum, si potest impedire, non impedit; nisi id ita expedire, iudicet. Quòd si verè tibi expedit, omnes has tribulationes & afflictiones tolerare: dic carni tuæ illas refugienti: *calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam* satis mihi est, quod ille ita constituerit, velitque, ad hoc, vt ego lubens illum acceptem. Admittis tunc libenter Syrupos & medicamenta à medico præscripta, licet gustui amara, & ingrata: cùm spem habes, futura tibi ad corporis sanitatem vtilia: multò igitur æquiùs est, corde promptissimo, has omnes afflictiones suscipere, tanquam Syrupos, & Pharmaca, à cœlesti, sapientissimo, tibique addictissimo medico in salutem animæ tuæ præscripta. Et quamuis in tua esset potestate, ab eo quod pœnam adfert, te ipsum eripere; & Deum tibi mittere Angelorum legiones, qui te tuerentur: deberes tamen tuam voluntatem diuinæ subijcere, ac resignare; eiusque diuinæ prouidentiæ te totum committere: & solùm optare, vt Angeli veniant ad te confortandum; & à culpis omnibus liberandum: ne in aliquam impingas; aut in tentationibus succumbas.

Dolores sunt pharmaca animæ.

NOVIT benè Pater tuus cœlestis, si decedas ex hac vita non satis purgatus, ituram animam tuã ad horrendos purgatorij ignes, vt ibi omninò purgeris: alioquin non patere tibi aditum ad cœlum: ac propterea non quasi crudelis; sed quasi pius Pater, porrigit tibi amarum adeò calicem: vultq; te transire per ignem dolorum, quos in morte sustines; vt sint tibi purgatorium in hac vita: ex qua benè purificatus exiens, statim, vel certè breuissimè pòst, in ipsam gloriam ingrediaris. ideoque potiùs optare deberes, vt hi dolores & tribulationes tantæ essent, vt debito culparum tuarum essent pares: siquidem (vt S. Grego. ait beatiùs est liberum hinc exire; quàm post hæc vincula libertatem quærere.

2. *Purgatorium minuunt.*

Lib. 4. Dialog. c. 58.

CONICE oculos in *tres* in monte Caluario cruci affixos: & inuenies (vt perpendit S. Bernardus) hominum afflictiones, & dolores infirmorum, aut initium esse *inferni*, quales fuerunt nequam latroni, qui impatienter illas tolerabat: & ita ex cruce descendit ad ignem æternum; aut sunt loco *Purgatorii*, quales fuerunt bono latroni, qui patienter illos ferens, statim post mortem, ingressus est Paradisum; aut vsui sunt ad augenda merita, & *coronam*, quales fuerunt CHRISTI Domini: qui eas innocenter patiens gloriam corporis, Sanctiq̃ne sui nominis exaltationem promerebatur: id quod statim post mortem & resurrectionem suam obtinuit. Si igitur iacens in lecto infirmus quasi in cruce, horrendos sustineas dolores: ne adeò desipias; vt, propter impatientiam in eis ferendis, ex cruce descendas ad infernum; & ex vno tormento

3. *Serm. 34. in Cant.*

Tres in cruce, ad tria distincta iuere loca.

tran-

transeas ad alind, & quidem multò grauius: eò quòd ferre nolueris minus. & hoc est, quod tentator quærit, vt te secum abripiat; & postea irrideat, cùm videbit in æteenis illis ignibus rabie agitari, eò quòd nolueris breues, & paruas pœnas hic sustinere. melius tibi erit, facere ex necessitate virtutem: &, cùm fueris peccator, accipere istam crucem, sicut bonus ille latro, vt à tuis peccatis expurgeris. Tantum enim spiritus feruorem in ea toleranda ostendere posses: vt tibi Christus Dominus N. ad cor diceret: m *Hodie mecum eris in paradiso.* consolare, & exulta, ô afflicta anima: nam, cùm per sufficiens purgatorium iam transieris, hoc ipso die mecum eris in paradiso. Quod si fortè tantus esset cruciatus, vt pœnas excederet pro tuis peccatis debitas: adhuc amplius debes exultare. siquidem tunc es in cruce eo modo, quo tuus Saluator: vt merita tua crescant, & augeantur coronæ. tunc enim dicere tibi licebit cum Apostolo: n *momentanea est & leuis hæc tribulatio*, quam sustineo, siquidem propter eam expectat me *æternum* quoddam immensæ gloriæ *pondus.*

m *Luc.* 23. 43.

n 1. *Cor.* 4. 17.

MEMOR esto, Dominum hunc, eò quod filius Dei esset; & iam in anima beatus: ius habuisse ad gloriam sui corporis, qui quamuis in momento potuisset igneo curru, sicut Elias, in cœlum ascendere: id tamen non fecisse sed voluisse eam promereri transeundo per horrendum tribulationum ignem. Quia o *oportebat* (inquit) *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: si igitur tu desideras in gloriam intrare: quæ tibi non eo titulo debetur, sed totum eius fundamentum est ipsius Dei gratia: æquum est, teipsum animare ad patiendum, & moriendum. quia alioquin non poteris conregnare. Dicetque tibi hic Dominus, quod S. Cyprianus refert, dixisse splendidissimum quendam virum, vultu subirato cuidam Episcopo, qui in simili pressura erat: *pati timetis; & exire non vultis: quid faciam vobis?* Quasi dixerit, attendite: non esse aptum aliquod mediũ inter pati & mori: nam viuere & non pati, non expedit vobis, siquidem p *omnes, qui pie viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem* aliquam pro eius amore *patientur.* Quamobrem aut *pati*, aut *mori* vos oportet. Melius est autem in Patris vestri cœlestis prouidentiam vos proijcere: vt ille & tempus & modum patiendi, ac moriẽdi designet: vos verò acceptetis quod ab eius manu euenit, tanquam id, quod magis vobis expedit.

4.

o *Luc.* 24. 26.

Lib. de mortalitate nu. 7. *Possidius in vita S. Augustini. c.* 27 p. 2. *Tim.* 3. 12. *Pati oportet aut mori.*

DENIQVE magnæ prudentiæ ac dexteritatis erit, in hoc afflictionum tempore, dolorẽ & tristitiam ad id accõmodare, q̃ nostri dãni leuamen, & remediũ esse possit. Quod S. Chrysost. duplici similitudine pulchrè declarat. Nam in doloribꝰ corporis, q̃ grauior est, efficit, vt nõ sentiatur minor: sicut grauẽ q̃ dolorẽ ex paronychia siue rediuia sentiebat; cũ vehementi aliquo stomachi dolore vexatur, illum alterum non sentit. Hunc in modum,

5.

Homil. 5. *ad popul.*

Dolor dolore pellendus.

quãdo te premet dolor detrimenti corporalis; eò quòd desit tibi salus, aut fortunæ bona, aut quid simile: procura vehementem aliquem dolorem de tuis peccatis, ob spirituale damnum quod ex eis oritur; & ob timorem horribilium suppliciorũ, quæ promeritus es: & hoc dolore alterũ mitigabis, eiusq; detrimentum parui facies. Et propterea Christus D. N. dixit amicis suis; q *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam aũt non possunt occidere. sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennã.* Si enim hic timor verè occupauerit spiritum, omnes absorbebit timores rerũ multò minorum. Præterea quemadmodum corporis medicamẽta infirmis partibus sunt applicanda, in quarum remediũ præscribuntur; alioquin vtilia nõ erunt, sed potiùs noxia: vt collyrium destinatum ad oculos curandos, illis est applicandũ; non stomacho, cui parùm proderit: quia non est aptum ipsi medicamentum: ita *tristitia* propriè non est medicamentum ad infirmitatem, aut mortem, aut rerum temporalium iacturam curandam: nam quantumuis propter huiusmodi tristeris, non consequeris earum remediũ: quia illa propriè est *peccatorum*, & *malorum*, quæ ex eis proueniunt, medicamentum: & per eam curantur & reparantur. Stude itaque eam animæ damnis applicare: & sic repelles eam, quæ te nimium vexat ob damna corporis, sicut clauus clauo pellitur: quare tunc aptè dices, quod S. Iob: r *nudus egressus sum, de vtero matris meæ, & nudus reuertor illuc, sicut Domino placet, ita fit sit nomen Domini* in æternum *benedictum.*

q Matt. 10. 28.

Tristitia solius peccati medicina.

r Iob. 1. 21.

§. 2. *Contra tentationes, quæ oriuntur ex timore ipsius mortis.*

EX his, quæ modò diximus, licet accipere *primum* remedium aduersus *secundum* genus tentationũ, quę ex nimio mortis timore oriuntur. Dando scilicet omnem operam, vt nostram voluntatem diuinæ omninò subijciamus, ipsamque mortem propterea acceptemus, quòd ipse ita velit; suaque prouidentia tali tempore, & occasione ita constituerit. nam (vt ait Dauid) a *Domini Domini exitus mortis.* qui liberare potest à morte, quem volet; & permittere in ea occumbere. Et Ecclesiasticus dixit: b *vitam & mortem à* DEO *esse.* Cùm igitur vitam ipse aliquot annorum iam dederit: nullam facit iniuriam, si nunc auferat. Neque causam habes conquerendi, quod auferat: sed gratias potiùs agendi, quod per tempus aliquod eam tibi conseruauerit; eique reddendi, quod ipsius est, cùm id petit: quia ita illi placet. Meminisse debemus (ait Sanctus Cyprianus) voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod, nos Dominus quotidie iussit orare. quam præposterum est, quamque peruersum: vt cùm Dei voluntatem fieri postulemus: quando euocat, & accersit nos DEVS, non statim voluntatis eius imperio pareamus

a Psal. 67. 21.

b Eccl. 11. 14.

Voluntas Dei optãda. De mortal. 12.

mus. Obnitimur & reluctamur; & peruicacium more feruorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur. Exeuntes iſthinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis; & volumus ab eo præmijs cœleſtibus honorari, ad quem venimus inuiti. Non hoc eſt quod ipſe nobis commendauit cùm dixit: c vt *ſimiles eſſemus ſeruis expectantibus Dominum ſuũ quando reuertatur à nuptiis: vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.* Tunc (ait Sanctus Gregorius) Dominus venit: quando accedit, vt iudicet; vocat quando infirmitatum pulſu nos admonet, mortem eſſe propè: aperimus autem illi confeſtim, ſi eam libenter acceptamus: nec refugimus de corpore exire, quando ipſe vult, vt exeamus. Et quamuis tremor hic, timorque ſit naturalis, & hoc nomine non ſit malus: decet tamen eum moderari: quemadmodum Chriſtus D. N. eum fuit moderatus, cùm dixit: d *Pater: ſi vis transfer calicem hunc à me*, ne bibam illum: *veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Hvc accedit: quod hæc Dei voluntas, ſit iuſta quænam ſententia, in omnes poſteros Adami lata ob eius originale peccatum: per quod, ait Apoſtolus: e *mortem intraſſe in hunc mundum*; qui igitur culpam contraxiſti, rationi conſentaneum eſt, vt decretam ſententiam amplectaris, quando iuſtiſſimus Iudex eam vult exequi. Maximè, cùm ipſe idem Iudex Ieſus Chriſtus D. N. ad quem ea ſententia non ſpectabat, eò quòd nullius culpæ fuerit reus: voluerit tamen eam ſubire; & quemadmodum cæteri homines, mori: acceptans ipſam mortem in flore ſuæ ætatis: quam eandem legem voluit etiam ſacratiſſimam ſuam matrem comprehendere, etiamſi fuiſſet ab omni culpa præſeruata. Multò igitur æquiùs eſt, te eidem legi ſubeſſe.

Plvrimvm etiam refert, vt facias ex neceſſitate virtutem, ad placandam Iudicis indignationem; qui videns te ſtatim monitum & citatum comparere; eiuſdemque ſententiæ humiliter parêre, quam tulit in *corpus* tuum: erit in ſententia benignior, quam in tuam *animam* eſt laturus. Cùm igitur hic exitus ſit omninò neceſſarius: ſi voluntatem promptam addideris, minus erit moleſtus, & mirum in modum vtilis: quia offeres Deo magna voluntatis promptitudine rem maximè pretioſam, quam habes, ipſam ſcilicet *vitam*. Et qui tenebaris, eam offerre (ſi eam ille peteret) per Martyrium, in teſtimonium *fidei* & religionis Chriſtianæ, quemadmodum eam Martyres obtulerunt: offer nunc eam petenti, in teſtimonium *obedientiæ*; quam tanquam Chriſtianus profiteris: quia hoc modo omnes SS. Confeſſores vitam ſuam ei obtulerunt. Cum omnibus enim loquitur illa Saluatoris ſententia: f *ſi quis venit ad me, & non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: vt ſcilicet, qui illum ſequuntur, ita ſint expediti, vt vitam ſuam illi offerant, quandocunque illam ipſe petierit, ſine replica, aut excuſatione, quaſi ſit ad aliud quidpiam neceſſaria.

,,
,,
,,
,,
c *Luc.* 12. 26
,,
,,
Homil. 13. *in Euang.*

Timor ſit moderatus.
d *Luc.* 22. 42.

2.
e *Rom.* 5. 12

Morti omnes obnoxij ſumus.

3.

Deo debetur vita noſtra.

f *Luc.* 14. 22.

4. *Posidius in vita S. Aug. c. 27. Si aliquãdo quidni nũc.*

TALIS ERAT feruens ille Episcopus, quem in mortis articulo constitutũ visitans S. Augustinus, cũ diceret, eius vitam ad Ecclesiæ bonum esse necessariam, is statim respondit; ostendens, quàm parùm detineretur amore vitæ: *si nunquã, benè; si aliquando, cur non modo?* si Deus ita nunc vult, quid opus est cum exiguæ resignationis significatione petere dilationẽ in aliud tempus, quod tibi videtur cõmodius? præstat mori, quando Deus vult quàm cũ tu optas. MELIVS enim DEVS nouit tempus, in quo tibi expediat mori, vt saluus fias. quòd si existimas te alio tempore melius fore præparatum: DEVS fortè nouit, id non ita futurum. Cùm igitur facilè sit, tuam cogitationem errare, DEVS verò errare non possit: securiùs multò est, iudicium tuum eius iudicio accommodare: & mortem, quo tempore ille eam miserit, acceptare.

5. *Qui non est hodie cras minus aptus erit.*

AD QVID (ait S. Augustinus) tantopere horres mortem: cùm siue timeas, siue non, illa tamen sit ventura, siuè tardè, siuè citò? si times: non efficies timore tuo, ne illa non veniat. meliùs itaque est id timere, quod si timeas, non eueniet. Quod autem illud est? *peccatum*. Peccatum time: quod maximè tua interest, vt mors tua sit bona: quæ si bona fuerit, nõ est cur eam timeas: sed cur potiùs desideres, ob ingentia bona, quæ velnient tibi cum illa. quod enim maius bonum tibi in hac vita esse potest, quàm peccato finẽ imponere? Fruſtrà (ait S. Ambrosius) homines timent mortem, quasi esset naturæ finis, & iactura. si enim meminerimus sententiæ Sapientis, g *quoniã Deus mortẽ non fecit: impii autẽ manibus & verbis accersierunt illã*? inueniemus (inquit) mortem finem esse peccati. Nam quò diutiùs vita producitur; eò magis culpa multiplicatur; & per mortem peccatoris, profluens multorum peccatorum prohibetur, ne in inferno supplicia sint grauiora, & *grauius est ad peccatum viuere, quàm in peccato mori*. ex primo enim semper augẽtur peccata: ex secundo cessant. si autem iusti moriantur, etiam morte sua finem imponunt leuioribus culpis; cessatque timor, & periculum in grauiores decidendi. Cur ergo (ait idem Sanctus Doctor) adeò desideramus vitam, in qua, quò quis diutiùs viuit, eò maius peccatorum pondus sibi imponit? est autẽ culpa horrendum adeò malum: vt cuiuis calamitati expediat quem que se offerre, vt culpam euadat. Ex quo solennis illa & memorabilis processit sententia S. Bernardi dicentis: viuere erubesco, quia parùm proficio; moritimeo, quoniam non sum paratus: malo tamen mori, & misericordiæ Dei me committere, & commendare: quia benignus & misericors est, quàm de mala mea conuersatione scandalum facere.

6. *Lib. de disci. Christia. vt de domo disciplinæ c. 2. tom 9.*

Lib. de bono mortis c. 4. g *Sap. 13. 16.*

S. Amb sup. c. 7. Mori satius quã viuere.

Idem c. 2

Lib. de interiori domo c. 35.

7.

Hvc accedit, quòd mors iustis sit finis reliquarum miseriarum, quas in hoc mundo sustinẽt: siquidem illa finem imponit tentationibus, infirmitatibus, doloribus, tædijs, calumnijs, inuidijs, & hominum persecutionibus: quæ omnia, mille animæ periculis sunt obnoxia. Ex quo prouenit, vt

(quem-

(quemadmodum ait S. Augustinus) ex quo quis incipit viuere, incipiat etiã mori: ideóque ipsa vita, est mors quædam producta, vel protracta: cuius molestia cũ ipsa morte finitur: cuius timor, si magnus sit, est ipsamet morte grauior. Et (quemadmodum S. Ambrosius ait) *quibus grauis est timor mortis, non est graue mori: sed graue est viuere sub metu mortis.* qui metus, morte veniente, cessat. Hoc igitur ipsum permouere nos debet ad moderandum & reprimendum adeò molestum metum, qui vitam ipsam reddat, quasi continuam quandam mortem: siquidem vbi non est timor, sed desiderium: dulce est mori, quia sic illud impletur.

Li. 13. de Ciuit. Dei c. 10

Supra. s. 8.

Mors finis miseriarum.

QVOMODO autem iusti mortem non habeant in desiderio, qui credunt, & sperant præmia, quæ post eam consequuntur? hoc elegantissimè declarauit S. Cyprianus his verbis, quibus multas insinuat rationes dulces ac efficaces. Cùm Christum videre gaudere sit: nec possit esse gaudium nostrum, nisi cùm viderimus Christũ. quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, & pœnas, & lacrymas mũdi: & non festinare potiùs ad gaudiũ, ꝙ nunquã possit aufferri? hoc aũt fit: quia fides deest; quia nemo credit viuacitate fidei, qua par est, vera esse, quæ promittit Deus, qui verax est, quẽadmodũ credebat Apost. qui dicebat: *mihi viuere Christus est, & mori lucrũ.* Lucrũ maximũ cõputãs, sæculi laqueis nõ teneri, nullisq; peccatis, & vitijs carnis, obnoxiũ fieri: exemptũ pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatũ, ad lætitiã salutis æternæ, Christo vocãte, proficiscì: *mori* planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu nõ renatus, gehẽnæ ignibus mãcipatur: *mori* timeat, qui nõ Christi cruce, & passione cẽsetur esse redẽptus: *mori* timeat, qui ad secundã mortẽ de hac prima morte trãsibit: *mori* timeat, quẽ de sæculo recedentẽ perẽnibus pœnis æterna flãma torquebit; *mori* timeat, cui hoc mora lõgiore cõfertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Nã qualẽ te inuenit Dominus, cũ vocat: talẽ pariter, & iudicat. Si quotidie oramus, & petimus, vt aduenìat regnũ cęlorũ: quomodo terrena captiuitas delectat? quid precibꝰ frequẽter iteratis rogamꝰ, vt acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sint, seruire istic diabolo, quã regnare cũ Christo? si in Christũ credimus, fidẽ verbis & promissis eius habeamꝰ: nã ꝙ morimur, ad immortalitatẽ morte trãsgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc cõtigerit exire. Eius est in mũdo diu velle manere, quẽ mũdꝰ oblectat, quẽ sęculũ blandiẽs ac decipiẽs, illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cũ mũdus oderit Christianũ, quid amas eũ, qui te odit & non magis sequeris Christum qui te & redemit, & diligit? qui igitur renũciauimus mũdo, & tanquã hospites & peregrini istic interim degimus: amplectamur diẽ, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos, & laqueis sæcularibus exutos, paradiso restituit, & regno cœlesti. quis non peregrè cõ-

Lib. de Mortalit. n. 2.

Omne malũ ex defectu fidei.

stitu-

" ſtituitus properaret in Patriam regredi? quis non ad ſuos nauigare feſtinans,
" ventum proſperum cupidiùs optaret, vt velociter charos liceret amplecti,
" patriam noſtram paradiſum computamus; parentes Patriarchas habere
" iam cœpimus: magnus illic nos carorum numerus expectat, Apoſtolorum
" glorioſus chorus, Prophetarum exultantium numerus, Martyrum innu-
" merabilis populus, triumphantes illic Virgines, & copioſa turba deſiderat:
" iam de ſua immortalitate ſecura; & adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Ad hor i
" conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune
" lætitia eſt? qualis illic cœleſtium regnorum voluptas, ſine timore moriendi;
" & cum æternitate viuendi? quàm ſumma & perpetua fœlicitas? Hæc in ſum-
Lib de bono mortis c.8. ma S. Cyprianus, quæ etiam fusè confirmat S. Ambroſius, quod etiam eſt
h Phil.1. 23. 2.Cor.5.2. ex mente Apoſtoli dicentis: h *cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto, quia id mihi mul-*
to melius. Verum eſt quidem, feruentia huiuſmodi deſideria dona eſſe Dei
non omnibus, ſed valdè perfectis conceſſa. Nam quoſdam Deus per viam
Etiam Sancti mortem timent. Serm.56.in Cant. timoris deducit, non exiſtimantes, ſe eſſe ſecuros; nec in ſupremi Iudicis o-
culis ſatis mundos. Et multi ſancti horam illam timebant; alij cum tremore
quodam expectabant. quemadmodum S. Bernardus aiebat: ſpõſum propè
quidem eſſe ſponſæ, quæ vno tantùm corporis pariete ab illo diuiditur; &
propterea cupit diſſolui; &, rupto medio pariete, cum illo eſſe, quem poſt
parietem ſtatim eſſe confidit. Ego, autem, inquit, quoniam peccator ſum,
i Pſa.33.2. diſſolui non cupio, ſed reformido: ſciens quia i *mors peccatorum peſſima.* for-
mido exire, & in ipſo contremiſco portus ingreſſu: dum non confido, pro-
pè aſſiſtere, qui excipiat exeuntem: nam poſt corporis peccatorum pariе-
k Iſai.59.2. tem, eſt paries k *peccati, qui diuiſionem facit inter Deum & illos.*

§. 3. *Contra tentationes, quæ oriuntur ex nimio timore damnatio-*
nis.

Duplex iuſtorum tentatio. EX *vtraque* prædicta iuſtorum diſpoſitione, occaſionem arripit Dæ-
mon, ad eos in illo certamine oppugnandos. Nam *lætos* & confiden-
tes, moriq; cupientes impellit, ad virtutis limitem transgrediendum per
vanitatem, propriam fiduciam, ſecretam ſuperbiam & arrogantiam: quos
verò *triſtes* videt, ac de ſuo periculo meturentes, ad alterum impellit extre-
mum, nimiè ſcilicet triſtitiæ, & puſillanimitatis, magnæq; de diuina miſe-
ricordia diffidentiæ. Quamobrẽ magna attentione opus eſt, ad ita ſequen-
dum ſpiritum bonum, vt ad neutrum declinetur extremum. Sed quemad-
modum magis communis, & quaſi naturalis eſt timor in illa hora: ita ma-
c.3.4.& 18. ior eſt hoſtis aggreſſio, vt in hoc trahat extremum: Contra quod in primo
Tractatu multæ rationes ſunt allatæ, ad exſtimulandos puſillanimes, & fal-
ſas eorum apprehenſiones, in quibus omnes ipſorum diffidentiæ fundan-
tur, diſſoluendas. Ex quibus omnibus referemus hic ſex, tanquam indicia

cerui-

certissima; quæ ostendant, Deum D. N. paratum esse, ad recipiendam in illa hora nostram pœnitentiam, suamque gratiam nobis communicandam, & nos ad æternam suam gloriam admittendos,

PRIMA ratio est infallibilis Dei *promissio*: qua sine vlla temporis limitatione dixit: a *in quocunque die conuersus fuerit impius ab impietate sua, impietas non nocebit ei*, b *sed vita viuet; & non morietur*: Cùm igitur Dei promissa non sint inania, sed solida & firma: signũ est euidẽs, ipsum velle dare, quæ promittit, modò apposita cõditio adsit. Quod aũt cõditio adsit, est indicium, *secundũ*, ipsius Dei *vocatio*, homines in ea hora vocãtis, & inuitantis, vt vt ad ipsũ conuertantur, seq; offerãt suo creatori. Non enim amãtissimo huic Patrifamilias satis est c *operarios vocare primo mane*; nec in meridie, aut vesperi, sed etiã *vndecima* & vltima diei *hora*, quæ scilicet morti est proxima & quandocunque vocat, auxilia offert sufficientia, vt ipsius vocationi pareatur.

TERTIA ratio est desumpta ex præcepto seuerissimo, quo iubet nullum, quamdiu viuit, *desperare*, aut diffidere de venia; aut misericordia diuina. quare etiam in illa vltima hora illud transgredi, grauissimum esset scelus: Ideoque certissimum voluntatis Dei indicium est, vt etiam tunc veniam peccatorum, & æternam vitam speres. Cùm igitur nullus speret, quod est impossibile: certum est, ipsum desiderare dare tibi, quod te iubet sperare; mediaque daturum ad id obtinendum,

Ex quo fit, vt in illa hora obligetur præceptum *Confessionis* peccatorum: etiamsi plurima & grauissima fuerint. nec minus efficax esse Sacramentum, ad ea tunc remittenda, quàm in toto tempore præcedenti. quòd si tunc dubium occurret, an dolor sit verus, & propositum firmum, eò quòd potiùs videantur peccata te, quàm tu illa deserere. Hæc quidem optima ratio est, vt tempestiuè tu deseras peccata, & remedia applices contra illa non verò, vt tunc diffidas, si eò vsq; fuisses negligentior. Nam etiam bonus latro in hora mortis furta deseruit, & eorũ remissionẽ obtinuit. Cui cũ Christus D. N. suę passionis fructũ eo tẽpore applicauit: magno id fecit cõsilio: vt nullus scil. peccator, in tali periculo diffideret, se veniã obtenturum: si vel tunc peccata sua confiteatur, & ignosci sibi petat, quemadmodum bonus ille latro fecit.

Hoc idem multò adhuc ampliùs confirmatur ex alio præcepto, quod etiam tunc obligat, *communicandi* scil. siue sumendi Viaticum, vt dicitur, pro vltimæ diei itinere. Sanctissimum enim Eucharistiæ Sacramentum est pignus æternæ vitæ, signumque certissimum, quòd DEVS, quantum in se est, velit illam tibi dare, siquidem iubet, pignus eius accipere,

OBSIGNAT hæc omnia denique indicia, quod Christus D. N. speciale Sacramentum instituerit, ad spiritualem gratiam infirmis communicãdã, eosque disponendos ad bonam mortem, quæ sit transitus ad gloriam: cuius Sacramenti ad hæc efficacitas in proximo capite indicabitur.

1. a Exec. 33. 12 b Ez. 18. 21. *Deus promisit.*

2. *Vocat.* c Matth 20. 16.

3. *Vetat desperationem.*

4. *Præcipit confessionem.*

5. *Et S. Communionem.*

6. *Et Extremam instituit Vnctionem.*

CAPVT VII.

DE EXTREMAE VNCTIONIS SACRAmento, eius effectibus, & ad bonam mortem auxilijs.

ADMIRANDA fuit Christi D. N. prouidentia erga iustos infirmos, & in periculo mortis, à tentationibus in proximo capite dictis, oppugnatos. Quemadmodum enim Sacramentum *confirmationis* instituit, ad Communicandam fidelibus gratiam, & speciale auxilium, vt in fidei confessione firmi & constantes esse possent; & Tyrannis resistere, qui, adhibitis tormentis, eos contenderent ab ea confessione retrahere: ita instituere voluit *Extremæ Vnctionis* Sacramentum, vt infirmis morti proximis specialem gratiam, & auxilium conferret; quò firmi & constãtes in Fide & Charitate permanerent; & horrendis tentationibus, & oppugnationibus resisterent, quas ex doloribus & infirmitate; & metu temporalium rerum, quas amittunt, & æternorum, quæ sunt illis euentura, paterentur. Cùm enim corporis vires sint debilitatæ; spiritus verò aliquo modo obsuscatæ, (quia (vt S. Augustinus ait) *illuc rapitur tota intentio mentis, vbi est vis doloris*) constituit Saluator noster, vt supplerentur & confortarentur à viribus supernaturalibus gratiæ, & auxilijs sanctarum inspirationum, quę per hoc Sacramentum tribuuntur. Quare non fuit hoc Sacramentum pro sanis institutum, etiamsi in mortis periculo versentur: quales sunt; qui per Iudicis sententiam vltimo afficiuntur supplicio. Huiusmodi enim munire se possunt Sacramentis confessionis & communionis: pollentque iudicio, & integris naturæ viribus, quibus cùm diuinæ gratiæ virtute possunt suis hostibus in huiusmodi conflictu strenuè resistere. Ac propterea etiam, cùm periculosæ infirmitates sæpiùs euenire possint, ipsaque exrrema vnctio aliquas reparet: (vt paulò inferiùs dicemus) toties hoc Sacramentum repeti potest: quoties infirmitas, mortisque periculum redire contingit. nam & necessitates, & tentationes redeunt, ad quarum subsidium hoc Sacramentum ordinatur. In vna tamen eademque infirmitate & periculo non licet repetere, quia ita Christus constituit, vt eius gratiæ, & auxilij, quod toto periculi tempore illa confert, efficacitas intelligatur.

Serm. 48. ad Tract. in Heremo.

Sacramentum infirmorum.

Repeti potest in alio morbo.

§. 1. *Septem Extremæ Vnctionis effectus.*

CVM Sacramenta varios proprios effectus habere soleant: hoc multos habet, ac præclaros, qui per varias vnctiones, in diuersis corporis partibus, sacro oleo factas significantur: quibus petitur à Deo, dimitti peccata infirmo, quæ in eis partibus admisit: iuxta illud S. Iacobi Apostoli: a *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ. & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: in quibus verbis (quemadmodum Concilium Tridentinum explicat) duo genera effectuum insinuauit Apostolus: quosdam in ordine ad *corporis* infirmitatem, quosdã verò magis præcipuos in ordine ad *animam*: proprium enim est huius Sacramenti (vt loquitur Conciliũ) *sanitatẽ corporis* adferre, *vbi saluti animæ expedierit*, & ob alios maioris gloriæ Dei fines. Et hoc significant illa verba: *oratio fidei saluabit infirmum*, communicãdo præcipuè gratiam, quæ animam sanat, ac sanctificat, corpori verò sanitatẽ impertit, & à periculo eripit, in quo versatur. Ait verò id præstare *orationem fidei*: nam oratio, vt obtineat, quod petit, debet esse coniuncta fidei, & fiduciæ de promissione diuina, & misericordia eius, qui eam promisit: cui (vt ait S. Thomas) præcipuè innititur impetratio orationis. Et hanc Christus D.N. ab infirmis exigebat, cùm volebat eis impertire sanitatem: licèt interdum eam impertiretur, attendens ad b *fidem eorum* qui pro infirmis intercedebant. Et idem facit in oratione, quæ fit in hoc Sacramento: quæ præcipuè innititur fidei Ecclesiæ, cuius nomine Sacerdos orat, cùm vngit. Plurimùm tamen iuuat fides ipsius infirmi: quæ quò fuerit maior, eò ille magis aptus est, ac dispositus ad beneficium recipiendum, quod per eam intendit.

1. *Sanitas.*
a *Iaco 5.14. Duplex effectus S. Vnctionis. Sess. 14. de Extrema Vnctione. c. 2. & Concil. Florent. vide Suarez. Tom. 4. disp 41. sectio. 3. Magus 4. d. 3. S. Thom. Bonaue. tbi. Theologi cõmuniter. c. p. q. 83. a 3*
b *Matt. 9. 2*

Oratio fidei

SED quoniam nõ semper expedit, corporis salutem obtinere: efficit hoc Sacramentum alium effectum, magnum scil. subsidium & fortitudinem ad infirmitatis molestias, cum patientia, & spirituali lætitia sustinendas. vt licèt corpus ipsum sanitatem nõ obtineat: *infirmus* tamen ex hoc Sacramento *subleuatus, morbi incõmoda ac labores leuius ferat*, & spiritu proficiat. Quam ob rem non expedit, Sacramentum hoc eò vsq; differre, cùm infirmus in vltimo iam mortis agone versatur, nec potest duobus his effectibus frui. Nam, etsi expectandum sit verum, & probabile mortis periculum, quo scilicet & animæ pericula; & corporis angustiæ crescere solent: præstat tamen tunc non diu differre hoc Sacramentum: vt eius gratia confortet, adiuuetque ad illas molestias & labores vtiliter ferendos.

2. *Patientiæ.*

Non differendum.

SED multo præstantiores sunt duo alij eiusdem Sacramenti effectus, ad ipsam *animam* spectantes. alter est, quòd delicta, eorumque reliquias abstergat: quæ scilicet post confessionem & sacram communionem supersunt quemadmodum verba illa Apostoli indicant: *si in peccatis sit, remittentur ei.*

3. *Vide Suarez supra.*

& idem significat forma, quæ in ipsis vnctionibus adhibetur: dicitur enim *per hanc sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam ignoscat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum,* &c. In quo effectu *tria* includuntur, quæ possunt remitti. Nam, si infirmus post vltimam confessionem incidisset in aliquod *lethale* peccatum, quod non possit confiteri: aut quia eius non meminit; aut, quia loqui non potest; aut, ob aliam causam inculpabilē, si is magnum dolorem concipiat de suis peccatis: aut, antequam rationis vsu priuaretur, eum conceperat: etiamsi ad perfectam contritionem non peruenerit; iustificabitur, suscepta extrema vnctione: quia in tali casu vere hoc Sacramentum confert gratiam. Ex quo apparet, quantùm referat hoc Sacramentum omnibus infirmis dari. siquidem euenire possit, vt eo suscepto, sit saluus, non suscepto verò damnetur.

Peccata mortalia remittit.

Vtilitas S. Vnctionis.

4 *Venialia.*

PRÆTEREA remittit omnia peccata *venialia*, quibus cor non ita adhæret, vt propositum habeat in eis perseuerandi. nam formæ Sacramentorum faciunt, quod significat in sumēte. Cùm igitur huius Sacramenti forma petat, vt Deus infirmo ignoscat quicquid peccauit per quinque sensus, totam sc. multitudinem peccatorum, quæ ordinariè per eos ingreditur: signum est, nullum prætermittere quod non ignoscat: cùm non adest obex remissionem impediens. Sed non sine mysterio & causa voluit Christus D.N. quinquies aut septies repeti vnctionem, & orationem, in qua peccatorū remissio petitur. fortè. n. excitimulari voluit fidem, quod magnus DEVS noster distinctam & particularem habeat omnium horum peccatorum notitiā: & quod necessariū sit orare, & veniam omnium petere. nec simus contenti, id in genere facere; sed repetamus septies, imò septuages septies orationis & contritionis actus, de culpis, quas per singulos sēsus admisimus, & prauis operibus manuum, gressibusq; pedū, & affectibus, & concupiscentijs carnis deprauatis. Quò enim maiori feruore hæc petit infirmus: eò recipiet maiorem gratiam, & remissio erit plenior: quia dispositio, qua Sacramentum sic suscipitur, est plenior.

Peccata singula detestanda.

5. *Trid. Reliquias pœnæ.*

IDEM Sacramentum *reliquias*, hoc est pœnas, remissis peccatis debitas, abstergit: quamuis non semper omnes; sed plus minusve iuxta suscipientis dispositionem: quæ adeò feruens & magna esse potest, vt cum hoc Sacramento ita animam purificet; vt ex corpore exiens, rectà volet in cœlum, nec transeat per ignem purgatorium.

6. *à Futuris præseruat.*

SED plurimùm eminet Sacramenti huius gratia in auxilijs, & subsidijs internis, quę tribuit, ad animam in tentationibus, & molestijs corroborandam, ne in culpas nouas incidat: sed perseueret, etiam cum nouis meritis; donec integram victoriam, omniumque laborum suorum præmium consequatur. quemadmodum pulchrè declarauit Concilium Tridentinum his

verbis

verbis: circa huius Sacramenti institutionem. Sancta hæc Synodus declarat, & docet: quòd clementissimus Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remedijs, aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum: quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerẽt, ab omni grauiore spiritus incommodo possint; ita Extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio muniuit. nam etsi aduersarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, vt deuorare animas nostras quoquomodò possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ neruos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit diuinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impẽdere nobis exitum vitæ perspicit. Et c. 2. addit, quasi huius Vnctionis finem esse: hæc damna præuenire. Ægroti, ait, animam alleuiat, & confirmat: magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert; & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, faciliùs resistit. Hæc Concilium. Ex quibus apparet causa, cur hoc Sacramentum, *Olei* vnctione administretur: non solùm quòd signum sit *medicinæ* corporis & animæ; sed etiam, quòd nos faciat strenuos *luctatores* contra tentationes: quæ sicut peccata, ita ipsæ per quinque Sensus ingrediuntur, in quibus fiunt Vnctiones. Denique oleum (vt Theodoret. ait) signum est *misericordiæ*, & *lætitiæ*: vt eo vnctus infirmus magnam concipiat lætitiam & fiduciam de misericordia Dei; magnumq; recipiat animum in hoc certamine: sperans in diuina gratia se posse victorem euadere. Nec tamen sine causa vnctiones hæ fiunt sine balsamo, quod in Confirmatione oleo admiscetur: nam hoc Sacramentum non tam accipitur ad *sanctitatis* odorem in hac vita spargendum, quàm ad perfectam *puritatem* obtinendam, transitumque securum ad alteram vitam: quia ipsi infirmi demissè fatentur: se æquè in anima, ac corpore ægrotare. nam ex ijs, quæ audiunt dici, quando vnguntur, protestãtur, se ex se ipsis esse peccatores. quod vniuersim in illa hora est securiùs: vt totam nostram fiduciam in diuinæ misericordiæ magnitudine magis, quàm bonæ vitæ nostræ odore ponamus. quemadmodum Daniel dicebat: c *non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam; sed in miserationibus tuis multis.*

Ex his sex Extremæ Vnctionis effectibus oritur vltimus: quòd scilicet plurimùm iuuet ad *bonam mortem* obeundam, qua vltima victoria tentationum & peccatorum obtineatur, & extrema perseuerentia in gratia Dei. Cuius bonæ mortis præstantiam in proximo capite indicabimus.

Sess. 14. decreto de sacram extr. Vnct. ante. c. 1.

Oleum medetur & roborat. Lætitiæ & misericordiæ signũ. In c. cap. S. Marci. Psal. 103. 15.

Balsamum hic non admiscetur.

c *Daniel 9. 18.*

Bona Mors.

CAPVT VIII.

IN QVO CONSISTAT BONAE MORTIS præstantia: & quinam ex iustis pretiosiorem sortiantur.

10. *Bonæ mortis excellentiæ.*

IVRE optimo Regius Propheta dixit: a *pretiosam esse in conspectu Domini mortem Sanctorum eius*; qua decem summi precij excelllentias consequitur. Nam in ea omnia in vniuersum peccata magna, paruaq; finiuntur; & simul pericula recidendi. 1. *Cessat* deindè carnis rebellio, pugna passionum, 2. deprauata mundanorũ societas, damnaque omnia; quæ ex his hostibus prouenium. 3. *Triumphant* de dæmonibus, eorumque tentationibus: nam vltima hæc victoria victos eos relinquit, & frustratos. 4. *Manent* verò ipsi confirmati in gratia, in sanctitate, cæterisq; virtutibus, absq; vllo timore eas amittendi, aut suum remittendi feruorem. 5. *Obtinent* insigne perseuerantiæ donũ: quod 6. est prædestinatorum proprium: quibus corona promittitur. *Causa* ipsorum & lis, quæ toto vitæ decursu pendebat, de iure primogenio cœlesti, fœliciter in fauorem ipsorum concluditur; & in despectum aduersariorũ, vltimã 7. accipiunt pro se sententiam, qua æternùm liberantur à pœnis inferni. Et nisi purgandum aliquid in eis supersit, rectà ascendunt eorum animæ ad æterni regni possessionem capiendam: in quodam statu adeò fœlici, vt expediti sint 8. ab omnibus malis, quæ timeri, fruantur verò cum summo gaudio omnibus bonis, quæ desiderari possent. 9. *Et* quamuis corpus maneat in terra: id tamen fit cum spe certissima, quòd suo tempore resurget, vt simul cum anima eadem gloriâ fruatur. *Quid* verò dicam de lætitia, qua Angeli afficiuntur, & reliqui beatorum spiritus ex hac morte? si enim tantum est illis gaudium ex conuersione peccatoris: quomodo non gaudebunt, cùm videbunt salutem, & in loco iam tuto positum? exeunt cum magna lætitia ei obuiam; & aliquando multi eorum morti tali assistunt: vt eum honorent, & ad gloriam 10. comitentur. *Denique* ipsemet Dominus Angelorum obuiam exit; vt & eos honoret, qui ipsum honorarũt; & hospitio in cœlo excipiat eos, qui ipsum in cordis sui hospitio exceperunt. Nam si obuiam iuit filio prodigo expansis vlnis; exhibuitque illi solenne conuiuium cum Musica instrumentorum ac vocum suauissima: quomodo non ibit obuiam dilecto, & obediẽti filio? quomodo non veniet ad illum, vt hunc ei honorem faciat; suumque impleat verbum, quod dixit: b *iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* cô *beati mortui, qui in Domino moriuntur*; in eius scilicet vlnis, & d *innixi super dilectum suum ascendunt de hoc deserto, deliciis affluentes*: vt suorum laborum præmio in æterna requie fruantur.

S. Greg. 4. Dialog. c. 1.

b *Ioan. 14. 3.*
c *Rom. 14. 13*
d *Cant. 8. 5.*

§. 1. *In*

§. 1. *In quo bona & mala mors consistant.*

Non sine causa, cum dixit Dauid: *mortem iustorum esse pretiosam*, adiecit: *in conspectu Domini*. quia solus ipse hanc præstantiam agnoscit. quæ, vt plurimum absondita est ab oculis hominum, eò quòd in externa specie valdè similis sit mors impiorum & bonorum, nam (vt ait Salomon) e *moritur doctus, similiter, vt indoctus.*

Ad cuius declarationem præmittendum est (quod ait S. Ambrosius) *tria* esse mortis genera: quædam enim est *bona*, alia *mala*, alia *indifferens*. Mors *mala*, est lethale peccatum: per illud enim amittit anima vitam gratiæ & charitatis. Et de hac dixit Deus per Ezechielem: f *anima quæ peaccauerit, ipsa morietur*. Mors *bona* est, ipsa iustificatio, qua peccator moritur peccato, vt viuat Deo. de qua dixit Apostolus: quod g *consepulti simus cum Christo per Baptismum*: addit tamen: *in mortem*, vt bonam scilicet fortiamur. Ad eandē verò pertinet etiā illa, quam *mortificationem* appellamus: per quam exspirant vitia, vt virtutes reuiuiscant. Mors *indifferens* est, ipsa naturalis, qua anima separatur à corpore: & hæc bonæ aut malæ compellationem accipit ex duabus alijs, quibus coniungitur. Quare mors naturalis censebitur mala & horrenda: quādo coniungitur animæ, culpâ lethali mortuæ. de qua Dauid: h *mors peccatorū pessima*: nam eius finis est alia mors, quā S. Ioan. i *mortem secundā* appellat: est aūt mors æterna: At ipsa naturalis mors bona est, & amabilis, quādo cōiungitur animę peccato mortuo, & gratiâ Dei iustificatę, de qua idem Dauid dixit: quod k *esset pretiosa*, quia eius finis est vita æterna.

Ex quo fit, vt (quemadmodum S. Agustin. perpendit) omnes homines tam boni, quā mali bonam mortē desiderent, & pro ea obtinenda Deū orent. quorū modus loquēdi, & vsurpata phrasis est, ita mihi Deus det bonam mortē; aut ita Deus auertat à me malā mortem. At peccatores peruersi plus amāt mortem, quàm vitam: quia amare est benè velle; & bonam mortem habere volunt, vitam autem bonam habere non curant; mori malè timent, & malè viuere non timent: & in hoc pereunt. Cuius remedium est, vt corrigant malè viuere, & timeant malè mori. Noli, inquit, timere: non potest malè mori, qui benè vixit: fieri benè potest, vt iustus naufragio pereat, aut gladio percutiatur, aut à bestijs lanietur: & nihilominùs verum est: non malè mori, qui benè vixerit: nam hæc mors, quæ videtur mala in oculis hominum, pretiosa est in conspectu Dei. quemadmodum fuit mors Martyrum, quamuis horrendis cruciatibus & tormentis extincti sint. Id itaque age, vt bonam vitam habeas: & quęcunque occasio fuerit, vt exeas de hoc corpore, mors erit bona. Exis enim ad requiem, exis ad beatitudinem & vitam æternam, quæ nō habet timorem nec finē. si tibi bona videtur l *mors diuitis in purpura & byſſo*: respice eius finē, & videbis mortē

fuisse

c Eccl. 2. 16.

Lib. de bon Mor. c. 1.

f Ezech. 18. 20.

g Rom. 6. 4. Triplex mors.

h Psal. 33. 22.

i Apoc. 20. 14.

k Psa. 115. 15.

l Lib. de disc. pl. Christian. vel de domo disciplin. c. 12.

" "

Qualis vita finis ita.

" " " " " " " " " "

Luc. 16. 22.

fuisse malam. quia peruenit ad tormenta, & sitim horrendam: qua ita premebatur, vt vel *aquæ guttam interflammas* desideraret. Quasi mala videbitur tibi mors iacentis pauperis ante ianuã diuitis, inter linguas canũ, in fame & siti, micas de mensa desiderantis: sed finẽ eius respice. fidei oculũ in eum intende: contigit mori inopem illum, *& deferri ab Angelis in sinũ Abrahæ*. quid proderat diuiti sepulchrum marmoreum sitienti apud inferos? quid oberant pauperi panni & vlcera requiescẽti in sinu Abrahæ? Modo elige mortem, quam volueris. dic mihi, quis bnè mortuus est, & quis male? puto quia melius ille pauper, quàm ille Dives. *disces ergo bene mori, si didiceris bene viuere.* Hæc S. Augustin. qui in alio loco idem affirmat, dicens quod opera sequuntur animam, quando exit ex hac vita: & quando fuerunt illa mala, mortem eius reddunt malam, quæ illa contremescit; & quærit ea effugere, inducias que petere. tunc, quasi loquentia simul opera eius, dicent: tu nos egisti: opera tua sumus, non te deseremus: sed tecum semper erimus, tecumque pergemus ad iudicium. Quod si opera fuerunt bona, etiam mortem reddũt bonam, & comitantur ipsam animam, quemadmodum asseruit vox cœlestis S. Ioanni: *Beati, qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.*

Respice finem.

Serm. 52. ad Frat.

Lib. de vanitate Sæculi. c. 1.

Idem dicit Hugo de S. Victore. l. 1. de anima. c. 2.

m *Apoc.* 14. 13.

QVARE, mala est illa mors, qua occumbit homo in certamine illo victus à Dæmone, tradens & subdens se ei, quod execrãda eius suggestio persuadebat. de quo dixit Dauid: n *constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius*, vt præualeat. *Cum iudicatur, exeat condemnatus.* Illa tamen mors bona est & pretiosa, in qua Iustus ex Dei fauore, & Sacramentorum virtute victorias suas confirmat: vincens vltimas Dæmonis tentationes, Christoque Domino nostro vsq; ad mortẽ obtemperans: quam ob rem exeunti ex hac vita, statim (vt ait S. Ioannes) datur ei o *palma in manibus eius*, tanquam vero hostium suorũ victori. Ne sis ergò similis peruerso illi Balaam, qui dicebat: p *moriatur anima mea morte iustorum*: cùm tamen vitam duceret peccatorũ; sed eorum vitam viue, quorum desideras mortem imitari; & assuesce hostẽ tuum vincere, dum viuis: vt etiam de eo triumphes, quando morieris.

n *Psa.* 108. 6

o *Apoc.* 7. 9.

p *Num.* 23. 10.

2.

3.

DENIQVE, sententia est S. Bernardi, quòd mors iustorum preciosa sit in conspectu Dei, aut ex causa sola, aut ex vita sola, aut ex vtraque. In Martyribus, qui, cùm fuissent magni peccatores, repentè fuerunt rapti ad Martyrium: eorum mors solùm est pretiosa, propter *causam*: siquidem ob confessionem, ac defensionem fidei & religionis Christianæ mortem oppetunt: sic ostendentes amorem, quem erga Christum habent, pro quo vitã suam libenter exponunt. In Sanctis Confessoribus mors est pretiosa: quia talis fuit eorum *vita*; vt mundo & peccato mortui, soli Christo viuerent. Quòd si ijdem sanguinem suũ pro eo fundant, mors eorum est pretiosissima ex

Serm. 24. Paruorum.

Mors tripliciter bona.

ma ex *vtraque* parte. quamobrem duplicatum præmium duplicesque palmas in cœlo recipient. Cùm igitur dignus non sis præstantia mortis ob eius causam: da operam, vt eius præstantiam habeas, quæ oritur ex vitæ sanctitate: vt vel vnicam palmam in gloria consequaris.

§. 2. *Triplex mors preciosa ex vitæ præstantia.*

ETsi preciosa sit, quæcunque mors in Dei gratia & amicitia contingat: *tres* tamen sunt magis preciosæ, ob eminentem vitæ præstantiam, cui inuituntur: quæ vita, est continua quædam præparatio ad mortem adeò preciosam. & in ea eminent tria genera iustorum, quorum proprietates depingit S. Bernardus in quodam sermone de Peregrino, aut mortuo, & crucifixo. Primi sunt iusti *feruentes*: qui etsi viuant in *seculo* onerati officijs & bonis temporalibus ratione sui status, cor tamen eorũ illis non adhærescit: quia admirandam illam legem Apostoli seruãt, dicentis: q *hoc vobis dico fratres: tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtãtur: præterit enim figura huius mundi.* quod perinde est, ac si dixisset cùm vita vestra sit breuis, omnesque res mundi tam prosperæ, quàm aduersæ, tanquam ventus transeant: ita viuite vt non patiamini vos eis irretiri, aut ligari. sic enim fiet, vt *mors* ita præparatos inueniens, *sit preciosa in conspectu Domini.* Tales sunt illi iusti, qui Deo dicũt: r *quoniam aduena ego sum apud te*, & PEREGRINVS: transiens per huius vitæ res, quasi qui velociter currit ad æternam; faciens quod S. Petrus cõsuluit, dicens: s *Charissimi, obsecro vos tãquam aduenas, &* PEREGRINOS *abstinere vos à carnalib. desideriis, quæ militant aduersus animam.* Tunc (inquit S. Bernard.) viuis in hoc mundo tanquam PEREGRINVS, si via regia diuinorum mandatorum incedas, non declinans ad dextram, neq; ad sinistrã; si non te immisceas: rebus terrenis, quæ ad te non spectant; si nihili facias vanitates, & solatia huius mundi; si non patiaris, te à tuæ carnis desiderijs raptari; si te non oneres superfluis: sed vestitũ & victum habens, nolis alijs onerari: sed omnẽ operam dare, vt glorioſum finẽ tuæ peregrinationi adferas. Denique si totus hic mundus tanquam exilium tibi sit, & peregrinantium hospitium: non erit tibi graue, inde exire. sed gaudebis potius, (vt S. Cyprian. dixit) ob spem ingrediendi propriã tuam patriam, quæ est ipse paradisus. Nam licèt in mundo sis, t *aduena* & peregrinus, es tamen (vt Apostol. dixit) cœlestis aulæ ciuis ac *domesticus Dei*, cũ sanctis eius: ideoque semper tenebris desiderio eos videndi, quemadmodum idem Apostol. dicebat u *dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino* (*per fidem. n. ambulamus, & non per speciẽ*, aut clarã visionẽ) *audemus autem, & bonã volun-*

Serm. 7. in Quadrag. I.

q 1. Cor. 7. 29.

Peregrinus.

r Psal. 38. 13

s 1. Petr. 2. 11.

Lib. de Mortal.

t Ephr. 2. 19

u 2. Cor. 5. 6

voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominũ. Et ideo contendimus siue absentes siue præsentes placere illi. Viuas itaque cum hoc desiderio Deo placendi toto vitæ tempore vsque ad mortem; & tunc illa erit valdè preciosa: quia fides commutabitur in visionem claram.

2. *Mortuus.*

SED vlteriùs progrediuntur alij iusti, feruentes scil. *religiosi*: qui omnibus rebus huius mundi renunciarunt, vt nudum Iesum, nudi sequerẽtur. Ideoque viuunt in hoc mundo, nõ solum tanquam peregrini, sed etiam tanquam MORTVI. Peregrini enim etsi non admiscentur ciuibus: aliquando tamen afficiuntur nimis ad res, quas vident, & in itinere audiunt ab alijs; & commoditatibus, quas in hospitio interdum inueniunt; ideoq; non nihil sentiũt ab eo exire: & quamuis penitùs non retineantur, detinentur tamen & retardantur, dùm minus memores patriæ, minori accelerant desiderio. At qui se ipsos MORTVOS iudicant, expeditiores sunt ab hisce impedimentis, iuxtà illud Apostoli: x MORTVI *estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quis enim magis MORTVVS est, quàm religiosus, qui adhuc viuens renunciat ijs, quæ mors est ablatura? & antequã moriatur, mortuus est ipsi mũdo: renunciat enim iuri, quod aliàs haberet ad nuptias; & dominio diuitiarum, suaéque propriæ libertati: constringens se in rerum omniũ vsu iuxtà Dei voluntatem, & suorum Prælatorum: vt soli Christo viuat. Nam hæc mors eò tendit, vt meliorem consequatur vitam, quamuis absconditam, in Deo cum ipso Christo, quem imitatur: & cum quo in oratione & contemplatione agit, claram eius visionem semper suspirans. quamobrem horum vita, est cõtinua quædam præparatio ad y *preciosam mortem in conspectu Domini*: z qui *abscondet eos in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum*: ne scilicet eos conturbent res illæ, quæ alios homines solent conturbare.

x *Coloss.* 3. 3.

y *Psa* 115. 15.
z *Psa.* 30. 21.

3. *Crucifixus.*

SED vlteriùs adhuc (ait S. Bernard.) illi iusti progrediuntur, qui non mortui solum sunt, sed etiam CRVCIFIXI, quod genus quoddã est mortis dolorosæ, & ignominiosæ mundo, inferturq; à manu alia. Hi sunt, qui non solùm sanctitatem amplectuntur: sed etiam propter eam patiuntur persecutionẽ. Et quemadmodũ Christus D. N. S. Petro dixit: non solum a *cingunt se* ipsos; sed *alii* etiam *ipsos cingunt*, & constringunt, affiguntq; arctissimæ cruci: quã illi lubentes amplectuntur. quemadmodũ Apostol. dicebat: b *absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini N.* IESV *Christi: propter quem mihi mũdus crucifixus est, & ego mundo*: ego enim eum horreo & contemno; & ipse me etiã horret, ac contẽnit, & tanquã crucifixũ tractat. Horum nomine Dauid dixit c *propter te mortificamur tota die, & facti sumus sicut oues occisionis.* & quoniam mortem semper præ oculis habent: eorum vita, est perfectissima ad eandem obeundam præparatio. cumq; vita sit crucis: mors est valdè preciosa. nam ex cruce ascenditur ad paradisum: & per illam fit aditus ad regnum æternum. Sed ne

a *Aloan.* 11. 18

b *Gal.* 6. 14.

c *Psal.* 43. 22. *Rom* 8. 36.

propter-

propterea tristeris, quod tibi desint hominum persecutiones: recordare, quod idem regnum cœlorū promiserit idem Christus D.N. d *pauperibus spiritu & patientibus persecutionem propter iustitiam*: vt significaret, voluntariam mortificationem cum spiritu factam, consecuturam huius regni amplitudinem: etiamsi persecutio desit: cùm non desit cor, & animus ad eam acceptandam, & tolerandam, si veniret. d *Matt. 5. 10.*

HÆ sunt tres mortes maximè pretiosæ in conspectu Domini. quare, si tuam cupis esse talem: procuranda tibi est similis vita, bonaq; morte spirituali, quæ illam comitatur. de qua etiam intelligitur vox illa cœlestis apud S. Ioan: e *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* qui scil. Christum crucifixum imitantes, ita se gerunt, quasi mundo mortui. Hi enim viuunt in hoc mundo vitam quietam & tranquillam; ab illis afflictionibus liberam, quæ homines huius mundi aliàs torquere solent: quare bonis operibus diuites consequentur in morte æternam requiem. ad quod iuuerint præparationes in proximo capite subijciendæ. e *Apoc. 14. 13.*

CAPVT IX.

TRIPLEX PRAEPARATIO AD PRECIOSAM mortem, & transitum ad æternam vitam.

EX dictis in proximo capite satis liquet; non esse prudentiæ, præparationem necessariam ad bonam mortem in illud tempus reijcere, quo eius periculum imminet, premitq; lethalis ęgritudo. Est. n. tunc difficillima præparatio, quemadmodum S. August. perpendit his verb. s: MVLTA tunc occurrunt impedimenta cordi: nam corpus dolet, pęna affligit: quia mors appropinquat. videt intrare filios, quos Pater summè dilexit; vxorem lachrymantē considerat; mundus adhuc ei fiduciā præstat; Diabolus, ne de peccatis doleat, fidem attribuit, & chirographum infirmanti præbet; caro non deficere adhuc satis sperat; medici adhuc, vt lucrentur, ipsū cōfortant; cognati applaudūt; sacerdotes allicitūt; adeoq; oēs circa corporis salutē procurandā occupantur; vt locus non sit attendēdi seriò, & vt oportet ad salutē animæ. magis enim attendit infirmus, quomodo possit à morte *liberari*; q̄ det operam, vt illa sit *bona*. Quæ cū tanti sint momēti, vt suprà est dictum, iustissimum est etiam, diu ante nos ad illam præparare; & in hac re adeò sollicitos esse, vt nec tempori nec labori parcamus. Potest verò in triplici tēpore hæc præparatio fieri. PRIMA est generalis per totū vitæ tēpus; SECVNDA specialis, certis cuiusq; anni tēporibus, TERTIA adhuc magis specialis, c[u]m ipsū mortis tēpus propè accedit. *Prima* præparatio fit, ita semp viuendo, quasi iam mors immineat, & quasi dies quilibet sit vltima. *Secunda* in fine cuiusuis anni, præparando te per dies 8. quasi illi essent futuri vltimi. *Serm 48 ad Frat. in Eremo.* cc cc *Morbi difficultates.* cc cc cc cc cc cc

Triplex præparatio.

Tertia, statim atq; incipis infirmari, tēpestiuè faciens quæcunq; feruens & perfectus Christianus in simili periculo cōstitutus meritò faceret: vt mors benè dispositum & præparatum inueniat. Et quamuis hæc vltima, maximè sit necessaria, tamē quoniā hoc tempus est omninò incertum; quia nescis an mors irruat repentè: vt hæc præparatio tibi non desit, necesse est, primam non negligere, & assuescere secundæ: ne tibi quod a *fatuis virginibus* eueniat, quæ lampades suas præparare neglexerunt: *veniente* autem repentè *Sponso*, eas præparare non potuerunt: ideoque à nuptijs sunt repulsæ: ad quas admissæ fuerunt prudentes, quia fuerunt paratæ.

a *Matt.25. 10.*

§. *1. Prima præparatio totius vitæ.*

1. *Lumbi præcincti.*

PRIMA PRÆPARATIO consistit in *tribus* illis, quæ Christus D. N. nobis cōmendauit, cùm monuit, vt semper vigilaremus. quorum primum est, *vt sint lumbi nostri præcincti*: ducendo scil. vitam non laxam, sed ita ordinatā, vt sit continua quædam vitiorū omniū, & passionum nostrarum mors: mortificando quamcunq; malā cogitationē, & incidens desiderium; acceptando verò, promptè quamcunq; Deus nobis miserit, crucē. In hoc. n. sensu intelligitur illa sententia D. Ambros. dicentis: vitā iusti, esse imitationem mortis: Quemadmodū faciunt *tria* genera iustorū, quos proximo capite retulimus: quorum vitæ strictè valdè sunt præcinctæ: vt qui se tanquā *mortuos* tractēt: ac propterea semper sint ad mortē præparati. Sed quoniā non sufficit, mortificare q; malum est, adiecit: vt *lucernæ ardentes sint in manibus nostris*: exercendo scil. opera sancta, in quibus eniteat lux, veraq; diuinorum mysteriorū cognitio, & ignis, æstusq; amoris Dei, & proximorum. Debent autem esse in vtraque manu, *dextrâ & sinistra*: eò quòd huiusmodi opera exerceri debeant in omni tempore, *prospero & aduerso*. Nec sufficit, quod in aliorum manibus sint, sed in *proprijs*: quia non satis est, opera iustitiæ & misericordiæ præstare, aut exequi, per testamentarios, cùm possumus, ac debemus ea per nos ipsos exercere. *Tertium* est: vt parati omninò simus, *expectantes Dominum nostrum*, venturum ad rationem à nobis exigendam: ita vt nunquam obliuiscamur mortis nostræ, eiusq; aduentus: quia nō scimus an b *sit venturus sero, an media nocte, an gallicantu, aut mane*: in *pueritia* scil. aut *iuuentute*, aut *virili* ætate, aut in ipsa *senectute*: nam in quacunque ætate simus, totū id facere debemus, quod, morte in ea aduenīente, vellemus nos fecisse. Quemadmodum itaque huius mundi potentes ædificant dum viuunt, capellas, & sepulchra preciosa, in quibus ipsorū corpora post mortē deponantur: ita tu ædifices in vita insigne palatiū in cœlo: in quo statim post mortē anima tua collocetur. Et quēadmodū oēs cupiunt in *p*pria sua domo, & in lecto proprio mori, inter amicos, & notos, qui illis in talib. angustijs cōstitutis adsint: ita tu intra cor tu[illegible] ædifices domū[illegible] lectum, in

2. *Lucernæ ardentes.*

3. *Expectantes Dominum.*

b *Marc.13. 35.*

quo

quo veris amicis & consolatoribus (quæ *bona* sunt *opera*) circudatus, vltimâ diem claudas. quemadmodum S. Iob dicebat: *c in nido meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Quod, idem est, atque si dixisset: in medijs meis prosperitatibus, non obliuiscebar mortis: semper enim ædificabam & præparabam nidum, siue lectum, in quo eram moriturus: vt victor ex eo euaderem: ita dies meos, meaque opera multiplicans, vt eorum palmam & præmium obtinerem. Vt autem intelligeretur, quo modo nidum illum ædificaret, ac præpararet, alia versio habet: *multiplicabo dies sicut phenix*: quam S. Cyrillus & multi alij sancti dicunt, esse resurrectionis symbolum, quam speramus; & rationis, siue modi, quo possimus ad fruendum eius fructu peruenire, quia viuit (inquiunt) plurimos annos: quando autem præsentit imminere sibi mortem, conficit priùs nidum ex fragrantibus lignis: in quorum medio se collocat, aspiciens rectissimè solem, cùm maximè feruet: cuius calore alas suas ipsa quatiente, ignis accenditur: quo ipsa tota comburitur, & in cineres redigitur: ex quibus vermis prodit, qui in nouam Phœnicem conuertitur: quæ, figura est corporis resurgentis, renouati, ac glorioſi quando bona præcessit mors, ob præparationem bonam, cuius figura est id, quod ipsa Phœnix facit. Ad cuius imitationem meritò debes te per totius vitæ decursum, *duplici* operum genere præparare. alijs quidem vitæ *actiuæ*; ædificando nidum tuæ CONSCIENTIÆ operibus glorioſis, & fragrantibus: vt cum illis in Domino moriaris. Quæ fabrica constituitur ex obseruatione diuinorum præceptorum & cõsiliorum, quemadmodum diximus. Quando autem cõijcis, te ad finem appropinquare, debes accelerare magis huius nidi fabricam: vt ex securitate, quam bona conscientia pollicetur, sit mors ipsa tranquilior. CORDIS quoque nidus præparandus est operibus vitæ *contemplatiuæ*: exercendo te valdè frequenter in aspiciendo recta Iustitiæ *Solem*; teque in eius conspectum dando: vt illum semper habeas in tua memoria, quemadmodum dicebat Dauid: d *sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum; & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* nostras que miserias in æternum reparet. Hic autem aspectus, *quietus* omninò esse debet, & benè *acutus*: qui attentis & feruentibus meditationibus penetret mysteria diuina: quatiendo affectuum & petitionum alas: donec e *cor* ipsum *conualescat, & in meditatione tua magnus diuini amoris ignis exardescat*: qui te totum inflãmet desiderijs ei seruiendi, ac obediendi: vitam etiam, & quidquid habes, si opus fuerit, vt ei placeas, libenter offerendo. Quemadmodum igitur Phœnix, ad se renouandam, offert intra suum nidum, perfectum quoddam sui ipsius holocaustum, cùm tota igne consumitur, nõ exiliens ex nido, etiamsi comburi se sentiat; donec tota in cineres conuertatur: ex quibus vermis ille

c *Iob. 29. 18.*

Phœnix.

Catechesi. 18 S. Clem. PP. lib. 2. ca. 6. Tertul. de Fide Resurrect. c. 13. Lactant. & alij quos refert Pined. in c. 29. ver. 18. & c. 19. ver. 5. Plin. lib. 7. c. 48.

1. *Actiua vita.*

2. *Contemplatiua.*

d *Psal. 122. 2.*

e *Psal. 8. 4.*

3. *Holocaustum.*

oritur, qui postea in Phœnicem alteram renouatam conuertitur ita diuino hoc igne intra nidum cordis tui debes perfectum quoddam tui ipsius holocaustum Deo offerre ac tradere fortunas omnes, honorem, sanitatem, ac vitam: ex animo optans, omnia pro eius seruitio consumi. Debesq; teipsum quasi annihilare; carnem tuam, etiamsi grauiter ferat, mortificando; & quãcunq; pœnam, & labores acceptando, qui necessarij erunt, vt illi ipsi moriaris fortunata ac fœlici hac morte, quam diuini amoris ignis efficit: donec in cineres, & in nihilum conuertaris, & ad perfectissimã humilitatem peruenias, ob miseriam, quam ex te ipso habes, & adhuc maiorem, quam tuis culpis adiecisti. Et tũc orietur viuus *vermiculus*, qui renouationis initiũ dabit. quia orietur in anima tua viuum & efficax desiderium in omnibus, & per omnia Dominum imitandi, qui dixit: f *ego sum vermis & non homo, opprobriũ hominum, & abiectio plebis*; & de quo Scriptura dicit, quod cùm esset g *sapientissimus princeps inter tres, ipse sit quasi tenerrimus ligni vermiculus*. Nã cum ipse verè sit sapientissimus, & vna ex tribus personis h *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*; & in ligno crucis moriens, perfectissimum sui ipsius, honoris, & vitæ holocaustum obtulit: donec tanquam vilissimus vermiculus tractaretur. Ad cuius imitationem dabis operam, vt quoscunq; contemptus feras, & amplectaris, desiderans ab omnibus calcari, tanquam vermiculus; agnoscens, quam parum sis, & promerearis. Siquidem tanquam vermis vix potes, vel vno passu progredi, nisi repens per terram, cum periculo amissionis animæ tuæ. Cùm autem hoc modo te humiliaueris & abieceris, eris benè ad mortem præparatus. vtpotè, peccato, mundo, amori proprio, tibique ipsi mortuus. statim verò post mortem corporis, anima prodibit renouata, vt æternùm viuat in gloria, ad similitudinem Christi glorificati. Ampliùs hoc declarauit Sanctus Hieronymus dicens: Sanctus Iob corpus suum & exteriorem hominem appellasse *nidum* : in quo vitijs mundi, eiusque cupiditatibus continuè moreretur: vt æternum in resurrectione viueret.

4.

f *Psal.* 31.7.
g 2. *Re.* 23.8
h *Phil.* 2.7.

In Iob. 29.

§. 2. *Secunda præparatio annua.*

EX his licebit colligere modum & rationem faciendi præparationem secundam, annuam scilicet vtilissimam, per octo, aut quindecim dies teipsum occupando in *tribus* præcipuè rebus, quæ perfectam spiritualem *mortem* efficiunt: ex qua oritur interior *renouatio*. Quemadmodum enim mors corporis resurrectionem suam præcedit: ita fœliciſſima hæc mors; siue tui ipsius mortificatio renouationem tuam præcedit, vt Phœnicis instar perfectissimam ducas vitam.

1. *Generalis confessio.*

PRIMVM igitur facienda est generalis confessio totius illius anni, vt rationes cum Christo Domino ita fœliciter conficiantur, atque si ille an-

nus,

nus, imò & ipse dies esset vltimus. si enim *serpens*, vt supra dictum est, singulis annis antiquam pellem mutat, per angustum transiens foramen: quid mirum, si tu eius prudentiam imiteris, & singulis annis senectam exuas anni præcedentis: ne te mors apprehendat veteri homine vestitum, qui in igne purgatorio sit omninò comburendus? quamobrem meritò etiam examinabis omnia, in quibus totius anni decursu senectutem contraxeris, vt enim ait S. Gregorius à *feruore mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso viuendi vsu aliquo modo veteraſcimus; & assumptæ nouitatis speciem fuscamus.* Quam vetustatem cum deprehendis, studendum tibi est, vt succendas diuini amoris ignem, qui eam consumens, cor tuum renouet. Aqua (inquit idem Sanctus) *vetustate quotidie, si studio circumspectionis inuigilamus, orando, legendo, benè viuendo, renouamur: quia vita nostra, dum lacrymis lauatur: bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur: ad nouitatem suam sine cessatione reparatur.* Illę verò meditationes ad id efficaces erunt, quæ de *Nouissimis* instituuntur; aut de vita & passione *Christi* Domini; aut de eius *beneficiis* & diuinis *perfectionibus.* Nam si DEVS (vt ipse dixit S. Iob) hunc instinctum *accipitri* indidit: vt singulis annis k *plumesceret, expandens alas suas ad Austrum*, cuius calore pori aperiuntur, & veteres plumæ cadunt, recentes verò prodeunt: rationi consentaneum est, (ait Sanctus Gregorius) vt ad orationis & meditationis exercitia recurras: in quibus, spiritus sancti Austro flante, alas tuas expandas ad pios discursus & affectus; tantumque spiritualem calorem concipias, quo vsum vetustæ conuersationis abijciens, noui hominis formam induas, iuxta Apostoli consilium, dicentis: l *expoliate vos veterem hominem cum actionibus suis, & nouum induite.*

CONCLVDES denique annuam hanc præparationem sacra communione, adeò feruenti, atque si verè sumeres *viaticum*, transiturus ad aliam vitam: renouatus, vt suprà diximus, quemadmodum *Aquila*; valdeque animatus ad resistendum omnibus hostibus, & vlterius progrediendum in perfecta imitatione hominis noui, Christi Iesu: in qua consistit perfecta renouatio interior, bonaque dispositio ad securè sperandam bonam mortem. quæ, cùm appropinquauerit, inuenies *nidum* tuum mundum, exornatum, & fragrantem: qui valdè te confortabit in illa hora in qua maiori adhuc feruore adijcies quod deest, vt mors tua sancta sit: & preciosa.

COGITA: non sine magno mysterio fieri in lege veteri mentionem *duarum* generalium circumcisionum, quas DEVS toti suo populo commendauit. *Alteram*, postquam exijt Abraham ex terra sua, & domo Patris sui cùm ei dixit: m *ambula coram me & esto perfectus: alteram*, quando Iosue in-

Tract. 3. c. 10.

Lib. 19. Moral. c. 16. ad finem.

2. *Meditatio.*

k *Iob 39. 26*

Lib. 31. Moral. c. 18.

l *Coloss. 3. 9.*

3. *Tract 4. c. 8 S. Communio.*

m *Gen. 17. 1*

ducere

ducere volebat filios Israel in terram promissionis; postquam ab exitu ex Aegypto, per quadraginta annos ambulauerat in deserto, qua circumcisione (quam secundam appellat) peracta, dixit Dominus ad Iosue n *hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis*: præputium scilicet, quod ex Aegypto attulistis, quam ob rem digni facti estis, qui in terram à me promissam ingrediamini. Hunc ergo in modum in lege noua commendat Christus Dominus *duas* circumcisiones, non *carnis*, sed *spiritus*; non corporum, sed cordium; quibus circumciduntur & abijciuntur ex eis peccata, & vitia omnia; omnesque passiones & affectiones inordinatæ. *Prima* fit initio ferventis nostræ conuersionis: cum scilicet vocatio diuina eduxit nos è mundo, & paterna domo, vt coram ipso ambulemus, simusque perfecti: quæ per totam vitam debet continuari, & exactiùs adhuc singulis *annis*. Nam quemadmodum arbores & vites, quæ singulis annis fructum adferunt, singulis etiam annis indigent putatione, qua superflui rami & palmites amputentur, vt anno sequenti fructus proferant copiosiores: ita tu, etsi semper in bonis operibus exercearis: aliqua tamen annua putatione, & circumcisione rerum superfluarum indiges. Quod cùm tanta perfectione meritò facies: vt Dominus tibi dicere possit: *hodie abstuli opprobrium Aegypti à te*: consumendo scilicet peccatorum tuorum reliquias, & mores hominis veteris: & in tuum honorem conuertendo, quod in mundi oculis *ignominia* iudicatur: eò enim coram me es glorioſior, quò magis circumcisus, tibique ipse mortificatus viuis: honori tibi ducens hanc mei amoris causa mortificationem.

n *Iosue* 5.9.

Duplex circumcisio.

Prima initio.

Hæc annuè repetenda.

Secunda in fine.

SED nihilominus vult DEVS, *secundam* aliam circumcisionem fieri generalem, ad finem vitæ, postquam per huius peregrinationis desertum est ambulatum: cùm scilicet prope est iam aditus ad terram promissionis æternæ. qua circumcisione res omnes superfluæ abijciantur, quæ aditum impedire possunt in fœliciſſimam hanc terram, lacte, & melle æternorum solatiorum manantem: *vltima* adhibita præparatione necessaria, ad statim eo perueniendum; vbi æternùm eis fruamur.

§. 3. *Tertia præparatio imminente iam morte.*

VLTIMAM hanc præparationem, & generalem circumcisionem, quam illa exigit, auspicatur Deus D. N. ab ipsa lethali ægritudine: quæ acutissimi instar ex petra dura *eultri* scindit, & circumcidit, ac euellit ex corde inordinatas omnes affectiones, quæ ad personas & res alias huius vitæ remanserunt; quasi ad oculũ videat; se prope iam esse, vt eas oẽs deserat. ideoque facillimè se ab eis expedit, quando id ad salutem suam assecurandam est necessarium, Eligens, *cum vno oculo* potius, aut o *vno pede, & manu* intrare in regnum cœlorum; *quam duos oculos, aut duos pedes habentem*

o *Matt.* 18.8

mitti

mitti in gehennam. Quamobrem condendum tibi est statim *Testamentum*, ac de tuis omnibus rebus cũ prudentia, iustitia, & misericordia disponendum, maiori attentione ac solicitudine attendendo ad res *animæ*, quam corporis; ad res, quæ sunt *præcepti*, quàm, quæ consilij; ad res *domesticorum* quàm externorum: & vnamquamq; rem eo ordine, loco, & gradu suo collocando, vt omnẽ tollat confusionem: ne occasio remaneat discordiarum, contentionum, aut litium. Sed quoniam in illius tẽporis angustijs hoc totũ, vt plurimùm, non ita benè disponitur: magnæ prudentiæ erit, illud sanitatis tempore disposuisse, in quo pauciores sunt occupationes, quæ impediant: vt ita ægritudinis tempus liberũ ab hac occupatione relinquatur: & attendatur magis ad ipsammet animam, pro sua profectione meliùs disponendam. Circa quod duas regulas siue documẽta generalia magni momenti obseruabis. PRIMVM: vt quidquid tempore sanitatis expedire potes, ne differas ad tempus infirmitatis, si enim tẽpore sanitatis non est tam fortis, vt tuam vincas ignauiã, & torporẽ: nec occupationes remoueas, quę hanc tanti momenti pro anima tua impediunt: quam fortitudinem in ipsâ ægritudine habebis, cùm vires erunt minores, & occupationes vrgebũt magis? tum enim vel sola attentio ad corporis sanitatẽ, rapit ad se totum spiritum. Sanctissimus erat Rex Ezechias: quando tamen Isaias Propheta illi dixit: p *dispone domui tuæ, quia morieris*: adeò hunc ictum sensit, vt dorsum verteret ipsi Prophetæ; & nihil de testamento, aut dispositione domus suæ cogitans, totum se lachrymis fundendis occupauerit, petens à Deo sanitatem & vitam; nec ab hac occupatione cessauit, donec impetraret, quod petebat.

ALTERVM documentum est, vt quidquid per te ipsum in vita possis exequi, ne id exequẽdi curam alijs, post mortem tuam relinquas: si enim tu in rebus tuis proprijs es ignauus; quomodo alij gnaui erunt ac diligentes in rebus quas reputant alienas? & fortè iusta Dei punitio permittet, tuos amicos obliuioni tradere executionem tuarum obligationũ: siquidem tu, qui magis tibi amicus & addictus, quàm illi esse debebas, nullam dedisti operam, vt eas, cùm posses, executioni mandares. Multò igitur facies prudentiùs, si sanctum illum senem Tobiam imiteris; q *qui cũ putaret orationem suã exaudiri, vt mori potuisset*, constituit cum filio suo de suis omnibus rebus; & opportunè aliquarum executionem direxit.

POST expeditum testamentum, sicut dictum est, vt generalis circumcisio rerum omnium, quæ aut impedire, aut retardere te ab ingressu in cælum possent, perficiatur, suscipienda sunt Sacramẽta, ad id destinata. & quidem *Confessio* meritò erit *generalis* ab vltima saltem generali, quam fecisses: vt rationes vitæ tuæ fœliciter cum Christo D. N. expediantur, iuxtà ea, quæ in tertio Tractatu sunt dicta. tẽpestiuè quoq; *Viaticum* est sumen-

1 *Testamentum.*

Mature conficiendum.

p *Isaiæ 38. 1*

No demandes alijs, quod ipse facere potes.

q *Tobiæ. 4. 1*

Confessio generalis.

Viaticum.

Extrema Vnctio.

dum & Sacramentum *Extremæ Vnctionis*; quo peccatorum reliquiæ abscindãtur, quæ per sensus sunt ingressæ: additis interim ac repetitis sæpiùs feruentibus contritionis actibus; vt dignus inueniaris, qui verbum illud

Iosue 5. 9. audias: r *hodie abstuli à te omnia opprobria Aegypti*, ideóque aditus tibi patet, vt statim in cælum ingrediaris, quod tibi promisi.

3. *Virtutum actus.*

EODEM tempore danda tibi est opera, vt cordis tui lectum exornes Eleemosynis, orationibus, sacrificijs, alijsq; pijs operibus, & varijs virtutũ exercitijs. His enim omnibus peractis licebit tibi cum aliqua confidentia Deo dicere quod suo dilecto dixit Sponsa: *lectus noster floridus*, quasi illi dixisset: si vis, Domine, ad me venire, vt perpetuò in corde meo requiescas, & ego in tuo: iam lectus hic vtriq; communis floridus est, exornatus scil. fragrantibus virtutum floribus, quas tu ei tribuisti & ego cum gratia tua acquisiui. Tunc etiam licebit, tanquam Phœnix, rectissimè aspicere iustitiæ solem IESVM Christum Seruatorem nostrum & expandere in eius conspectu desideriorum, & affectuum tuorum alas, supplex orans, vt tui misertus, ad claram sui visionem admittat, eandẽ suspirans & gemens, amanterq; conquerens, quod differatur: quemadmodum Dauid dicebat: t *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*: diu *habitaui cum habitantibus Cedar*, miserum scil. hunc mundum: *multum incola* & tanquam exul *fuit anima mea*. Item u *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te Deus*. aliquando verò teipsum ad lætitiã excitabis; quòd videas, iam vltimam horam appropinquare: dicesq; cum eodem Dauide: x *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*; quia *in domum Domini ibo*. Aliàs tædio quodã, ac defatigatione huius vitæ affectus, ob pericula deficiendi in perseuerantia, dices: y *educ Domine de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo*. Nam te hoc modo alas cordis tui expandente & quatiente, accendetur in te ignis diuini amoris: quo in ea hora perfectum tui ipsius holocaustum Deo tuo offeras: tradens ei oẽs tuas fortunas, vitam, & animam: & integra ac perfectissima resignatione spiritum tuum in eius manus commendans. Et sic lætitia & consolatione plenus ex hac vita decedes, vt in æternę requiẽ ingrediaris. O fœlicem vitam, cuius finis est mors adeò fœlix! ô beatam mortem, in qua bona sanctaq; vita finitur! verè enim z *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorũ eius*, qui scil. in crucis Christi nido, sanctorũ operũ aromaticis speciebus exornato moriuntur. Talis fuit Sancti Sanctorum mors; & quidem cũ singulari inter oẽs excellentia, sicut est ipsius auis Phœnicis: ad quam is per totam suam vitam se præparauit; sed multò adhuc magis in nocte vltimæ Cœnæ: in qua multa heroica humilitatis & charitatis opera in suos discipulos exercuit: & expandens in ipsa cruce suorum affectuum alas, & pro suis persecutoribus, & omnibus hominibus, clamore valido orãs, mortuus

t *Psal. 11. 9.*

u *Psal. 41. 2.* *Iaculatoriæ Orationes.*

x *Psal. 121. 1.*

y *Psal. 141 8.*

z *Psa. 115.*

Ioan. 18. 5.

Mors Christi.

est in

est in suo nido tormentorum igne inflammatus quem sui amoris ignis accenderat: quo perfectissimum suijpsius holocaustum Patri obtulit. Talis etiam fuit Sacratissimæ Virginis mors, quæ verè fuit Phœnix singularis sanctitatis inter omnes puras creaturas: cuius vita fuit perfectissima quædam virtutum omnium imago & exemplar: quibus confecit sibi præclarissimum nidum: in quo amoris igne accensa; vt eum videret quem tantoperè diligebat, viuendi finem fecit: Talis quoque fuit mors Sanctorũ Apostolorum & clarorum aliorum Sanctorum: qui aliquo etiam modo fuerunt sicut auis Phœnix, ob singularem in aliqua virtute excellentiam. quibus *viuere Christus fuit*; ideoque *mori lucrum* sibi reputarunt; Si igitur velis cum eisdem mori: necesse est & viuere, & perseuerare cum eis. quod si dicas: *moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia*: Ne hic sistas sicut Balaam, sed adde: viuat anima mea vitam iustorum: meaque ad mortem præparatio sit eorum præparationi similis: vt similem cum eis coronam accipias: quos viuendo, & perseuerando fuisti imitatus: Noli tui nidi constructionem in horam mortis reijcere; ne fortè tunc locum ad id faciendum non inuenias: quemadmodum fatuæ illæ Virgines non inuenerunt ad suas lampades exornandas: sed nunc illum exstrue: vt possis securus mori. Et quamuis corpus tuum in cineres conuertatur, viuet tamen: ac syncera fide crede, quod renouabitur sicut auis Phœnix: quia Deus illud ad gloriosam, & immortalem vitam resuscitabit. & tunc implebitur in te, quod dixit Dauid: *Iustus sicut palma florebit, & sicut auis Phœnix, plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*, eiusque sancta gloria, in æternum *florebit*,

Amen.

B. Virginis.

Sanctorum

Phil. 1. 21.

Num. 23. 10

Bene viue vt bene moriaris.

Psal. 91. 13. Tertullian. ita legit.

FINIS PRIMI TOMI.



INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

Abraham & Loth boni hospites & eleemosynarij. 370
Absolutio in Sacramento Pœnitētiæ nullo peccatorum numero definita 178. *toties repeti potest, quoties quis peccauerit* 279. *eius efficacia.* 310
Abyssus duplex. 19
Abyssi nomen quibus Dei beneficijs cōperta. 3
Acediæ spiritus quantum noceat. 264. *& seq.*
Actiones vitæ contemplatiuæ. 237
Adolescentes instar carnis molles 227. *multū interest si desistant à peccatis ibid. eorū exercitia ad perfectionem ducentia* 228 *septē virtutes ad perfectionem ducentes* 230
Aduersitates quanam fœlices 114. *non deprimunt iustos.* 252
Affectus tener initio vocationis citò euanescit 207
Alapam cur Episcopus infligat confirmandis 214.
Alæ Dei quæ. 256
Angeli cooperatores salutis humanæ. 9. *paruulis custodes deputati* 237 *eorum intercessio quærenda* 147. *custodia morientibus necessaria.* 552
Anima peccatoris atriū diaboli 18. *quomodo à Deo expugnatur libero arbitrio illæso.* 19
Antichristus quis futurus, eiusq; persecutio. 38
S. Antonij sedulitas in colligendis virtutibus. 260
Apostolorum terror, quando intellexerunt inter se esse vnum reprobum. 14
Apum respublica quid doceat 245. *eis iusti similes.* 260
Attritio quid sit. 285
Augustinus quomodo conuersus. 103

B.

Baptismus præstantissimum Sacramētum 174. *vnica Ecclesiæ porta* 178. *cur non tollat prauos affectus* 182. *quæ auxilia cōferat* 184. *milites Dei nos facit* 186. *pœnas nos in statu incipiētium. Confirmatio vero in statu proficientium* 257. *eius effectus* 179. *excellentiæ.* 178
Baptismus & Confirmatio non confirmant hominem in gratia vt cadere non possit. 271
Beneficia Dei præcipua quæ, 1. tria erga electos. 6
Beneficium vocationis quantum. 52
Beneficio in baptismo accepto peccator quadruplicem iniuriam rependit, & quam. 307
Bona & malæ mors in quo consistat. 567
Bona temporalia vtilia in oculis Dei. 49
Bona ex aduersis. 115
Bona opera duobus modis interrumpuntur. 273.
Bonæ relaxationes aliquando admittendæ, & quæ sint 265. *dupliciter fiunt.* 266
Bonorum & malorum permixtio quid efficiat 15
Bonorum temporalium abundantia multos facit pertinaces & peiores. 111
Bona exercitia non facilè interrumpēda. 263
Booz benignus in Ruth 1. 6. *vir iustus* 238. *Christum designat* 259. *diuitis eleemosynarij exemplar.* 370

C.

CAecum animal offerri prohibitum in lege & cur, quisve illud offerat. 203
Calix Christi quis. 553
Charitati quæ peccata contraria. 321
Chrisma vnde cōficiatur, eiusq; materia mysticè explicata. 217. 234
Christianismi vocatio duo requirit. 186
Christus caput prædestinatorum, 1. quà homo est, aqueductus omnium beneficiorum Dei 8 *extra portam passus quid significet* 38. *cur in præsepio positus* 63. *tres mortuos cur suscitauerit* 175. *in baptismo nostro se sicut Ionathas cum Dauide gerit* 187 *perfectissimus messor spiritualis, quomodo.* 258

Christi fames circa salute animarū . . iuplex sacrificium 59. desiderium vocandi nomines à teneris annis 24. dolor in horto summus 105. septem insignis visitationes 43
Cœlum empyreū quàm magnū 83 sua magnitudine ostendit multos fore saluandos ibid.
Communio frequens, vide frequens cōmunio.
Cōmunio sacramentalis spirituali coniūgenda 473. eius rei monita 479. post eam quæ facienda. 481
Communio spiritualis quotidie sumenda 476
Concionum vis in permonendis peccatoribus 100. contra illas odium diaboli. 101
Confessarius qualis esse debeat 341. humiliter audiendus 340. reuerenter alloquendi. 334
Confessarium ignotum quærentes quales 316
Confessio secundus pœnitētiæ actus 309 nisi sit integra, non delentur peccata, & nouū, sacrilegiū scilicet, additur 314 iudicio extremo similis 217 & seq. duplex, particularis & generalis 329 quando repetenda ibid. ad minus semel in anno facienda. 33
Confessionis pudor quibus cōmodis recompensetur 310. duo libri 317. ad eā obligantur omnes peccatores. 209
Confirmationis Sacramentum cur institutū 210 quid sit, eiusq; effectus 211. finis 212
Constituit hominem in statu perfectorū 211. ad tres gradus perfectionis nos vocat 218 omnibus baptizatis nemine excluso conferendum 21
Consolatio vera quæ. 14
Consuetudo bona tribus modis habetur. 267
Continuatio bonorum operum facit bonam consuetudinem. 217
Contritio quid sit 86. 88. quā efficax 276. potest haberi ab que actuali memoria omnū peccatorū 287. non exigit lacrymas necessariò ibid. nisi ut propositū amplius non peccandi 28. non patitur secum vel vnū affectum peccandi ibid. eius motiua. 290
Cordis duritia quomodo emolliatur. 359
Coronæ Christi acerbitas. 529
Correptiones libenter audiendæ 348. & seq. earum commoda. 353
Correptori gratia agenda. 34. & seq.
Creaturarum clamor ad iustitiam diuinā. 113

D.

DÆmonem ligatum an solutum quomodo quis scire possit. 138
Damnandorum numerus infinitus. 1
Damnatorum mala vnde ortum habeant. 10
Danidis pœnitentia perfecta. 109
Danidis & Saulis regum collatio. 123
Desponsationis diuinæ excellentia. 83
Deus natura infinitæ perfectionis 294. natura vnus in se 295. æternus ibid. sapiens 296 nobis proximus ibid imò in nobis 297. tā prosperis quàm aduersis vocat 106. supplicia incipit à maioribus 122 quosdam in flore ætatis punit & cur. 127
Dei amor circulo similis 5 tria erga electos beneficia 6. stupēda media in cōuertendis peccatoribus 25. effusa prouidentia in iis vocandis 29. Cura in iis vocandis 32. misericordia in sacramento pœnitentiæ. 273
Dei filiorum dignitas. 82
Diaboli odiū in paruulos 226. in conciones 101
Difficultates pœnitentiæ vnde oriantur. 337
Dispositiones remotæ quæ. 142
Dolores Christi excessus appellati ob eorum magnitudinem. 529
Duæ respublicæ animalium. 245
Duo vitiosa extrema eorum qui à peccatis desiterunt. 242. & seq.

E.

ECclesia sola habet bona & media ad salutē 45 est adumbrata super septem columnas & quas 56 & seq. absque mansuetudine detrimento habet zelū 73 eius duæ alæ, quæ 36 duo sacrificia spiritualia 60. signa 64. fœcunditas. 66
Eleemosynarij persistentes in peccatis dant pecuniam suam Deo, & animā diabolo 374
Eleemosynæ sunt opera satisfactoria 358. quomodo faciendæ à diuitibus 370 quomodo à pauperibus 374. earum effectus ad peccatores conuertendos. 148
Elimelech typus Christi. 7
Euangelica doctrina in epitomen redacta in sermone habito in monte. 222

Eucharistia sicut sol inter planetas 381. auget fidē & spem 421. item gratiā & feruorem in bonis operibus 421. præbet auxilium in conflictu spirituali 426. efficit perfectam cum Christo vnitionem 430. lectica Saluatoris quomodo 441. comparatur vesti 472. eius varia mirabilia 384. & seq. triplex finis 391. in ea quomodo se Christus operiat 396. quæ contineantur. 401 & seq.
Eutrapelia qualis virtus. 266.
Excusationes in peccatis à primis parentibus ortum habent 351. quam malæ. ibid. & seq.
Exempla & opera iustorum efficacia ad conuertendos peccatores. 104
Extremæ Vnctionis Sacramentum cur institutum 502. eius septem effectus. 563
Ezechias ægrotans typus iustorum 534. eius lapsus & ingratitudo. 548

F.

FEruentes vno die plus proficiunt quàm tepidi toto anno. 263
Ficulnea à Christo maledicta cuius rei typus. 38. 128.
Ficulneæ duæ parabolicæ 128. & seq.
Fides & spes duæ trabes scalæ cœlestis 10. sine charitate parum prosunt. 132
Fides quid sit, eiusq; præstantia 68. certitudo 99. fructus 74. in eam quibus peccatis peccetur. 310
Fides Christi mutauit mores hominum in sex rebus 75. reformat in multis ibid. dat sibi ipsi testimonium. 77
Fiducia timori iungenda. 232
Filiorum Dei dignitas. 82
Firmitatem & constantiam in perfectione quærenda non esse alligandam vni Patri spirituali. 242
Fœcunditas Ecclesiæ excellentia. 66
Formicarum Respub. quid doceat. 245
Frequens communio quàm vtilis 444. circa eam documenta 454. causæ & radices non proficiendi ex ea, & earum remedia. 467

G.

GEdeonis milites quos designent. 147
Generalis confessio an obliget & quando 330. à religiosis fit initio conuersionis. 331
Gentium vocatio ob Iudæorum pertina. 14. 3
Glorificatio duo beneficia complectitur. 2

H.

HAEresiarchæ peiores persecutoribus. 139
Humilitas adolescenti captanda 332. a [illegible]
quæ peccata contraria. 32

I.

IAponius primus Christianus quomodo conuersus. 109
Ignatius Societatis Iesu fundator. 24
eius constitutio circa opera domestica. 26
Impatientia intolerabile, facit labores 191
Incipientes debet habere socios spiritu feruentes 259 aliquādo verecundia afficiuntur 26
Infantes baptizati vere Christiani. 69
Infidelitas cui bestiæ similis. 70
Infirmitates cur mittantur à Deo, earūq; vtilitates 493 & seq. sunt mediū ad orationis donum impetrandum 502. quasi purgatorium super terra 521. & seq. duplicis generis. & quibus immittantur 533 considerationes ad eas patienter ferendas. 511
Infirmitates magnorum Sanctorum. 449
Infirmi debent suis obligationibus satisfacere 535. eorum oratio ordinaria & extraordinaria. 504
Institutæ religiosæ cur erectæ. 240
Intelligendum quis sit qui nos vocet. 195
Iob confessio admiranda. 333
Ioas rex quàm inconstans. 244
Ionas fugiens typus peccatoris 11. & Christi Saluatoris 120. cur tribus diebus & noctibus in ventre ceti.
Iudæ patriarchæ confessio. 312
Iugum Christi quomodo suaue. 191
Iustificare quid. 2
Iusti tanquam apes. 260

L.

LAcrymæ non semper diuinæ vocationis indicia 199. nec semper necessariæ in contritione 287. vnde oriantur. ibid
Lazari resuscitatio, & quæ circa eam contigerunt, quæ mysteria contineant 92. & seq. item. 335
Lectus ægroti locus certaminis. 531
Libri sacri & pij quàm vtiles ad conuertendos peccatores 102. eorum lectio est messis multa-

rum virtutum & vitiorum. 257
Libri duo confessionis. 317
Linteum Petro ostensum in Actis figura Ecclesiæ 33
Lucifer victus à Christo, nunquam nisi in fine mundi infernum exit. 137
Luminis diuini efficacia in peccatore illustrãdo. 20 & seq.
Luxuriosus quomodo conuerti possit. 105

M.

Magdalena decem insignes virtutes exercuit in sua conuersione, & quas. 107
Mancipiorum obsequium vilissimum. 201
Mansuetè respondendum corripientibus. 358
B. Mariæ intercessio quærenda. 146
Media externa ad vocationem peccatorum necessaria. 99
Milites Christi ad quid vocati 186. cur vngantur. ibid.
Mirabilia in mundi creatione, collata mirabilibus S. Eucharistiæ 384. item mirabilia veteris legis 386. & legis nouæ. 390
Misericordia tremenda quæ. 112
Morbi non semper in pœnam peccatorum immittuntur. 530
Mors non est timenda sed peccatum. 558
Mors cui rei à Prophetis comparatur. 127
Mortis bonæ præstantia. 566
Mortis tria genera. 567
Mors iusti finis miseriarum. 558. & seq.
Mortuis benefaciendam cum seipsos iuuare nõ possint. 149
Mortificationes quæ, earumq; vtilitas. 301
Mundus bonus complectitur mundum nequã. 42.
Mundus malus duas habet partes 42 eius miseria diuersa 43. & seq duplex fames, & quæ. 48.
Mundus famelicorum congregatio. 50
Mundi turbatio in fine qualis. 140

N.

Naaman Syrus typus tepidi pœnitentis 345
Nabal Carmelus diuitum auarorum & immitium typus. 152
Nardus qualis herba. 354
Nobilis cuiusdam conuersio ex breui sententia audita, & mors. 368. & seq.
Noëma figura Ecclesiæ. 199

O.

Obedientia perfecta exercitium perfectionis in adolescentibus. 228
Occasiones peccandi vitandæ. 289
Occulta Dei iudicia circa vocationem. 150
Opprobria tanquam cibus famelico quærenda perfectionem amanti. 233
Oratio vocationis & pœnitentiæ amplectendæ instrumentum 143. opus satisfactorium 376. conducit ad reformationem & perfectionẽ. 377.
Orationis encomia fidei fructus. 80
Orpha quorum typus 150. cur misericordiã non sit consecuta 151. eius inconstantia. 169

P.

Particularis confessio quando facienda. 332
Paruulos quantopere Christus amet, & cur 226. eos cur baptizari velit ibid. diboli in eos odium & astutia ibid. iis angeli custodes deputati. 227
Pater spiritualis necessarius. 241
Patientia necessaria perfectionem quærenti 233
Dei similis 541. eius bona. 539
Patrini cur adhibeantur in confirmatione. 239.
Peccatores optant hic voluptates & in cœlo paradisum sed falluntur 121 qualia possint opera bona facere quibus vocentur. 142. & seq
Peccatores etiam occupatissimi otiosi 263. variè sentiunt. 125
Peccatorem iustificare maius opus creatione mundi. 81
Peccatorum tria genera. 90
Peccatũ in Confessione remissum non punitur æterna pœna 172 tendit contra infinitã Dei naturam 294 Iustitiam Dei exigit contra peccatore 101 quomodo aliquando non voluntarium 153 eius malitia 211 illud negãdo aggrauantur tribus aliis cu pe. 313
Perfecti se etiam mortificare debent. 344. & seq.
Perfectionis detrimenta in infirmis 54. eorum remedia. 54
Pharaonis pœna quid docet. 123. & seq
Pigri anima mœra est. 20

Pœni-

Pœnitentiæ Sacramentũ quæ vtile, & efficax 272 multos actus cõplectitur 274. eius excellẽtiæ varię 273. proprietates insignes 278 primæ viæ 282 quatuor actus præcipui. 353
Pœnitentia plena difficultatibus 337. operum eius fructus. 359 & seq.
Pœnitentiæ corporales quo spiritu peragendæ. 36.
Populus Israeliticus duos habuit duces in exitu de Ægypto. 241
Potentes diuinæ vocationi resistunt. 31
Præcepto dilectionis Dei & proximi. duo contixentur 22. omnes obligantur. 123
Prædestinatio fons & origo aliorum Dei beneficiorum. 4. quid sit 1. consiliorum Dei abyssus. 2
Prædestinati tentantur quidem, sed resurgũt tandem & variis modis saluantur 11 eorũ numerus infinitus ibid eius rei causa. 12
Prælatus sanctus & prudens quantum præstet 144.
Prælati diuinæ vocationis instrumenta 115. erga infirmos quomodo se gerere debeant. 537.
Præmij spes laborem facit iucundum. 292
Præmia dignè communicantium. 462
Probationes quales esse debent. 202
Punctum nunquam solum. 14
Pudor confessionis quibus commodis recompensetur. 310
Purgatorium duplex, vnum sub alterum super terram. 521
Purgatorij pœnas patiendas ijs, qui imperfectam egerunt pœnitentiam, qua figura adumbratum 35.
Puritas intentionis in confessione necessaria 335

Q.

Quatuor excellentiæ obtinentur rerũ prosperarum & aduersarũ varietati. 230
Quator perpetui hominum status fundate super baptismo. 194
Quatuor conditiones voti & iuramẽti Ruth. 209
Quatuor in homine potentiæ. 235
Quatuor secta fidei Catholicæ contrariæ. 69
Querelæ infirmorum seruentium. 533
Quinque virorum famelicorum parabola ex D. Bernardo. 50
Quinque modi excusandi in peccatis. 351

R.

Ratio vocationes examinandi. 196
Religiosi initio conuersionis generalẽ confessionem faciunt. 331
Remidia detrimentorum perfectionis in infirmis. 544
Remedia incommodorũ conualescentiæ. 54.
Reproborum societas quàm horrenda 14. stulti vocantur à Sap & cur. 15
Ruth quid significet 8. quibus mediis cõuersa 25. exemplũ ad confundendos rebelles 170. typus eorum qui valde perfecti esse cupiunt 247. præclaram obediendi regulam ostendit. in quo 147. magni principis filia varia fuit experta 255. eius seruens conuersio 168. & sequent. 81 quatuor capita proposita à Noëmi 201.

S.

Sacramenta Ecclesiæ columnæ 58. septẽ vasa continentia sanguinem Christi 171. quomodo gratiam tribuant 84. varia eorum epitheta 171 effectus. 172
Sacrificium Christi duplex 59
Sacrificia Ecclesiæ spiritualia duo. 60
Sacerdotis sententia in absolutione irreuocabilis. 272
Sancti multi vno actu heroico bonam consuetudinem obtinuerunt. 268. & seq.
Sanctorum orationes quàm efficaces. 146
Satisfactio quid sit 336. eius opera duplicem habent excellentiam. ibid.
Scala Iacob idea prædestinationis 5. eius gradus 9. trabes quæ. 10
Scibbolet & Sibbolet quomodo differant. 270
Scriptura sacra mensa opipara 61. epistola à Deo missa. 103
Septentrionalibus regionibus deficientibus à fide, aliæ successerunt. 39
Seruuli paralytici eleemosyna & mors 375. 549
Sex indicia pœnitentiam mortis Deo acceptam. 560. & seq.

Signa Ecclesiæ sunt, quod sit vna, vera, pura, &c. 64
Silentij virtus quanta. 213
Silentium quale adolescenti captandum. ibid.
Societatis Iesu Patres veloces vt aquilæ. 59
Solitudo quantum momenti habeat ad perfectionem acquirendam. 230
Solicitudo seruiendi Deo in quibus consistat. 537
Stabilitas status quatuor exigit conditiones ex parte hominis. 194

T.

TEntationes morientium horrendæ. 550. *triplicis generis* 551. *earum remedia.* ibid.
Tituli decem quibus obstringimur ad conuersionem. 162
Tres obligationes rectè valentium. 536
Tria erga electos Dei beneficia. 6
Tria genera peccatorum. 90
Tria opera satisfactoria. 356
Tribus diebus Christus redemptionem nostram operatus est. 282
Tribus modis possumus offerre Deo corporis nostri sacrificium. 366.
Tribus mortuis à Christo suscitatis tres vocationes respondent. 92
Trium dierum iter in solitudinem quid mysticè designet. 280
Tribulatio in fine mundi grauissima. 136
Tribulationes vocationis diuinæ instrumenta 114. *ijs diuersimodè vtitur Deus.* 119
Triplex mors pretiosa ex vitæ præstantia. 569
Triplex præparatio ad pretiosam mortem. 5

V.


VEretundia confessionis redimit æternam 311. *eam quantum referat superare.* 310
Vesperi examinanda nostra opera. 269
Victoriæ triplex quæ sacram Communionem debet præcedere 457. *aliæ magis particulares.* 46
Virtutes quas Christus in Sacramento Eucharistiæ exercet. 414
Virtutes Ecclesiæ columnæ. 97
Virtutes Cardinales quomodo iungendæ. 230
Vita Christiana & perfecta consistit in Pœnitentia & Misericordiæ operibus. 234
Vitæ seueritas Ioannis Baptistæ pro miraculis 365.
Visitationes Christi in Sacram. Eucharistiæ earumque effectus. 482
Vitia sunt insaturabilia. 51
Vocatio prima vitæ spiritualis semetis 2. *dupliciter fit* 17. *eius effectus ibid & seq. duplex est, ordinaria & extraordinaria* 28. *spei virtutem reparat* 95. *item fidem* 98. *eius beneficium quantum.* 52
Vocatio per beneficia 107. *quinam ita conuertantur.* 109
Vocatio per aduersa. 133
Vocatio vltima ad iudicium qualis. 131 *quam terribilis* 132. *quam stricta.* 133
Vocatio Christianismi duo requirit. 180
Vitæ constantia, typus Iustorum, & perfectorum. 201

FINIS.

INDEX LOCORVM PRÆCIPVORVM S. SCRIPTVRAE, QVAE HOC opere explicantur.

Geneſ. 1. Vt operaretur,& cuſtodiret illum. 185
3. Adam vbi es. 285
Geneſ 28. Vidit Iacob ſcalam, ſtantem ſuper terram,&c. 510
41. Septem ſpicas plenas. 171
49. Iuda,te laudabunt fratres tui. 63.312
Exod. 5. Deus Hebræorum vocauit nos,vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem. 280
14. Tollensque ſe Angelus Domini. 338
16. Manhu. 400
Ruth. 1. In diebus vnius Iudicis &c. totum Caput. 3.&ſeq.
2. Erat autem viro Elimelech,&c. 246
Cantic. 1. Oſculetur, me oſculo oris ſui. 391
2. Surge,propera amica mea, &c. 378
2. Ferculum fecit ſibi rex Salomon. 441
7. Aſcendam in palmam & appreh. fructus eius. 78
Eccleſiaſt. 33. Cibaria & virga & onus aſino,&c. 363
Prouerb. 30. Infernus,& os vuluæ,& terra,&c. 51
9. Sapientia ædificauit ſibi domum. 45
2. Reg. 4. Ingreſſi autem duo aſſumentes ſpicas,&c. 265
4. Reg. 4.Poſuit os ſuum ſuper os pueri. 94
Iſaiæ 18. Ite angeli veloces ad gentem conuulſam. 403
Ieremiæ 48. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia. 58
Ezechiel. 1. Vnumquodque ante faciem ſuam,gradiebatur. 236.23
3. Tranſiui per te & vidi tempus tuum tempus amantium. 86
37. Fili hominis putaſne viuent oſſa iſta. 95
Oſeæ 2. Sponſabo te mihi in ſempiternum,& ſponſabo,&c. 86
2. Vadam ad amatores meos,&c. 113
11. Ego quaſi nutritius Ephraim. 107
Amos 8. Ecce dies ven.dicit Dominus,& mittam famem in terram. 71
Micheæ 6. Indicabo tibi ô homo,&c. 369
Matthæi 26. Calicem quem dedit mihi Parer,non vis vt bibam illum. 553
28. Euntes docete omnes gentes, baptiz. 184
Lucæ 9. Sequar te, ſed permitte mihi primum ſepelire Patrem meum. 169
11. Quis veſtrûm habebit amicum,&c. 144
11. Cûm fortis armatus cuſtodit atrium,&c. 18

13. Ecce tres anni sunt ex quo venio,&c. 129
14. Homo quidam fecit cœnam magnam. 30
Villam emi,&c. 111
15. Quæ mulier habens drachmas decem. 26
Citò proferte stolam primam,& induite,&c. 83
Occidisti illi vitulum saginatum. 84
16. Redde rationem villicationis tuæ. 132
Ioan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo,&c. 90
Actor. 7. Cùm esset plenus Spiritu sancto,&c. 212
10. Cecidit super Petrum mentis excessus. 32
Roman. 9. Quos præsciuit & prædestinauit.&c. 1
Ephes. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri,&c. 7
Titum 3. Secundùm suam misericordiam,&c. 177
2. Petri 1. Ministrate in fide vestra virtutem,&c. 9
Apocal. 10. Accipe librum & deuora illum. 206
12. Datæ sunt mulieri alæ duæ,&c. 36.67
17. Decem cornua quæ vidisti,&c. 60
20. Vidi mortuos paruos & magnos,&c. 116



1737

De Christiana Per
fectione.
P. Lud. de Ponte.

Tom. I. et II.

L
67.1 B

Th
1437